SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN QUARTUM.

HISTORIÆ REGIS OLAVI SANCTI

PARS PRIOR.

HAFNIÆ, 1833,

TYPIS OFFICINÆ BRÜNNICHIANÆ.

HISTORIA
REGIS OLAVI SANCTI,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

PARS PRIOR.

OPERA ET STUDIO
SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,
COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS
IN ISLANDIA.

HAFNIÆ,
TYPIS OFFICINÆ BRÜNNICHIANÆ.

1833.

Huic historiæ, quæ de Olavo Sancto, Norvegiæ rege, agit, dum præfabimur, nostri omnino officii esse ducemus, virorum eruditissimorum summorumque criticorum, E. C. Werlauffii et P. E. Mülleri, vestigia qua possumus diligentia legere; quorum hic cum generatim de historiographia Islandica acutissime disputavit, tum singulatim de Snorrii fontibus et auctoritate disserens hanc materiam subtiliter enucleavit: ille in suo de Ario Multiscio commentario multa eximia attulit, quæ harum rerum studiosis lucem præferant. Ex horum disquisitionibus constat, Arium (nat. 1067, den. 1148) et Sæmundum (nat. 1056, den. 1133), polyhistoras dictos, primas lineas duxisse historiæ regis Olavi Sancti; has deinde, studio historicorum seculi 12 et 13 deductas et auctas, in opus satis magnum excrevisse, quale collectio Snorriana, vulgo Heimskringla dicta, Codex Flateyensis, compluresque alii membranei exhibent. Ex his historicis, qui historiam Olavi Sancti descripserunt et adauxerunt, unus diserte nominatur in additamentis Cod. Flateyensis, nempe Styrmer polyhistor, qui prætor fuit Islandiæ annis 1210 et 1232, quatuorque post Snorrium Sturlæum annis obiit 1245; ex qua citatione P. E. Müllerus probabilibus argumentis demonstravit, vitam Olavi Sancti, cui expositio Codicis Flateyensis superstructa est, Snorrio antiquiorem esse. Nimirum in ipsa recensione historiæ Sancti Olavi, quam habet Cod. Flateyensis, Styrmeris de hoc rege liber bis citatur*); sed in ejusdem codicis col. 750, post descriptas Sverreris et Hakonis Hakonidæ historias, nonnulla additamenta subjiciuntur, ex historia regis Olavi Sancti, qualem Styrmer composuit, desumta. Hinc probabile esse, cum auctor vitæ Olavi regis,

*) Cod. Flat. col. 341; una citatio est in *Fornm. S.* T. 5, 170, quæ repetitur in historia Emundi, ibid. p. 268; alteram ex eadem codicis columna editores omiserunt, quam in disquisitione de Snorrii fontibus allatam huc transferemus: *Svá segir Styrmir hinn fróði, at Olafr konúngr Haraldsson hafi tekit riki af ellefu konúngum á Upplöndum fyrir Olafi Svia konúngi; en hann segir, at því ætti Olafr Sænski Upplönd, at Eirikr Hákonarson hefði því heitit honum til liðveizlu sèr, þá er hann barðist með honum móti Olafi konúngi Tryggvasyni*, ɔ: Styrmer historicus ait, undecim regulos Uplandiæ, Olavo Svionum regi subjectos, ab Olavo Haraldi filio regnis exutos fuisse; idem testatur, Uplandiam ideo in possessionem Olavi Sveci venisse, quod Eirikus Hakonides illi eam pollicitus sit auxilii ergo, quando prælium cum eo commisit adversus regem Olavum Tryggvii filium.

si hunc librum legisset, additamenta ista haud facile omissurus fuisset, citationes libri Styrmeriani non a biographo ortas, sed a codicis collectore insertas esse*), ideoque auctorem historiæ Olavi Sancti, qualem exhibeat Cod. Flateyensis, Styrmere, hujusque æquali Snorrio Sturlæo, ætate antiquiorem esse. Ceteros autem codices manuscriptos, qui præmissa introductionis loco epitome historiæ Norvegicæ ab Haraldo inde Pulcricomo, et intertextis narrationibus de Olavo Geirstadensi et Rödulvo, fere verbo tenus cum Snorrio consentiant, hos omnes collectione Snorriana seriores esse.

Hujus classis est Cod. A., secundum quem adornata est historia Olavi Sancti, ab Societate nostra edita, item ceteri codices manuscripti, in hac editione collati et citati, præter Flateyensem, qui longiorem et peculiarem habet hujus historiæ expositionem. Quod si hi in universum Snorrio ac Styrmere recentiores sunt, idem in primis valet de Cod. A; hic enim initium cap. 52 et posteriorem partem cap. 60, ab omnibus codd. omissa, ex libro Styrmeriano desumsit, et haud pauca capita, quæ plerique ceterorum ignorant, suscepit: qualia sunt: cap. 16-19, 23-24, 28-30, 35-36, 41, particula de vate Finnico cap. 44, 49, extremum cap. 63 a signo, ex cap. 87 colloquium Astridæ et Olavi cum stropha ibidem allata. Ex miraculis Sancti Olavi eadem ipsa affert, quæ Snorrius, qui ex his antiquissima, quæque historicis auctoritatibus maxime niti viderentur, consilio delegisse, neque inferius, quam ad medium seculi duodecimi, videtur descendere voluisse; paucis enim exceptis, omnia continentur encomio Olavi Sancti, ab Einare Skulii f. composito, et in templo Nidarosiensi Anno 1152 publice recitato. Ceterum Cod. A, quamvis non accuratissime sit scriptus, sæpiusque menda habeat et in carminibus haud paucis vitiis laboret, tamen dictionem bonam servat, ita tamen, ut ab ea, quam præfert collectio Snorriana, delectu verborum, structura periodorum, et decore compositionis, iisdem manentibus sententiis, recedere videatur. Sic Snorriana expositio medii ævi cultissimæ orationis colorem retinuit, Noster haud paucis locis voces antiquas exquisitiores cum vulgaribus et e communi sermone petitis, probis tamen (ut *farrak* pro *aungþveiti, missáttir*

*) Itaque idem putandus est inseruisse additamentum *H*, var., sive potius breviorem Styrmeris narrationem pluribus descripsisse; idem censendum est de principio tertiæ sectionis additamenti *G*.

pro *rángssáttir*, *bœndr* pro *búar*, et id genus alia), commutavit, et quædam membra, quibus facile careas, quasi explicandi gratia addidit (v. c. cap. 89. cfr. Hk. OH. 96).

Snorrianam, sic dictam, præfationem Cod. A omittit; ea ex cod. S desumta est. Hæc præfatio, qualis collectioni Snorrianæ vulgo præmitti solet, duabus partibus constat: prior pars, ut nobis quidem videtur, spectari potest ut antiquissimæ historiæ borealis, speciatim Ynglingorum, prolegomena, fontes ejus, genealogias et carmina, horumque auctoritatem exponentia *); altera pars agit de Ario polyhistore, primo Islandorum historico. Hanc præfationem quinque Codd. habent, nempe D,G,H,K,S, qui omnes partem ejus, quæ de Ario agit, fere verbo tenus cum textu Heimskringlæ consentientem servarunt; alteram partem omittunt D,K,G, ex quibus hic mutilus est, duo priores consilium collectoris paucis subjecerunt. Códices vero H et S, quorum prior chartaceus est, posterior in reliquis maximam cum expositione Snorriana similitudinem habet, hanc partem majori verborum ambitu descripserunt, consiliumque scriptoris pluribus exposuerunt.

Restat, ut Codices manuscriptos, qui in edenda hac historia adhibiti sunt, enumeremus et describamus: fundamenti loco positus fuit membraneus ille in folio, No. 61 notatus (Vol. 1. præf. p. 17) inter codd. mscr. legati Arnamagnæani, quod et bonam dictionem præferebat, manuque sat nitida erat exaratus, ut ex scripturæ specimine judicare licet, et integer erat, si ultimum folium exceperis, suique generis codicibus locupletior, nonnulla habens, quæ alibi nusquam reperiantur, ut stropham cap. 122. Primariam manum, qua codex exaratus est, sub finem cap. 137 excipit manus multo recentior, minus nitida, minusque certa, rectæque scripturæ negligentior. Cum

*) Quæri potest, an hæc prior præfationis pars a Snorrio sit profecta. Sane non ejus esse videtur, qui seculo decimo tertio vixit, quo tempore longe maxima pars historiarum regum Norvegicorum haud dubie jam erat literis consignata. Potius crediderim esse antiquissimi alicujus historici, qui rerum cognitionem tantum ex carminibus historicis et genealogicis, et traditione hausit, forte ejus, qui primus historiam Ynglingorum (Yngviæ gentis) ad ductum carminis Thjodolviani literis mandavit. Hic quominns Arius fuerit, non ea obstant, quæ de immigratione Asarum Snorrius addidit aut tradita pluribns persecutus est; nam nec Ario ignotam fuisse sententiam de origine Borealium ex regionibus Asiaticis, inde apparet, quod genus suum per gentem Yngviam, Njördumque, Sveciæ regem, ad Yngvium, regem Tyrkorum (Yngl. S. c. 5), refert.

hoc codice (in notis lit. *A* notato) undecim codices collati sunt, ex quibus 1,2,3,4,6,7,8, inter mscr. legati Arnamagnæani reperiuntur, 5 et 10 magnam bibliothecam regiam Havniensem, 9 et 11 bibliothecam regiam Holmiensem ornant.

1. Codex membraneus No. 75d, in forma quarta (in notis lit. *B* notatus), manu satis bona, literis densioribus, notis et siglis, scribendi compendiis, frequentioribus, orthographia mediocriter bona; scriptus, ut ex facie æstimare licet, vergente seculo 14. Hic codex, qui prope ad cod. A accedit, in principio cap. 200 deficit.

2. Fragmentum codicis membranei No. 325 (7) in forma quarta *(C)*; manus est bona et certa, literæ minutiores et compactæ, scriptura hic illic compendiosior; orthographiæ peculiaris quidem ratio, non tamen ab antiquissimis membranis aliena: v. c. *þ* sæpe usurpatur pro ð, *c* sæpissime pro *k*, *æ* pro *e*, *ø* pro *æ*; aliquoties *av* in unam figuram conflata pro *á*, sæpe quoque *umb* pro *um*. Quod ad notas attinet, observandum est, characterem runicum ᛘ *(Maðr)* pro voce *maðr* usurpari, *l* cum obliqua lineola superscripta pro *eða* (vel), *n'l* pro *ekki* (nihil), et nonnunquam *ñ* pro *eigi* (non). Unde haud improbabile est, hunc codicem initio sec. 14, et quidem ab aliquo docto viro exaratum esse.

3. Codex membraneus No. 325 (5) in forma quarta *(D)*, paginis in binas columnas divisis, literis distinctis et satis elegantibus, usitata orthographia, exeunte sec. 14 vix antiquior, multis foliis mancus.

4. Fragmentum membraneum No. 75c, in folio *(E)*; manus est bona et certa, literæ grandiusculæ, neque admodum compactæ, literarum rara compendia, orthographia ad morem codicum antiquiorum et optimorum. Hic codex, forte ineunte sec. 14 exaratus, haud dubie omnium hujus historiæ codicum præstantissimus fuit, quo magis dolendum est, quod magna pars ejus interiit, altero et tertio quoque folio, et interdum pluribus ordine intercisis.

5. Codex membraneus, Flateyensis, in folio maximo *(F)*, singulis paginis in binas columnas divisis, omnino 905 columnis constans, spatio annorum 1387-1395 exaratus, ut ex ipso codice cognoscitur. Historia Sancti Olavi incipit in col. 310, desinit in col. 516. Insertæ sunt variæ historiæ: vita amicorum juratorum, Thormodi ac Thorgêris, quadraginta amplius columnas occupans; narratio de Styrbjörne, Svionum athleta, de Emundo ac rege

Olavo, de Tokio Tokii filio, de Endridio et Erlingo. Additamenta ex libro Styrmeriano sunt in col. 750-754, quæ cum in editione Societatis nostræ locis disjecta reperiantur, hoc ordine in Cod. Flateyensi veniunt: primo, quinque primæ sectiones additamenti *H*, deinde addit. *H*, tum tertia sectio additamenti *G*, tum prima et secunda sectio addit. *G*, dein sexta, septima et octava sectio additamenti *H*, tum additamentum *K*, et tandem ultima sectio addit. *H*.

6. Fragmentum membraneum No. 325 (6) in forma quarta majori *(G)*; manus est bona et certa, literæ compactiores, paginæ bipartitæ, literarum compendia haud infrequentia, orthographia ad normam melioris notæ codicum. Hic codex, medio seculi 14 vix inferior, valde similis est codici *S*.

7. Codex chartaceus No. 73 in folio *(H)*, literis gothicis scriptus, ab ceteris codd. valde discrepat; nam et capita habet ab hac historia aliena, et in posteriori parte historiæ capita omnibus codd. communia omittit.

8. Fragmentum codicis membranei, No. 75 *A*, in forma quarta *(I* vel *J)*, literis grandiusculis, parum compactis, neque admodum abbreviationibus indulgens; paginæ in binas columnas divisæ. Scriptura et orthographia hujus fragmenti prodere videtur initium sec. 14.

9. Codex membraneus in folio, quem asservat bibliotheca regia Holmiensis, Codex regius Bergi abbatis inscriptus *(K)**); satis bene exaratus et antiquioribus codicibus adnumerandus.

10. Codex membraneus, in folio *(L)*, quem asservat magna bibliotheca regia Havniensis, dictus *Thómásskinna*, quod a vita Thomæ apostoli incipiat. Hic codex, quem neque nitida manus, neque accurata scriptura commendat, ad seculum 15 referendus videtur.

11. Codex membraneus, No. 2 in folio *(S)*, quem asservat bibliotheca regia Holmiensis, ad scripturam quod attinet, antiquioribus codicibus adnumerandus; perquam similis est Codici *G*, et ex omnibus codd. proxime accedit ad textum Heimskringlæ.

Qui uberiorem horum codicum notitiam habere cupiat, adeat præfationem *Fornm. S.* Vol. 4, unde hæc sumsimus, quo loco, quid codicum quisque cum *A* collatus omittat aut addat, diligentissime ab editoribus notatum est. Cum vero hæc in inferiore versionis margine signi-

*) Vide Commentationem Werlauffii De Ario multiscio, pag. 95 not. *u*.

ficaverimus, ea hic repetere necessum non duximus. Membra historica ad calcem adjecta hæc sunt:

A. De Styrbjörne Svionum athleta. Hoc membrum solus habet Cod. Flateyensis (col. 342-44). Antiquitatem hujus membri historici tam internis quam externis argumentis demonstravit P. E. Müllerus in Bibliotheca Historica (*Sagabibliothek*), Vol. 3. p. 143-47. Editum est cum versione latina in Schedis Arii, ed. Worm, Oxoniæ 1716. pag. 111-18.

B. De Rhoio. Desumtum ex Cod. Flat. col. 344-48. Vide Bibl. Hist. Vol. 3. p. 151-52.

C. De Emundo et rege Olavo. Hoc membrum in solo Cod. Flat. (col. 368-77) exstat. Hanc historiam in universum veram esse, nec omnino ab Russicorum scriptorum narrationibus discrepare, at easdem insuper illustrare et adaugere sentimus; cf. Bibl. Hist. Vol. 3. p. 183-86.

D. De Tokio Tokii filio. Solus habet Cod. Flat. (col. 378-79); vide Bibl. Hist. Vol. 2. p. 116-17.

E. De Endridio et Erlingo. Exstat in solo Cod. Flat. (col. 410-13); vide Bibl. Hist. Vol. 3. p. 307-8.

F. De Thorarine Nevjolvi filio. Hoc membrum solus habet *L*.

G. De Egile Halli Sidensis filio et Tovio Valgöti filio. Desumtum ex Cod. *L*, qui primum membri caput postponit capiti historiæ 125, secundum capiti 128, tertium habet loco prioris partis cap. 153. Vide Bibl. Hist. Vol. 3. p. 302-3.

H. De Rödulvo ac filiis. Hoc membrum historicum loco capitis 160 (cod. *A*) habent *B*,*D*,*F* (col. 463-68), *H*, *K*,*L*,*S*; pars ejus exstat in fragmentis *E* et *I*. Typis exaratus est secundum cod. *L*. Snorrio antiquius esse, et ante tempora Sverreris, saltem Hakonis Senioris, conscriptum esse docet Bibl. Hist. Vol. 3. p. 299-300.

Carmen *Geisli*, quod de miraculis regis Olavi Sancti agit, ex Cod. Flat. desumtum est. Desideramus collationem hujus carminis cum cod. regio Bergi Abbatis (*K*), quo contineri hoc carmen audivimus. Ceterum adi Hkr. Tom. 3, ubi vita poëtæ Einaris Skulii filii, ætas et occasio hujus carminis enucleatissime descriptæ sunt.

HISTORIA DE REGE OLAVO SANCTO, HARALDI FILIO.

Prologus.

Sacerdos Arius Thorgilsis filius, polyhistor, primus omnium [in hac insula[1], sermone boreali res tam prisci quam recentioris ævi literis mandavit. Is primo, in exordio libri sui, primam descripsit Islandiæ habitationem legumque constitutionem; deinde de prætoribus commemoravit, quot annos singuli jus dixissent, annos computans, primum ad religionem christianam in Islandia introductam, deinde ad sua usque tempora. His multa quoque alia documenta addidit, tam regum Norvegiæ, Daniæ et Angliæ historiam, quam res insignes, hac in insula gestas. Cujus narrationem summa fide dignam existimamus; fuit enim vir singularis prudentiæ, ejusque ætatis, ut proxima hieme post obitum Haraldi Sigurdi filii natus esset. In conscribenda historia, quemadmodum ipse testatur in vitis regum Norvegicorum, secutus est relationem Oddi, filii Koli, [filii Halli[2] de Sida; Oddus vero traditam accepit ab Thorgeire Avrazkollo[3], viro rerum sciente, ejusque ætatis, ut in Nidarneso[4] habitaverit, quo tempore dynasta Hakon

[1]) Absunt in *H.* [2]) desunt in *D.* [3]) Avrakollo, *H.* [4]) Vikarneso, *D*; Nidaroso, *H.*

Potens interfectus fuit: quo eodem loco Olavus Tryggvii filius sedem mercatoribus præparandam, Olavus Sanctus emporium exstruendum curavit. Arius, septem [1] annos natus, Hökadalum pervenit ad Hallum Thorarinis filium, ibique quatuordecim annos versatus est. Fuit Hallus rerum scientissimus, et bona præditus memoria: meminit, se triennem a Thangbrando presbytero baptizatum, quod accidit anno proximo ante receptam legibus in Islandia christianam religionem. Arius duodecim erat annorum, cum episcopus Isleivus diem obiret. Hallus commercii causa inter terras commeavit, et regis Olavi Sancti societate usus est, qua ex re magnos successus habuit, et notitiam imperii ejus sibi comparavit. Isleivus episcopus obiit, octoginta annis ab Olavo Tryggvii filio elapsis; Hallus autem obiit novem [2] annis post mortem Isleivi episcopi, natus tum annos quatuor et nonaginta: triginta annos natus villicationem Hökadali instituerat, ibique sexaginta quatuor [3] annos habitavit; sic scripsit Arius. Teitus, filius Isleivi episcopi, Hökadali apud Hallum educatus est, ibique postea habitavit. Hic Arium sacerdotem literis imbuit, et scientia multarum rerum, quas Arius postea literis mandavit, instruxit. Multas quoque res Arius didicit ex Thurida, filia Snorrii pontificis, quæ sapientis erat ingenii, et Snorrium, patrem suum, recordata est; Snorrius autem ferme erat [4] triginta quinque annorum, quando religio christiana in Islandiam est introducta, obiit vero uno anno post cædem regis Olavi [5]. Qua re mirum non fuit, si ad veram cognitionem rerum priscarum, tam hac in terra, quam apud exteros gestarum, pervenit, cum a

[1]) octo, *D.* [2]) decem, *H.* [3]) omittit *H*; tres, *D.* [4]) reliquum Prologi ab Cod. *G* abruptum est. [5]) Sancti, add. *H.*

viris magno natu et rerum peritis traditas accepisset, ipseque esset fideli memoria et docili ingenio præditus. [Ego vero inde a primordiis describendas curavi tam vitas regum, regnis borealibus imperantium et Danica lingva loquentium, quam aliquot eorundem prosapias, prouti a viris rerum peritis accepimus, secuti præterea priscorum carminum testimonia, et majorum stemmata, quibus reges origines suas recensuerunt. Poëta Thjodolvus polyhistor, quem quidam Hviniensem appellant, carmen de rege Rögnvaldo, filio Olavi Vestfoldæ regis, (qui Olavus frater erat Halvdanis Nigri, patris Haraldi pulcricomi) composuit; in quo carmine triginta majores Rögnvaldi, horum nomina, et singulorum mortis genus recensitum est, et stemmata ad Ingunar-Freyum [1], quem ethnici deum suum vocarunt, relata. Alterum carmen de dynasta Hakone Sigurdi filio composuit Eyvindus Skaldaspiller [2], ejusque majores ad Sæmingum usque recensuit, qui filius fuisse dicitur Ingunar-Freyi (filii) Njördi [3]; ibidem quoque de morte cujusque eorum et loco sepulturæ proditum est. Primæ ætati proprium fuit, ut omnes mortui cremarentur; deinde incepit ætas tumulorum, qua omnes viri potentiores tumulis inlati sunt, omnes vero plebeji post mortem humo sepulti, cippique in memoriam mortuorum erecti. Verum postquam Haraldus Pulcricomus rex Norvegiæ factus est, argumentis multo certioribus constat de historia regum, qui Norvegiæ imperarunt. Hoc enim regnante cum incoli cœpta esset Islandia, crebræque essent ab Norvegia in Islandiam profectiones, fama rerum quavis æstate inter has terras permeavit, quæ deinde memoriæ tradita et ad relationes reservata

[1]) Yngvi-Freyum, *H.* [2]) verti potest: collocutor poëtarum, vel, qui palmam præripit poëtis. [3]) Odinis filii, *H.*

est. Verum tamen ea, quæ expresse memorantur in carminibus aliisve poëmatibus, quæ de regibus aut principibus viris sunt composita ipsisque audientibus recitata, aut in carminibus funebribus, quæ poëtæ coram filiis eorum recitarunt, hæc mihi ad fidem historicam maximi esse momenti videntur. Nam verba, numero poëtico conclusa, si recte pronuntiantur, eadem sunt, atque primitus fuerunt, neque, per manus tradita, possunt immutari. Quæ vero referuntur historiæ, periculum est, ne diverso modo intelligantur; sunt enim, qui, procedente tempore, rei auditæ memoriam deponant, unde fit, ut hos sæpe memoria fallat, et narrationes certam fidem amittant. Amplius duæ annorum centuriæ duodenariæ [1] post inhabitationem Islandiæ exierant, cum hic historiæ conscribi cœptæ sunt, quod longum quidem fuit temporis spatium; neque a depravatione immunes fuissent, nisi extitissent tam recentia, quam prisca carmina, quibus veritas historiæ vindicari potuisset. Sic ante nos fecerunt auctores, veritatis studiosi, ut fidem adhibuerint relationibus eorum, qui ipsi res vidissent, atque rebus gestis interfuissent. Valet autem auctoritas horum poëtarum, qui præliis interfuerunt, nec non ejus, qui carmina coram ipso principe recitavit; non enim ausus esset poëta ea referre principis gesta, quæ tum ipse princeps, tum ceteri omnes auditores nossent, eum his nunquam præsentem adfuisse: nam hæc cavillatio esset, non laus. Nos autem, aliqua religione obstricti, eas jam scribimus res, quæ ætate regis Olavi Sancti gestæ sunt, cum de itineribus ejus et rei publicæ administratione, tum præterea nonnihil de belli causis, quod contra

[1]) i. e. ducenti quadraginta anni; decuriales, *H*, i. e. anni ducenti.

eum moverunt præfecti Norvegici, in quo Stiklastadis prælio cecidit. Scio quidem, si hæc historia ad exteros perveniat, fore quosdam, quibus justo plura de hominibus Islandis narrasse videar: hujus vero rei hæc causa est, quod homines Islandi, qui has res oculis aut auribus noverunt, relationes de eis in Islandiam traduxerunt, quas deinde alii ab his traditas acceperunt. In plerisque tamen carmina poëtarum, qui cum rege Olavo fuerunt, secutus sum [1].

[1]) A signo [pag. 3, *D*, *K* hæc tantum habent: Hunc vero librum scribendum curavi secundum ea, quæ continentur in carminibus Sigvati et Ottaris Nigri, qui, assidue apud regem Olavum versati, has res viderunt et audiverunt, nonnulla vero secundum Arii presbyteri aliorumque historicorum relationem. Mihi autem carmina, si recte recitantur et prudenter intelliguntur, a veritate minimum aberrare videntur.

Hic incipit historia regis Olavi Sancti Haraldi filii.

HARALDUS Pulcricomus erat per longum tempus rex totius Norvegiæ; antea vero ibi fuerant multi reguli, quorum quidam uni (tantum) provinciæ præfuerunt. Hos vero omnes rex Haraldus regnis spoliavit: quidam ceciderunt, alii ab eo pulsi aufugerunt, alii regiam dignitatem deposuerunt; neque præter eum fuit quisquam, cui regio nomine uti liceret. Ille cuique provinciæ dynastam præfecit, qui rem publicam administraret et jus diceret. Rex multas habuit uxores, multosque liberos: habuit filios viginti, aut plures, qui omnes præclaræ spei erant. Hi nobili genere materno orti erant, atque multi eorum apud cognatos maternos educati sunt. Hi erant natu maximi: Guthormus, Halvdan [1] et Eirikus Blodaxa, cujus mater erat Ragnhilda, filia Eiriki, Daniæ regis; idem apud Ducem Thorerem [2], Fjördis præfectum, educatus est. Hi filii Haraldi eadem matre geniti sunt: Guthormus, Harekus [3], Gudrödus [4]; horum mater fuit Gyda, filia Eiriki, Hördiæ [5] regis; hi quoque ibidem in pueritia educati sunt. Halvdan Albus et Halvdan Niger gemini erant, Æsa [6] nati, filia Hakonis Grjotgardi filii, Hladarum dynastæ; Sigurdus [7] erat nomen tertio; hi in Thrandheimo educati sunt,

[1]) duo Halvdanes, *G,H.* [2]) Hroaldi filium, add. *B,D,G,H.* [3]) et Hrærekus, *G,H.* [4]) quem quidam nominant Gundrudum (Gagrödum *L*), add. *G,L.* [5]) Hadalandiæ, *L.* [6]) Asta, *L.* [7]) Sigrödus, *B,G,H,L.*

ceteros vero duo fratres Halvdan Niger præstabat. Olavus nomen erat uni, Björn ac Sigtryggus, quem quidam Tryggvium nominant, Frodius ac Thorgils: horum mater erat Hilda, sive Svanhilda, Eysteinis, Heidmarkæ dynastæ, filia; rex Haraldus Eysteinem dynastam Heidmarkæ et Vestfoldæ præfecit, eique hos filios suos educandos commisit. Sigurdus Hrisius, Halvdan Alticrus, Gudrödus Splendor, Rögnvald Rectipes filii erant Snjofridæ Finnæ. Mater Dagi, Ringi, Rögnvaldi [1] Rykkilis fuit [2] Alvhilda, filia Ringi Dagi filii de Ringariko; hi in Upplandis educati sunt. Ingigerda et Olava *Arbót* (annonæ levatrix) erant filiæ regis Haraldi; item Ingibjarga, quam [3] Halvdan in matrimonio habuit; ex his nata Gunnhilda, quam duxit Finnus Skjalgius (Strabo), [quorum liberi erant Eyvindus Skaldaspiller (poëtarum confabulator), Njal, Sigurdus; Thora nomen erat filiæ Njalis, et erat ejus mater Astrida, filia Steinkelis, Svionum regis [4]. Olavam, regis Haraldi filiam, Thorer Tacitus in matrimonio habuit; horum filia erat Bergljota, mater dynastæ Hakonis Potentis. Rex Haraldus filias suas dynastis indigenis collocavit. Fuit rex Haraldus omnium hominum statura viribusque maximis, et quovis æqualium facie pulcrior, omnibusque tam artis quam naturæ bonis præstantior; quod adeo gentile fuit, ut ad eorum usque memoriam, qui nunc vivunt, hæc præstantia in ejus familia duraverit. Rex Haraldus multa prælia in patria fecit, et totam Norvegiam tam penitus sibi subjecit, ut omnia heredia, sive erant prædia, sive pascua montana, insulas et omnes sylvas, nec

---

[1]) Ragnaris, cet. [2]) Olava sive, add. *L.* [3]) dynasta, add. cet. [4]) et Eyvindus Skaldaspiller, Njal, Sigurdus et Thora; filia Njalis erat Astrida, mater Steinkelis, Svionum regis, *G, H.* Sed vide de hac genealogia *Fornm. S.* I. p. 5.

non omnia terræ deserta possideret, omnesque ipsius essent conductores ac villici. Decem annos natus regnum adiit, imperavit annos septuaginta [1]. Cum sexaginta annos complevisset, filii ejus ad maturam ætatem jam pervenerant, quidam vero mortui erant. Hi domi erant admodum turbulenti atque inter se valde discordes, regiosque dynastas partim provinciis expulerunt, partim interfecerunt. Quare rex Haraldus, in parte regni orientali, frequentem indixit conventum, eoque Upplandos convocavit. Heic leges constituit, atque omnibus filiis suis regia nomina dedit, idque legibus sancivit, ut unusquisque nepotum ejus post patrem regnum et regium nomen caperet, qui vero per feminam ab eo ortus esset, dynastæ titulum haberet. Ita regnum inter eos divisit, ut Vingulmarkam *), Römarikum, Vestfoldam [2] donaret Olavo, Björni, Frodio, Sigurdo, Thorgilsi; Heidmarkam et Guldbrandsdalos, Dago et Rögnvaldo [3] et Ragnari; Snjofridæ filiis, Ringarikum, Thotnum, Hadalandum, et quicquid eo pertinuit; Guthormum, filium suum, custodem terræ constituit in regni orientalis finibus, ad limites tuendos, eique imperium dedit ab Albi ad Svinasundum, nempe Ranrikum [4]. — Eirikus apud regem Haraldum, patrem suum, versatus est; hunc rex ex omnibus filiis carissimum habuit, maximique æstimavit. [Hallandum et totam Nordmœriam et Röms-

*) id. q. *Borgarsýsla*, sive *Smaalænenes Amt*, P. Cl. Undal. Descript. Norvegiæ, p. 13. 27.

1) septuaginta tres, *B,L.* 74, *D,G,H.* 2) et Thelamarkam, add. *B,D,G,L.* 3) Ringo, cet. rectius. 4) Rex Haraldus sæpissime in medio regni se continebat; Rærekus et Gudrödus cum rege inter aulicos perpetuo versabantur, et ampla beneficia in Hördalando et Sogno habuerunt, add. *D, G,H,L.*

dalum, provincias dedit Halvdani Nigro, Halvdani vero Albo Nordheimum [1]. In his singulis provinciis dimidiam redituum partem filiis ex æquo secum attribuit, et hoc insuper, ut celsam sedem tenerent, uno gradu altiorem, quam dynastarum, uno vero gradu inferiorem, quam ipsius; hanc vero sedem, quam ipse tenebat, sibi quisque filiorum, post mortem ejus, destinabat; ipse vero eandem Eiriko destinabat, Thrandi Halfdani Nigro, Vikenses [2] his maxime regnum cupiebant, qui sub eorum tutela erant. Hinc magna inter fratres exorta dissensio est, exiguas enim provincias habere sibi videbantur. itaque in piratica versabantur, ut memoriæ proditum est, Halvdanem Album in Anglia [3] cecidisse, Halvdanem Altipedem in Orkneyis, Frodium ac Thorgilsem Dublini in Irlandia decessisse. Guthormus in ostio Albis adversus Sölvium Klofium pugnans cecidit, quo facto ditionem, quam habuerat, nactus est rex Olavus. Eirikus Blodaxa summum in fratres suos principatum affectavit, atque in piratica multum temporis consumsit; ille uxorem duxerat Gunnhildam Regum-genitricem. Rögnvaldus Rectipes Hadalandum tenuit; is artes magicas didicit, et incantator extitit. Rex Haraldus omnes incantatores detestatus est. Erat in Hördia [4] incantator quidam, nomine Vitgeir. Rex ad eum misit, rogans, ut ab incantationibus desisteret. Ille hac cantilena respondit:

Non mirum est, si nos,
qui senum sumus
et vetularum soboles,
incantamenta exerceamus:

---

[1]) Ei dedit Halogiam, Nordm. et Römsd.; Thrandheimi (Heimi, *B*) præfecturam dedit Halvdani *N.* et Halvd. *A.* et Sigurdo, rectius cet. [2]) et Upplandi, add. cet. [3]) Estonia, *B,D,L.* [4]) Hadalando, *D,H.*

cum Haraldi inclyta proles,
Rögnvaldus Rectipes,
in Hadalando
incantamenta exerceat.

Quæ cum Haraldus audivisset, Eirikus Blodaxa, filius ejus, patre auctore, in Upplanda profectus, ut in Hadalandum venit, fratrem cum octoginta incantatoribus in ædibus concremavit; quod factum magnopere laudatum est. Gudrödus Splendor in Norvegia præ Jadare submersus periit.

Cap. 2. Björn Vikæ et Vestfoldæ præfuit; ibi tum Tunsbergi magnum fuit emporium, ubi sæpe commoratus est, neque piraticæ admodum operam dedit. Hinc fratres ejus eum mercatorem vocitarunt. Fuit vir prudens et moderati ingenii, et ad principatum idoneus videbatur; nobilem uxorem duxit, filiumque genuit, cui nomen Gudrödus. Æstate quadam Eirikus Blodaxa ex piratica cum ingenti classe reversus, ad Björnem venit, et postulavit, ut tributa et reditus, qui regi Haraldo ex Vestfolda debebantur, sibi traderet; antea vero Björn solitus fuerat, hos reditus ipse ad patrem perferre, aut per legatos mittere; jamque ita facere voluit, et ideo Eiriko in manus tradere recusavit. Eirikus commeatu, tentoriis et potu egere sibi videbatur. Hac de re fratres inter se vehementer contendebant, neque Eirikus eo magis postulata impetravit. Cum deinde ab oppido discessisset, eadem nocte reversus, Björnem adortus est, et ipsum multosque una homines occidit; hic ingenti præda potitus, in boreales regni partes contendit. Hoc facinus Vikenses ægerrime tulerunt, Eirikumque magno odio habuerunt. Ferebatur fama, Olavum, si occasio daretur, cædem Björnis, fratris sui, ulturum.

Cap. 3. Post eadem hieme Eirikus boream versus in Thrandheimum profectus, convivium

Sölvii [1] frequentavit. Quo cognito, Halvdan Niger confestim cum copiis profectus, ædes, in quibus Eirikus ac sui dormiebant, militibus cinxit. Eirikus, cum in cubiculo solitario dormiret, ipse quintus in sylvam evasit; Halvdan vero villam cum omnibus, quæ intus erant, incendit. Hujus rei nuntium cum Eirikus ad patrem pertulisset, rex Haraldus gravi ira commotus, copias statim contraxit et adversus Thrandos boream versus exercitum duxit. Quod ut audivit Halvdan Niger, naves ac milites evocat, magnaque collecta manu classem ad Stadum intra Thorsbjarga constituit. Rex Haraldus exterius cum copiis ad Reinfuram [2] stabat. Hic nuntii inter eos intercedebant. Guthormus Sindrius nomen erat viro præstanti et generoso; hic tum in exercitu Halvdanis Nigri erat, antea autem regem Haraldum secutus fuerat, eratque utrique amicissimus. Idem eximius erat pöeta, et de utroque carmen, unum de patre, alterum de filio, composuerat, pro quo oblata sibi præmia recusaverat, rogans, ut quisque eorum, quod petiturus esset, sibi concederent, quod etiam ei promiserant. Iamque pacis internuntium agit, ab utroque hoc petens, ut reconciliarentur. Tantum autem valuit ejus auctoritas apud reges, ut precibus ejus permoti, in mutuam gratiam redirent. Multi nobiles ac benevoli viri huic rei patrocinabantur, eaque conditione pax inita est, ut Halvdan totam suam ditionem retineret, Eirikumque fratrem tuto vivere sineret, et utrique a mutuis insidiis abstinerent. Secundum hanc narrationem Jorunna pöetria aliquot strophas in carmine Sendibito composuit:

---

[1]) Sulæ, *G,H.* Sölvaklofii, *L.* Sölvium, prædium Nordmæriæ, hodie *Selven.* Index Geogr. Hkr. T. 6. [2]) Reinsljettam, *B,G,H.* rectius, hodie *Lille-Rein* in tractu *Statsböigden,* Index Geogr. Hkr. Tom. 6. Steinsljettam, *L.*

[1] Audivi, Halvdanem rescivisse
Haraldi Pulcricomi strenuitatem;
sed ensis exploratori visa est
periculosa hæc ratio.
Nam se potens rex extulit,
ut lætaretur sangvine virorum,
quando heroes bellicosi ausi sunt
vulnificum calamum tingere.

[2] Ubi norunt heroes valde alacres
honorem ampliorem tributum esse
præliatoribus, qui splendidos
in pugna gladios spargunt, quam quem
duo principes, animosi regni præsides,
tribuerunt viris, auro conspicuis,
Sindrii gratia carminis, cum res
inter principes in apertum discrimen adducta
esset?

---

1) Hujus strophæ partem posteriorem, ut et duas proxime sequentes strophas, solus habet *E*, qui ab hac semistropha incipit. Ordo verborum talis est: *Ek frá Hálfdán spyrja a) herðibrögð Haralds b) ens hárfagra c); en lögðiss d) reyni sýnist sjá bragr svartleitr: þvíat ríkr konúngr hófst at fagna dreyra rekka, þá er magnendr morðs þorðu merkja undlagar reyr.* Sensus est: Halvdan, cum cognovisset, Haraldum summa celeritate copias adversum se movisse, rem in ancipiti discrimine versari intelligebat: Haraldus enim se paratum ostendit, prælium committere, remque armis decernere. Possunt quidem verba posterioris semistrophæ sic ordinari: *þvíat ríkr konúngr rekka hófst at fagna, þá er magnendr morðs þorðu merkja undlagar reyr* (ɔ: með) *dreyra.* Sed alterum significantius esse videtur.

a) verja B. minus ad sensum commodè. *b) Harald*, cet., in accus., tum sequi debuerat *enn hárfagra* et *Hálfdáns*, sensu inverso. *c) enn hárfagri, B*, perperam. *d) lögðust, G.*, pravè, ut videtur.

2) Ordo: *Hvar vita einka örvir veg-meira frama gervan örveðrs túngla tingl-rýrondum a), en tveir jöfrar, geðharðir landrekar, gerðu gulls þollum fyri lof Sindra? óblindr ángr ýngva β) um hófst upp.*

[1] Laudes annulorum inimici
gravem calamitatem adduxerant.
Godormus nactus est ab Odine
cantati bona præmia carminis.
Cum exercitus principum duorum
ad vehementem pugnam se comparasset,
vir, gnarus prælii, contentionem
regum magna solertia avertit.

Cap. 4. Haraldus Pulcricomus in senectute filium procreavit, nomine Hakonem. Hujus mater nominata est Thora Mosturstanga, ex Mostria Hördiæ australis oriunda. Quæ etsi ceteras feminas staturæ magnitudine ac formæ venustate superaret, nobilique loco orta esset, cum Karium Hördensem necessitudine generis attingeret, tamen regis serva appellata est. Eo enim tempore multi, tam viri, quam feminæ, quamvis nobili genere essent, regi fuerunt obsequio obstricti. Filii Haraldi Hakonem ludibrio habuerunt, atque eum Mosturstangæ filium appellaverunt. Rex Haraldus Hakonem filium Adalsteini, Angliæ regi, enutriendum misit, apud quem educatus est.

α) *örveðr*, tempestas sagittæ, pugna, *örveðrs túngl*, luna prælii, clypeus; *tingl*, ornatus, vide Vol. I, cap. 18, str. 1, h. l. de re splendente, hinc *örveðrs túngla tíngl*, gladius, ut *hjálms-eldr*, *brynju-eldr*, *randar-iss* (Sn. Edd. pag. 162); hujus *rýrandi*, præliator. *β)* cum *ángr*, dolor, molestia, sit neutrius generis, h. l. *ángr*, m. sumendum videtur de angustiis, summis difficultatibus, et referendum ad *aungr*, *öngr*, angustus, quo et spectat *einángr*, m. Eyrb. p. 60 & *Grænlendinga þáttr*, c. 2.

[1]) Ordo perspicuus est, nempe: *hróðr hringastriðis α) vann framkveðinn ramman harm; Godormr laut góð laun kveðins óðar af Gauti. Runnr gunnar brá raun-framla β) rimmu skjöldúnga: herr tveggja döglinga bjóst áðr til hjörva hreggs.*

α) i. e. Laudabile factum Halvdanis, ultionem necati fratris ex Eiriko sumturi. *β)* sic scribendum puto pro *raun framta*, quod sensu cassum est.

Hic, ut præ ceteris filiis patri erat simillimus, ita eos omnes artium peritia superabat.

Cap. 5. Post obitum Björnis Mercatoris Olavus, frater ejus, imperium Vestfoldæ adiit, filiumque Björnis, Gudrödum, educandum suscepit. Filius Olavi erat Tryggvius: hic et Gudrödus una educabantur, magnam utrique de se spem facientes atque corporis exercitiis præstantes. Tryggvius omnes æquales statura et virium magnitudine superavit. Cum rex Haraldus octoginta esset annorum, vigoremque sibi deesse, ob ætatem, sentiret, ut provincias obiret regisque munia administraret: filium Eirikum in celsam sedem deduxit, eique regium nomen et [1] totius terræ imperium dedit. Quo cognito, Halvdan Niger, celsa sede occupata, cunctis Thrandis consentientibus, imperium totius Thrandheimi sibi vindicavit. Cum autem hoc audivissent Vikenses, Olavum totius Vikæ regem constituunt; isque hoc regnum retinuit. Quæ res Eiriko vehementer displicuit. Duobus post annis, Halvdan Niger, cum in Thrandheimo interiore convivio interesset, subita morte extinctus est, unde rumor extitit, conductam a Gunnhilda Regum-genitrice feminam quandam, quæ ei mortiferam potionem misceret. Post hæc Thrandi Sigurdum sibi regem sumserunt; uno vero post anno mortuus est Haraldus Pulcricomus, atque juxta Högasundum (fretum tumulorum) tumulatus.

Cap. 6. Proxima post hieme Eirikus medii regni vectigalia ad se redegit; sequenti autem vere magnum imperavit militum (et navium) numerum, ventoque usus secundo in Vikam contendit, dum et Vikenses et Thrandi locis compluribus in contrahendis militibus erant occupati.

---

[1]) hic incipit *C.*

Rex Sigurdus pedestri itinere in Vikam profectus, fratrem suum, regem Olavum, convenit; qui ambo Tunsbergi una commorabantur. Eirikus tam ferentibus ventis usus est, ut nocte dieque navigaret, nulla eum præcurrente fama, antequam Tunsbergum pervenisset. Tum Olavus ac Sigurdus oppido egressi, in clivo qvodam, ab orientali parte oppidi sito, aciem instruxerunt. Eirikus, superior numero copiarum, victoriam adeptus est, Sigurdus autem et Olavus ceciderunt, atque quo loco ceciderunt, eo loco tumulati sunt. Tryggvius et Gudrödus in Upplanda aufugerunt. Quo facto Eirikus regnum totamque Vikam sibi subjecit, ibique hac æstate diu commoratus est.

Cap. 7. Eadem æstate ab Anglia advenit Hakon Adalsteinis alumnus. Hic primo in Thrandheimum profectus, Sigurdum, dynastam Hladensem, omnium Norvegorum sapientissimum, convenit; a quo amice exceptus, inita cum eo societate, amplam ei ditionem, si rex Norvegiæ fieret, pollicitus est. Deinde indictis frequentibus comitiis, Sigurdus dynasta, nomine Hakonis, ad populum verba fecit, eumque colonis regem obtulit. Quo facto ipse Hakon surrexit. Tum nonnulli inter se dixerunt, rediisse Haraldum Pulcricomum, juventuti redditum. Hakon orationem suam ita orsus est, ut a colonis regium nomen peteret, et simul, ut sibi auxilium et operam ad regiam tuendam dignitatem præstarent; vicissim pollicitus, se eos proprii fundi possessores facturum, eisque quæ incolebant hæredia redditurum. Tanto omnium applausu excepta est hæc oratio, ut colonorum turba, sublato clamore, hunc velle regem sumere diceret; sicque factum est, ut Thrandi eum regem totius provinciæ crearent; quo facto provinciam obiit, atque satellites sibi legit. Tu-

lit fama in Upplanda, regem sibi sumsisse Thrandos, talem per omnia, qualis fuerat Haraldus Pulcricomus, hoc uno excepto, quod Haraldus omnes regni incolas servitute oppressisset, hic autem Hakon omnibus bene cuperet, atque polliceretur, colonis redditurum se ea hæredia, quæ Haraldus eis ademisset. Omnium animos gaudio implevit hujus rei nuntius, ab altero alteri traditus, qui ignis instar, per arida gramina serpentis, ortum versus ad terminum usque regni volavit. Multi ab Upplandis profecti regem convenerunt, alii legatos aut nuntios ad eum miserunt, ut indicarent, se ei subditos esse velle.

Cap. 8. Initio hiemis rex Hakon in Upplanda profectus, conventum ibi habendum indixit; omnisque populus, qui proficisci potuit, cum convenit. Tum in omnibus comitiis rex creatus est. Inde in Vikam contendit, ubi ad eum veniebant Tryggvius et Gudrödus, ejus ex fratre nepotes, multique alii, de injuriis querentes, quibus ab rege Eiriko, fratre ejus, affecti sibi videbantur. Odium in Eirikum eo magis crevit, quo magis omnes gratiam Hakonis captabant, et quo liberius, ejus auctoritate freti, sensa sua aperire audebant. Rex Hakon cognatis suis, Tryggvio ac Gudrödo, regia nomina dedit, et ditionem, quam patribus eorum dederat Haraldus Pulcricomus: Tryggvio Ranrikum et Vingulmarkam, Gudrödo Vestfoldam; sed cum essent ætatis juvenilis, viros prudentes constituit, quorum auctoritate rempublicam administrarent. Hanc ditionem iis dedit eadem conditione, qua filiis suis dederat Haraldus Pulcricomus, ut omnia tributa et vectigalia ex dimidia parte haberent. Insequenti vere rex Hakon boream versus in Thrandheimum profectus est, eique provinciæ multos milites imperavit; Vikenses vero exercitum bene magnum ab oriente ad-

duxerunt. Eirikus per medias regni provincias copias contrahebat, parvo cum successu, nam multi ex potentioribus eum deseruerunt atque ad Hakonem transierunt. Qui cum se destitutum opibus animadverteret, quibus Hakoni resisteret, occidentem versus per mare navigavit, cum militibus, qui eum seqvi volebant. Primum Orkneyas adiit, magnumque (inde [1]) militum numerum abduxit; deinde in Angliam navigavit, ibiqve infestis signis (hostiliter) grassatus est. Adalstein [2], rex Angliæ, misso ad regem Eirikum nuntio, obtulit ei provinciam aliquam Angliæ suo nomine administrandam: tantum enim fratribus, Hakoni et Eiriko, tribuendum putavit, ut in gratiam invicem redirent. Sic ille, quoad vixit, rex præfuit Northumbriæ, ipsi ab rege Adalsteine concessæ, quæ quinta pars Angliæ esse dicitur. Eirikus in regnis occidentalibus, dum piraticam exerceret [3], occubuit. Eiriko et Gunnhildæ multi erant liberi; horum filii erant Gamlius, Sigurdus Sleva, Haraldus Grafeldus, Erlingus et Guthormus [4]: filia Ragnhilda, quam duxit Arnfinnus [5].

Cap. 9. Rex Hakon Norvegiæ imperavit annos viginti et septem [6]. Hoc imperante tam bona erat temporum conditio, ut eam incolæ omni ævo in memoria habuerint: tum enim in Norvegia omnium rerum tam mari, quam terra, bonus erat proventus; tam bona pax, ut nemo alterius bonis noceret, pacemve violaret. Rex Hakon hilaritate, eloquentia et modestia ceteros superabat; insignis erat sapientiæ, et in legibus constituendis studium magnopere collocavit: ille primus leges Gulen-

[1]) Videtur excidisse *þaðan*, confer *Fornm. S.* I, p. 22. [2]) Ita *cet.*; Adalradus, *A* pravè. [3]) Cod. *A.* h. l. prave habet *austrviking*. [4]) Frodius, add. *B*; Ragnfrödus, Gudrödus, add. *cet.* [5]) (*A* Thorfinnus) Arnfinnus dynasta, filius Thorfinni dynastæ, *cet.*, quod rectius esse, docet *Fornm. S.* I, p. 29. 198. [6]) sex, *D*, *F*; tres, *L*.

ses [1] et Heidsævenses ab initio posuit, antea vero quisque rex leges habuerat, et fere quæque provincia suis legibus usa fuerat. Rex Hakon Sigurdo dynastæ, affini suo, imperium totius Thrandheimi dedit, ut olim habuerat, et ante eum pater suus, regnante Haraldo Pulcricomo. Aderat aliquando rex Hakon convivio, quod Sigurdus, affinis ejus, Hladis apparaverat. Tum Bergljota, uxor dynastæ, regis Hakonis ex sorore neptis, filium peperit, quem rex aqua lustravit, suumque nomen imposuit. Hic puer ibi (Hladis) educatus est, et extitit vir magnæ auctoritatis et potens, posteaque dictus est dynasta Hladensis; qui mente sagacissima fuit omnium, quos hæc regna borealia tulerunt, hominum. Rege Hakone imperante, filii Eiriki Blodaxæ in Norvegiam venerunt, atque de summo imperio adversus eum dimicarunt, multaque prælia fecerunt, rege semper victore; in horum aliquo cecidit Gamlius, Eiriki filius. Ultimum prælium commiserunt Fitis in Storda Hördiæ, in quo victor Hakon, letali accepto vulnere, in Petra Hakonia exspiravit, quo loco in lucem editus fuerat, atque Sæheimi [2] tumulatus est.

Cap. 10. Post hæc filii Eiriki totum regnum sibi subjecerunt, atque omnibus incolis polliciti sunt, se leges, ab rege Hakone constitutas, servaturos; iidem viris principibus eosdem, quos antea ab rege Hakone acceperant, honoris titulos, aliaque quibus usi fuerant privilegia, concesserunt. Qui cum ad regnum accessissent, atque imperio invaluissent, visus iis est Sigurdus, Thrandheimi dynasta, nimia uti potestate. Frater Sigurdi dynastæ nominabatur Grjotgardus, natu minor, minorisque æstimatus. Hunc Eiriki filii hortati sunt,

[1]) et Frostenses, add. *cet.* [2]) prædium Hordiæ Borealis, nunc *Seim (Geogr. Oplysning til Kortet over det sydlige Norge, ved C. J. Pontoppidan*, Havn. 1785, p. 228).

ut Sigurdum fratrem interficeret, eique ad hanc rem milites dederunt; et plerique dicunt, aliquem ex fratribus in his insidiis consortem fuisse. Postea sinum Thrandheimicum intrarunt, et noctu Uglam delati, domum, in qua Sigurdus dynasta erat, militibus circumdederunt, ipsumque cum multis hominibus in ædibus cremaverunt, atque hoc facto discesserunt. Hoc accidit duobus annis postquam cecidit rex Hakon, teste sacerdote Ario Polyhistore, Thorgilsis filio. Tum Hakon, Sigurdi filius, erat viginti quinque [1] annorum, necessitudinibus et generis amplitudine pollens, cujus pater Sigurdus apud omnes incolas gratiosus fuerat. Hinc in auxiliis comparandis tanta usus est felicitate, ut universi Thrandi in partes ejus transirent, et provinciam contra Eiriki filios defenderent, neque eorum quisquam ostium sinus Thrandheimici ingredi auderet. Quare viri, utrisque amici, intercedentes de pace agere cœperunt. Eo res venit, bonis viris hortantibus, ut pax ita conveniret, ut Hakon omnes obtineret Thrandheimi provincias, quas Sigurdus dynasta, pater suus, tenuisset, dynastæque titulo gauderet, Grjotgardus vero, unacum his, quos [2] dynasta designasset, pacis conditionibus exclusus, Norvegia excederet. Inter Hakonem atque Gunnhildam jam intima viguit amicitia, jam invicem dolis certabant. Hakon dynasta per aliquot æstates in oras maris Baltici populabundus excurrebat; tumque patruum Grjotgardum, duos dynastarum filios, et cum his multos, qui cædi Sigurdi dynastæ, patris sui, adfuerant, occidit. Convenit Haraldum Gormi filium, Daniæ regem, cum quo societatem iniit. Idem in provinciam, quam in Norvegia habuit, reversus est, atque vir potens et perquam sapiens extitit.

[1]) fere viginti, *C,D,E,G,H.* confer *Fornm. S.* I, c. 35.
[2]) Hic incipit lacuna in *E.*

Cap. 11. Fuit rex Tryggvius Olavi filius potentia ac dignitate insignis, atque maxime idoneus, qui toti regno imperaret, a Vikensibus judicatus est. Habuit in matrimonio Astridam, Eiriki Bjodaskallii filiam. Gudrödus, Björnis filius, dignitate quoque conspicuus, apud Tryggvium, cognatum suum, versabatur; hic bonam dignamque conjugem sibi conciliaverat; ejus filius erat Haraldus, qui in [Grenmarkam ad Hranium [1] Album, ut educaretur, missus est: hujus filius erat Ranius Peregrinator, Haraldo ætate ferme par, ejusque coalumnus. Æstate quadam Hakon dynasta ex Dania reversus, tempore locoque condicto, Tryggvium ac Gudrödum reges convenit, atque cum his, remotis arbitris, diu colloquitur; quo facto boream versus domum se contulit. Gunnhilda ac filii, hoc cognito, suspicati sunt, perniciosa in rempublicam consilia adversus se agi. Sequenti vere fratres, Haraldus Grafeldus ac Gudrödus, Gunnhildæ filii, in piraticam excurrere comparant, et seorsum proficiscuntur, vehementem iram et discordiam simulantes. Ubi vero in Vikam pervenerant, Gudrödus orientem versus per sinum Foldensem [2] navigavit, Haraldus vero Tunsbergum contendit. In terra haud procul inde Gudrödus Björnis filius se continebat. Huc profectus Haraldus, domum milite cingit, et ignem ædibus injicit. Exiit Gudrödus ac sui, ibique cecidit, et multi cum eo homines. Eodem tempore Gudrödus regem Tryggvium, per fidem circumventum, in oriente juxta Veggos [3] interfecit; hoc accidit sex hiemibus post quam Sigurdus dynasta cecidit.

[1]) Grænlandum ad Hroium, *cet.* consentiente *Fornm. S.* I, p. 60, *Hkr.* V, cap. 11. [2]) i. e. Christianiensem s. Opsloensem, v. Undalini Descr. Norv. p. 28. [3]) juxta Sotanesum, *Fornm. S.* I, p. 60. Tab. geogr. vulgares *Sodenæs* habent in præfectura *Bahuslæn*.

Post hæc filii Gunnhildæ totum regnum in potestatem suam redegerunt; iidem multos alios, atque magnæ auctoritatis principes, e medio sustulerunt, quidam ab eis pulsi patria excesserunt. Rex Haraldus Gudrödi filius, qui dictus est Grænlandus, primo cum Ranio sodale suo in Upplanda aufugit, ubi apud cognatos suos perdiu commorati sunt. Eiriki filii eos diligenter quærebant, qui causis adversus eos impliciti erant, maximeque hos, a quibus seditionem metuebant; quare Haraldo svasere amici ac cognati, ut patriam relinqueret. Itaque Haraldus Grænlandus orientem versus in Sveciam concessit, societatem, cui se adjungeret, circumspiciens; atque globo se adjunxit juvenum, qui opum parandarum causa in piraticam excurrere solebant. Fuit artis naturæque bonis apprime instructus. Tostius dictus est vir quidam in Svecia [1], hujus regni incolarum, qui quidem dignitatis titulo carerent, facile potentissimus et honoratissimus: idem belli studiis cum maxime deditus, et diu in piratica versatus, quapropter Skögulæ-Tostius appellatus est. Hujus societati rex Haraldus Grænlandus se adjunxit. Hac æstate conjunctim piraticam faciebant, Haraldusque omnibus valde probatus est; idem sequenti hieme apud Tostium versatus est. Erat Tostio filia, nomine Sigrida, juvenis et formosa et generosæ indolis [2]. Haraldus quinque hiemes cum Tostio fuit.

Cap. 12. Fuerunt Eiriki filii virtute et artium peritia insignes, crudeles vero atque in omnibus rebus vehementes. His regnantibus magna fuit in Norvegia difficultas annonæ terra marique, gravisque tota terra fames. Tandem factum est, ut

[1]) Sequitur lacuna in *C.* [2]) vehementis et elati ingenii, *B,D,G.*

viri, auctoritate pollentes, iniquitates eorum perpeti nollent. Dux Klyppus, filius Thordi, Karii Hördensis filii, regem Sigurdum Slevam obtruncavit. Regem Erlingum rustici interfecere. Hakon dynasta, opibus rusticorum adjutus, in Thrandheimo sedem habuit; interdum vero in Dania apud regem Haraldum Gormi filium versabatur, interdum in terris orientalibus piraticam exercebat. Hic Gullharaldum [1] convenit, et autumno in Daniam unacum eo rediit, ubi ambo reliquum autumni et sequentem hiemem apud regem Danorum sunt commorati. Ea hieme regi Haraldo Grafeldo dolos machinabantur. Rex (enim) Haraldus Gormi filius nuntium misit regi Haraldo Grafeldo Eiriki filio, cognomini suo, eumque ad se invitavit; cum vero in Limafjördum, quo loco Hals appellatur, venisset, superveniens Gullharaldus, majorem habens numerum copiarum, cum cognomini suo conflixit, ibique rex Haraldus Grafeldus, Eiriki filius, cecidit. Post paulo Hakon dynasta eo advenit, et Gullharaldum adortus est, quem vivum captum arbori suspendit. Eadem æstate rex Haraldus Gormi filius in Norvegiam profectus est, septingentas naves habens. Secuti eum sunt Hakon dynasta, Haraldus Grænlandus, multique alii viri, qui ab Eiriki filiis e Norvegia pulsi, avita prædia et possessiones reliquerant. Rex Haraldus eo usque contendit, donec Tunsbergum in Norvegia pervenit. Hic universus populus ad eum transiit, multi ad eum milites confluxerunt, magnaque hominum multitudo. Tradidit rex Haraldus Hakoni dynastæ totum illud territorium, quod in Norvegia obtinuit, idque ejus imperio commisit: nempe Rogalandum, Hördalandum, Sognum, provinciam Fjördensem, Mæriam australem, Römsda-

[1]) Haraldum Grænlandum, *D,G,* pravè.

lum, Mæriam borealem. Has septem provincias administrandas ei dedit eadem conditione, atque filiis dederat Haraldus Pulcricomus, eo tamen discrimine, quod Hakon omnia regia prædia ac reditus in Thrandhelmo obtineret, et præterea, si terram ab hoste defenderet, regia pecunia uteretur. Haraldo Grænlando, cognomini suo, dedit Vingulmarkam, Vestfoldam, et Agdas usque ad Lidandisnesum, regiumque nomen; quam ditionem ei concessit eodem jure, quo eandem ditionem majores sui ante eum tenuerant. Tum Haraldus Grænlandus octodecim erat annorum, et vir inclytus postea extitit. Hakon dynasta cum copiis boream versus secundum litora contendit. Quo cognito Gunnhilda ac filii, cum in magna essent auxiliorum difficultate, idem consilium capiunt, quod antea ceperat Eirikus, ut occidentem versus per mare in Orkneyas navigarent. Hakon vero dynasta totum sibi regnum subjecit, et diu postea ditione tenuit. Cum vero crebro accideret, ut Gunnhildæ filii excursiones in Norvegiam facerent et cum Hakone dynasta prælia committerent, factum est, ut dynasta omnia vectigalia, quæ regi Danorum erant, in sumtus suos impenderet; vicissim autem regi Danorum accipitres aut equos aut partem tributorum misit; interdum vero nihil, donec eum rex severius admoneret. Hic tandem adeo iratus est, ut, trajecto in Norvegiam exercitu, terram hostiliter depopularetur; quo facto nullum ei officium dynasta præstitit. Rex Haraldus Grænlandus omnia cum rege Danorum pacta conventa servavit, et, quamdiu vixit, amicitiam cum dynasta coluit; uxorem duxit Astam, Gudbrandi Kulæ, illustris viri, filiam.

Cap. 13. Cum rex Haraldus regnum Norvegiæ in potestatem suam redigere aggressus est, Uppsalis in Svionia imperavit Eirikus Eymundi

filius, qui obiit, cum esset ferme centum [1] annos natus. Post eum reges in Svecia fuere filii ejus, Olavus, pater Styrbjörnis, et Eirikus Victoriosus, qui diu Sveciæ imperavit; is in senectute uxorem duxit Sigridam Imperiosam, Skögulæ-Tostii filiam: horum filius erat Olavus Svecus, qui post patrem Eirikum rex Sveciæ fuit. Eirikus, Svionum rex, vergente ætate Hakonis dynastæ mortem obiit. Post hæc regina Sigrida in prædiis suis (erant enim ei multa et magna) commorata est; fuit insignis prudentiæ, et de futuris sæpe callidissime conjiciebat.

Cap. 14. Rex Haraldus æstate quadam, cum in terris orientalibus, opum parandarum causa, piraticam exerceret, in Sveciam pervenit. Quo cognito Sigrida, coalumna [2] ejus, missis nuntiis eum ad convivium invitavit, quod ille numeroso stipatus comitatu frequentavit. Liberalis erat convivii apparatus: rex et regina in celsa sede sedebant, et hac vespera unà bibebant. Cumque rex cubitum iret, lectus sericis stragulis stratus, eximieque apparatus est; hoc in cubiculo pauci aderant homines. Cum se rex exuerat vestibus, atque lectum conscenderat, ipsa regina advenit, eique propinavit, et ad bibendum omni studio allexit, se blandissimam exhibens. Utrique, et rex et ipsa regina, bene poti erant. Mox regi obrepsit somnus, regina vero discessit, et cubitum ivit. Postero mane convivium exquisitissime instauratum. Accidit vero, quod sæpe usu venit, cum largiore potu inebriantur homines, ut proximo post die caveant plerique, ne nimio mero obruantur. Jam quoque regina se præbuit quam hilarissimam; ea sic regi dixit, non minoris æstimare

[1]) viginti, *cet.* [2]) *fóðrsystir*, quod Textus exhibet, nullo modo consistere potest, quare legendum puto *fóstsystir*, una cum eo educata; nam Haraldus diserte dicitur *fóstbroðir* Sigridæ, *Hkr.* VI, cap. 48. (Codex *M* revera habet *fóstrsystir*).

se possessiones, quas ipsa in Svecia haberet, quam ejus in Norvegia regiam auctoritatem. His sermonibus rex tristior factus, nulla re jam magnopere delectabatur, et post hæc se ad abeundum paravit, animo æger; regina vero, summam præferens hilaritatem, regem magnis donatum muneribus dimisit. Hinc eodem autumno rex Haraldus in Norvegiam rediit, et per hiemem domi se tenuit, admodum quam tristis. Sequenti autem æstate cum copiis in terras orientales profectus, in Sveciam contendit, et ad reginam Sigridam misit, se velle eam convenire. Illa equo ad eum conveniendum devecta est, atque de multis rebus inter se colloquebantur. Mox intulit mentionem rex, an sibi nubere vellet. Ea hæc inania esse verba asseruit: tu enim (inquit) eam nactus es conjugem, quæ te omnino digna est. Reponit ille: Asta bona quidem et præclara conjux est, non tamen generis amplitudine me æquat. Esse quidem potest, ait illa, ut nata sit loco humiliore, quam tu, illud autem suspicor, in ea jam vestrum utrorumque sitam esse fortunam et prosperitatem. Hæc fere verba inter se commutaverant, cum regina equo vecta discessit. Hinc regem Haraldum gravis incessit indignatio; deinde in terram equitare parat, reginam conventum. Quod quamvis multi suorum dissvadebant, tamen non eo minus cum multis suorum profectus est, et in oppidum venit, cui præfuit regina. Eodem ipso vespere alius rex eo venit ex regno Gardorum, nomine Visivaldus. Utrisque regibus hospitium designatum est in ingenti quodam ac vetusto cubiculo, cujus supellex ædificii vetustati respondebat. Data convivantibus hoc vespere potio adeo inebrians, ut omnes mero obruerentur, omnesque custodes, tam interiores, quam exteriores, somno opprimerentur. Eadem ipsa nocte, jubente Sigrida, igne armisque

oppugnati sunt. Cubiculum cum omnibus, qui intus erant, hominibus incensum: quibus exire contigit, interfecti. Significat regina, ita se regulos deterrituram, ne ab aliis regionibus sui petendæ gratia veniant.

Cap. 15. Proxima ante hieme Hakon dynasta prælium cum piratis Jomensibus in sinu Hjörungorum commiserat. Haraldo in interiora terræ devecto, Ranius, copiarum navalium custos relictus, ad naves remanserat. Ut vero cognoverunt, regem Haraldum e medio sublatum, quam celerrime discesserunt, atque in Norvegiam reversi, hæc quæ gesta erant retulerunt. Ranius Astam convenit, eique hæc eventa profectionis eorum aperit, et hoc præterea, quo successu rex Haraldus Sigridam reginam convenisset. Quo Asta cognito confestim in Upplanda ad patrem se contulit, qui eam ad se recepit. Utrique vero (pater et filia) regi Haraldo succensebant, tam quod divortium cum ea facere cogitasset, quam ob ea consilia, quæ in Svecia fuerant agitata.

Cap. 16. Nocte quadam Ranius per quietem vidit hominem ad se accedentem, tunica serica superinductoque pallio bombycino indutum, armillam auream brachio gestantem; qui sic locutus est: Vigila, Rani! inquit; sum rex Olavus, genius Geirstadensis. Te deligo, ut tumulum meum effringas, quod parvo negotio efficere poteris, si meis uteris consiliis. Allato tecum igne et fune, tumulum tu ingredere, ubi multos homines videbis. Tu vero fac, ne trepides. Hic hominem videbis, eodem quo nunc ego indutum vestitu; ei detrahe galeam, annulum Aurivirgam, gladium et togam, quo facto ei caput abscide, quod facile factu erit. Quod si dictis meis obtemperaveris, fortuna tibi adspirabit, sin minus, poenas dabis. Cingulo, cui culter adhæret, me discinge. Hoc facto

abeundum tibi est, quod spero tibi bene successurum. Si vero mali genii vestes tuas prehendant, quas vestium lacinias attigerint, has gladio abscinde. Te quoque brevi momento vitam meam docebo, tam de constructione tumuli, quam de cultu et visis idolorum; quæ res, ut auguratus fueram, ceciderunt. Sin vero tumulum effringere times, adi Sveinem Hakonis filium, haud procul hinc cum copiis excubantem et pecuniæ inopia laborantem, qui rumore cognovit, in tumulo regis Olavi Crassipedis magnam esse opum copiam. Jam Ranio ostendit, qua parte tumulus effringeretur: Noctu res peragenda est, inquit; nemo propter foetorem, qui ex tumulo exhalabit, eo ingredi poterit: tum tu rem aggredere atque tumulum intra, et paciscere tibi ex rebus pretiosis tres eximias eligendas, reliquæ vero prædæ partem dimidiam. Deinde Sveinem dynastam ora, ut funem teneat, ei enim soli erit audacia et fidelitas ad manendum, donec ex tumulo redeas. Omnem pecuniam, quæ in tumulo, in unum cumulum congesta, jacet, ad divisionem [1] apporta. Abiturus vero tumulum neque silentem neque quietum animadvertes; nam exstingventur lumina, hominesque omnes a tumulo aufugient, præter Sveinem dynastam paucosque alios. Hic deinde postulabit, ut tu trientem, ipse bessem pecuniæ habeat. Tu vero contende, hanc non factam esse inter vos pactionem. Ille urgebit, hoc esse dignitatis inter vos discrimen. Quo ei concesso, in equum insili, neque propius eum sis, quam ut dictum audiri queat, tumque ei cimelia ostende, quæ ille diligentius spectare cupiet; tu vero hujus facultatem nullam concede, atque in sylvam te confer, cursu non prius intermisso,

---

[1]) *til skiptis]* nonne legendum *til festar*, ad funem? (sic revera Codex *M*).

quam ad Astam Gudbrandi filiam perveneris. Hanc ad patrem reduc, uterum enim fert. Quæ si partum tardius enititur, in consilium vocatus, eam cingulo, quod mihi fuit, circumda; id quod pariendi difficultatem amovebit. Cujus præmium postulato, ut, si puer natus fuerit, nominis imponendi potestatem habeas; huic tu nomen Olavi impone, neque eum a te dimitte, dum ambo vivetis. Hic puer auxilium et salus erit nostri generis: nos enim omnes ejus nativitate et obitu ita fere lætabimur, ac si ex morte fuerimus suscitati. Res pretiosas, quas mihi in tumulo eripies, volo ut Astæ in manus tradas, eamque roges, ut conservet, ac filio, cum adoleverit, tradat. Ranius interrogare sibi visus est: nonne res fuerit nimii moliminis, tumulum tuum, invitis regni præfectis, qui te vivum tantopere dilexerunt, effringere? Vir in somnis apparens respondit: Satis tibi erit auxilium dynastæ, qui longam navem omni instructam apparatu habens, haud procul ab hoc loco in recessu quodam excubat; quo adjutore, nemo tam potens est, ut hac de re controversiam moveat. Dynasta Svein opus habet pecuniæ, cum quo, meo jussu, inita societate, primus omnium tumulum effringe et ingredere. Cave, ne dynasta cimeliis, quæ mihi eripueris, potiatur, hæc enim potius quam reliquam omnem pecuniam eliget. Etsi vero, cum dimidia pars pecuniæ jure ad te pertineat, triens tantum tibi adjudicabitur, tamen rem in controversiam ne adducas. Roga dynastam, ut pecuniam ad divisionem conferri jubeat, posteroque mane, ubi te interea ad abeundum paraveris, ad divisionem veni. His dictis vir in somnis apparens e conspectu abiit. Ranius vero somno expergefactus, quid sibi apparuisset, animum advertit: præclare novit, Olavum, genium Geirstadensem, principem fuisse magna auctoritate et

civium gratia florentem, hominumque prisca religione utentium ab artibus liberalibus instructissimum. Ita cecinit Thjodolvus Hviniensis:

Imperavit Olavus
Ofsio [1] olim,
late celeber,
ac Vestmari [2],
donec dolor pedis,
juxta terræ crepidinem,
[virorum amicum [3]
[opprimere potuit [4];
nunc jacet prælii audax
Geirstadis [*])
rex bellator [5]
tumulo circumfusus.

Hic Olavus, qui filius erat Gudrödi, [venationis regis [6], somnio admonitus mortem suam præscivit. Ranius, cum sciret, vera esse, quæ sibi dixerat, quæque jam evenerant, persvasit sibi quod nondum evenisset somnii, olim quoque eventurum. Hinc statim Sveinem dynastam quæsitum ivit; quem cum loco, quo monstratum fuerat, repperisset, eum adiit. Dynasta eum comiter excepit, et ab eo causam adventus quæsivit; Ranium enim celebrem esse multaque adiisse loca cognovit. Ranius sciscitatus est, an pecunias comparare cuperet. Dynasta se magnopere cupidum esse, si facultas daretur, ostendit. Jam indicat Ranius, quo loco tumulus sit, posse obtineri pecuniam dicens, si sua valerent consilia. Quibus ab dynasta probatis, Ranius dimidium partæ pecuniæ sibi pactus est. Deinde profecti tumulum effregerunt; omniaque, quæ apparens in somnio vir

---

[1]) Uppsio, *F,H;* verum absque dubio legendum est cum *Hkr.* in *Ynglingasaga* c. 54: *ofsa forðum viðri grund of Vestmari,* admodum latæ terræ supra Vestmaros; Vestmaros autem puto fuisse prædium *Vestmoland*, in præfectura *Nedenæs (Geogr. Oplysn.* p. 222). [2]) diis similis, et Grænlandi provinciæ, add. *F.* [3]) *vigfrömustum,* præliis celeberrimum, *F,H.* [4]) *varð at grandi,* noxa affecit, *F. af* (rect. *of) viða tèði,* id. *H.* [*]) nunc *Gjerrestad,* in præfectura *Nedenæs (Geogr. Oplysn.* p. 221). [5]) *sjá,* ille, add. *F.* [6]) *A. Vinda konúngs]* pravè; rectius *Veiði-konúngs*, vide *Ynglingas.* c. 53.

dixerat, evenerunt. Ranius tumulum ingressus est, dynasta vero funem tenuit, ut pactus erat Ranius. Ranius, ut tumulum intraverat, videt hominem spectabilem in sella sedentem, quem cingulo, cui culter aptus erat, discingit: galeam, rem maximi pretii, capiti demit. Quo facto, cum gladium strinxisset, neque primo ictum inferre auderet, sumto demum animo caput ei præcidit, gladio haud secus feriente, ac si in aquam demissus esset. Hoc facto se ad abeundum paravit, omnemque pecuniam, antea in tumulo congestam, fune colligavit. Tum motus in tumulo extitere, lumenque exstinctum est; atque jam animadvertit, plerosque homines a tumulo aufugisse, excepto Sveine et paucis aliis. Ranius funem manibus legendo ex tumulo evasit; pecunia custodiæ commendata. Postero mane, cum convenere, Svein dynasta bessem pecuniæ sibi postulavit. Ranius se jure suo ita defraudari questus est. Dynasta reposuit, eum suis solius opibus ac virtute tumulum minime fuisse effracturum, nisi ipsius auctoritate ac fortuna usus fuisset. Rem itaque tuo arbitrio relinqui oportet, dynasta! ait Ranius. Cumque Ranius equum conscendisset, Sveini dynastæ dixit: nunc tu magnam in me ostendisti injuriam et violentiam; tamen ea retineo cimelia, quæ magni sunt pretii. Hæc locutus est, tanto ab dynasta intervallo, ut voces inter eos exaudiri possent. Dynasta cimelia videre cupiit, Ranius vero cum duobus equis aufugit. Tum equum, quo vectus est, telis eminus confoderunt, ille vero, altero equo conscenso, sylvam immissis habenis petiit. Neque de ejus itinere proditum est, priusquam ad Astam Gudbrandi filiam pervenit, cui res, quæ gestæ erant, exposuit, eamque ad patrem, a quo bene excepta est, reduxit.

Cap. 17. Paulo post Asta parturiebat, atque

gravi morbo laborabat. Quo morbo cum tardius levari posse videretur, magno affecti dolore adsidebant laboranti. Mox medicina, ut cuique in mentem venire poterat, quæri cœpta: Raniusque interrogatus, ecquid consilii in medium proferre posset, rem haud desperatam esse dixit, seque consilium daturum, si infanti, modo puer esset, nomen ex suo arbitrio imponeretur, pollicitus est. Quod cum in ejus potestate fore confirmassent, Ranius cingulum sumsit et ei circumdedit, unde paulo post partu levata est [1].

Cap. 18. Asta Gudbrandi filia puerum [2] peperit, qui, aqua lustratus, Olavus nominatus est. Ranius eum aqua lustravit. Sunt qui dicant, Gudbrandum, propter odium, quo patrem pueri prosecutus sit, educare puerum noluisse; cum vero significasset Ranius, se super domo, in qua natus sit, lumen conspexisse, ipseque Gudbrandus spectatum accessisset, puerum susceptum et magno amoris affectu educatum fuisse. Ranius ei in primæ dentitionis memoriam cingulum et cultrum, cumque maturuerat, armillam et gladium donavit. Olavus [3] apud Gudbrandum et Astam matrem educatus est.

Cap. 19. Post aliquot annis, Gissur Gudbrandi filius, vir præfecti dignitate, et Sigurdus Porca, tum temporis Ringarikii rex, multis adjuti fautoribus, Astam, matrem Olavi, ambierunt. Fuit rex Sigurdus sapientia insigni, magna auctoritate, pecuniis dives, sed in erogando parcior. Gissur erat pecuniæ largus, et ingenio magis populari. Heic cum plurimorum esset sententia, huic feminam nuptum dare, Asta filium Olavum, tum sex annos natum, gremio imponit, et quærit

[1]) Duo præcedentia capita absunt in *B,D,G,L*, sed *F* et *H* diversam et verbosiorem expositionem habent. [2]) hac æstate, add. *cet.* [3]) Hic puer primo ibi &c., *cet.*

ab eo, an advertisset animum, quæ sit horum virorum istuc adventus causa. Cui Olavus: intelligo quidem, sed nunc magis arridet, cum pueris ludere, quam de rebus seriis cogitare. Asta: fatendum est, hoc vires, quas pro ætate habes, superare, at vehementer erro, si non aliquid dicere habes, ex quo mea possim fata intelligere. Olavus: quanta tibi est ambitio, mater? Asta: hanc mihi non deesse arbitror. Olavus: utrum præoptas, post mortem, aut dum vivas, filium habere præfecti dignitate, an talem, qui Norvegiam justo imperio teneat. Ea contra: harum rerum quæ sint discrimina, novi. Olavus: hoc mihi dicit Ranius, educator meus, ramos non ita [1] præstare ipsi arbori, ut velis gnatum ex præfecto suscipere, cum tibi liceat, regem ex eo procreare, qui per omnia generis stemmata ex regio sangvine ortus sit. Quod dictum causam Sigurdi valde commendabat. Hinc constitutum est, ut rex Sigurdus Astam, matrem regis Olavi, uxorem duceret. Erat ille peritus administrandæ reipublicæ, a re militari alienus, justus et in omnibus rebus moderatus. Olavus Haraldi filius apud Sigurdum, vitricum suum, et matrem Astam educatus est.

Cap. 20. Una post hieme, quam Haraldus Grænlandus in Svecia obierat, Thrandi Hakonem dynastam e medio sustulerunt, atque Olavum Tryggvii filium regem creaverunt. Erat hic vir excellentissimus, atque artis naturæque bonis Hakoni Adalsteinis alumno simillimus. Idem erat religione christiana bene instructus, veramque religionem primus regum Norvegicorum observavit: totam Norvegiam multasque alias terras christianas reddidit, et præclarus rex fuit; totum

[1]) Putavi pro *þèr* legendum esse *þvi*, quæ voces perquam similibus notis exprimuntur, ut ex Tabula, scripturam codicis repræsentante, lin. 18. 22. 23, apparet. (Ita revera Cod. *M.*).

peragravit regnum, ut incolas ad amplectendam religionem hortaretur. Cum in Ringarikium venit, convivio exceptus est ab rege Sigurdo Porca. Tum rex Sigurdus suique omnes baptizati; baptizatus et Olavus Haraldi filius, cui ipse rex Olavus patrini officium præstitit. Rex Olavus, cum cognominem suum baptizandum susciperet, dixisse fertur, se talem habere filium cupere, præclaram in eo regii principis indolem esse testans. Olavus quoque Haraldi filius parem intercedere rationem significavit, cum ipse talem sibi optaret patrem, qualis rex Olavus Tryggvii filius esset, ob eximia naturæ bona et potentiam, qua plerosque Septemtrionis reges superaret. Mature quoque apparuere sapientium virorum optima de Olavo Haraldi filio judicia, divinantium, quam eximius vir futurus esset, tam ob suam vivendi rationem, quam ob res, quas præclare gesturus esset, prouti postea apparuit. Ranius, ut dictum est, apud Astam versatus est, et Olavum Haraldi filium educavit. Olavus prima jam ætate magnam de se spem fecit, forma fuit pulcra, statura mediocri, prudentia jam tum insigni, et ore diserto. Rex Sigurdus diligentissimus erat œconomus, domesticos opere faciundo assidue exercebat, ipseque sæpe ivit inspectum agros, quin etiam in fabricas, aut si quid operis administraretur. Aliquo tempore, cum rex Sigurdus domo equitare vellet, neque domi esset quisquam, quin aliquo opere esset occupatus, Olavum, privignum suum, equum sibi sternere jussit. Qui cum egressus sellarium stravisset, jumentumque paratum esse ostendisset, rex Sigurdus egressus, cum animadverteret, ut Olavus rem curasset, locutus est: perspicuum est, velle te jussa, quæ minus animo tuo arrideant, detrectare; apparet quoque, nos indole esse dissimiles, teque vehementioris,

quam me, ingenii esse. Olavus ad hæc pauca respondit; regi autem caprum aliquem straverat.

Cap. 21. Accidit aliquando, ut Olavus venatum equitaret, viro comitatus Sognico, qui nominatus est Haldor, appellatus vero Rannveigæ filius. Hic eo die, cum feras persequeretur, equo decidit. Vespere autem, cum domum redissent, Asta ei potum attulit. Tum Olavus hos versus cecinit:

Imple cornu, femina!
ex equo decidit
Rannveigæ filius,
equitantibus juvenibus.
Haud norunt Sognii
jumentis sellariis
satis bene vehi;
affer mihi et tibi!

Haldor aliis versibus Olavum compellavit, ad rem antea gestam respiciens:

Imple cornu, femina!
regem Olavum
audivi patravisse
rem valde miram:
cum suo vitrico
caprum sterneret
ad equitandum;
fer[1] mihi et tibi!

Cap. 22. Olavus Tryggvii filius quinque annos Norvegiæ imperavit; cecidit in prælio ante Vindlandiam, ut in ejus historia commemoratum est, cum adversus Sveinem Haraldi filium, Daniæ regem, qui tum in matrimonio habuit Sigridam Imperiosam, et adversus Olavum, Svionum regem, et dynastam Eirikum Hakonis filium dimicaret. Posthæc dynastæ Eirikus et Svein, Hakonis filii, Norvegiæ imperaverunt, et regi Danorum et Svionum tributa penderunt. Knutus Potens erat filius regis Sveinis. Svein, Danorum rex, exercitum in Angliam trajecit, contra Adalradum Jatgeiris filium, Angliæ regem, pugnaturus. Hi prælia inter se conseruerunt, varia fortuna, varia victoria. Rex Svein præsidium Vikæ imposuit, regionemque ab orientali sinus parte sub sua potestate tenuit.

[1]) *fær*] *ber*, *F*, quod postulat metri ratio.

Cap. 23. Olavus Haraldi filius cum octo esset annorum, adfuit aliquando Astæ matri, arcam quandam perscrutanti. Quærit Olavus, quid ita splenderet in arca? Respondet ea: sunt bullæ gladii. Olavus: quis possidet? Tu, fili, ait illa, hic gladius est Bæsingus, ab Olavo genio Geirstadensi possessus, quem tibi dono dedit Ranius, educator tuus. Olavus: nunc ego accipere et gestare volo. Tradit ei gladium Asta. Cum vero Olavus ensem, qui multo auro erat ornatus, post se per pavimentum aulæ traheret, rex Sigurdus, indignatus telum indignius tractari, alloquitur Astam, dicens, hunc morem esse mulierum, multa liberis, quæ minime opus sint, indulgere, multa vero, quæ sint opus, denegare. Huic Asta: si eum gladio spoliare dolo potes, ita ut non ploret, permitto, sed ploratum ejus nolo. Rex Sigurdus Olavum aliquando inter potandum alloquitur, se velle Bæsingum, in ipsius tamen usum, servare, alium vero ei gladium leviorem, quem gestet, tradere. Olavus nihil respondet. Sigurdus eum iterum alloquitur, tacente Olavo; et denique tertio eum iratus compellat. Cum vero rex eum tertio compellaret, Olavus gladium stringit, vaginam pallio Ranii, educatoris sui, subjicit, regi vero cuspidem porrigit, ipse capulum tenens, atque sic loquitur: non ea sum ætate, ut prohibere possim, quominus Bæsingum mihi invito eripias, sed nulli homini eum aliter trado, quam ut ipse vaginam et capulum retineam. Tum Sigurdus: itaque ipse ensem tuum serva, ego vero te hac de re haud facile sæpius compellavero.

Cap. 24. Cum Olavus decem annorum esset, Sigurdus eum homines ad convivium invitare, ipsumque rebus necessariis prospicere jussit. Ola-

vus omnes domesticas pecudes[1] mactari jussit, et amplius duplo plures convivas vocavit, quam Sigurdus jusserat. Sigurdus significavit, ei se hoc non posthac negotii daturum, res enim mobiles, si ejus curæ mandarentur, brevi interituras. Olavus reposuit, debere reges aliter, quam viles rusticos, vivere. Brevi compertum est, quantas res hic puer animo volveret; quam animi indolem postea experientia amplius comprobavit.

Cap. 25. Olavus Haraldi filius, quemadmodum dictum est, educatus fuit. Fuit mediocri statura, eaque non alta, membris satis compactis et robustis, crinibus ex badio albicantibus, facie lata, lucida et rubicunda; oculorum mira dignitas, cum et pulcri essent et ita clari, ut formido esset, irati oculos intueri. Multarum rerum insignis erat artifex, ut, arcum tractandi et natandi; sagittas ex arcu manuario dexterrime emittebat; artis fabrilis peritia insignis, et in notandis omnibus rebus[2] judicium oculorum erat acutum. Cognominatus est Olavus Crassus; magna fandi libertate vocisque claritate loquebatur, in omnibus rebus celeriter proficiebat, tam maturitate corporis ac virium, quam prudentiæ; omnibus amicis et consangvineis acceptus erat; in ludendo acer certator, omnibus in rebus primas partes pro dignitate tenere voluit.

Cap. 26. Olavus Haraldi filius duodecim annos natus erat, cum prima vice naves bellicas conscenderet. Asta Ranium (qui dictus est educator regis), quod sæpius in piratica versatus fuerat, delegit, ut copiis unacum Olavo præesset. Cum vero Olavus copias ac naves accepisset, milites ei nomen regis dederunt; quo nomine ornari solebant reges bellatores, in piraticam excurrentes,

[1]) omnes unius familiæ pecudes, *F.* [2]) in probandis omnibus operibus fabrilibus, sive ipse fecisset, sive alii, *B,S.*

si natalibus regium nomen ad eos pertineret, quamvis, dum piraticæ vacabant, nullas terras ditione tenerent. Ranius ad clavum sedebat, Olavus vero, celsa sede sedens, navem gubernabat. Orientem versus secundum litora cursum direxerunt, ac primo in Daniam contenderunt. Sic dicit Ottar Niger:

[1]Rex in præliis animose!
juvenis navem propulisti,
visurus Daniam; eximiæ
te fortitudini adsvefecisti.
Profectio tua valde fuit lucrosa (v. magnifica),
o rex! Tu tali strenuitate
potens es factus; certo audivi,
profectum esse te a borea.

Adpropinquante vero autumno Sveciam classe advectus, ferro et igne regiones vastare cœpit, cum in Svecos hostiliter sæviendum existimaret, quod

---

[1]) Ordo: *vígrakkr konúngr! úngr hratt þú* [1]) *vængis dreyra blakki* a) *á vit Danmarkar; þú hefir vandan þik dýrum þrek. För þín, konúngr! varð nýtligust: nú ert ríkr af slíkri hvöt; ek frá gjörva til þess, er fóruð norðan.*

[1]) *hèlztu*, direxisti, *G.*

a) *vængi* h. l. pronuntiandum (itaque etiam rectius scribendum) *vengi*, n., quod h. l. in eodem significatu accipio, ac *vángr* m. campus, æquor, ut aliis quibusdam in locis. Cum *dreyri* non solum de sangvine manante, sed et de quovis manante liquore dicatur, *vengis dreyri*, liquor manans campi, de flumine, et in genere de aqua commode accipi potest; hinc *blakkr vengis dreyra*, navem, aquas percurrentem, significat. Sic vero voces construere visum est, cum Hkr. ed. Havn. T. 6. præferat *vengis blakkr* et *dreyra þrekr*. Nam, etsi *vengis blakkr* bene possit de nave intelligi (non quidem a *vengir*, pirata, ut volunt Interpretes ad Hkr. VII, 4, str. 1. et IX, 15, quæ vox an existat, dubitamus, sed a *vengi*, n. ædicula s. tectum in puppi navis, vide Strömii Descript. Söndmöriæ, et Hallageri Lexidion et Lexicon Danicum Soc. Scient. sub voce *Löfting*): tamen alterum *dreyra þrekr* (fortitudo sanguinis?), de virtute bellica vel pugna, ab usu loquendi veterum alienum esse videtur.

patrem ipsius e medio sustulissent. Ottar Niger expressis verbis memorat, regem Olavum a Dania orientem versus contendisse:

[1]Ornatas naves orientem versus
pér mare remis propulisti;
armatam classem, regni custos!
ab una terra duxisti ad alteram.
Jam velo usus es et navi
adaptavisti gubernacula,
jam multa palmula, trita remigio,
ingentem undam, quæ te vexit, dirupit.
[2]Saturator corvi! gentibus
permagnum incussit terrorem
profectio tua; tu deinde Sveciæ
devastavisti promontoria.

---

[1]) Ordo: *Öttuð* [1]) *skreyttum flaustum* [2]) *með árum austr í salt* α); *landvörðr* [3]), *báruð randir á skip* β), *land* [4]) *af landi. Neyttuð segls ok settuð* [5]) *sundvarpaði* γ); *stundum sleit mörg mjök róin* [6]) *ár mikla báru und þèr.*

[1]) *attuð*, *B,H,L,* id. omissa mutatione vocalis *a* in *ö* ante *u.* [2]) *fleystum, K,* adhibito *ey* pro *au*, ut sæpius, in hac tamen voce contra usum, ut puto. [3]) *landherr, B,* quod regi potest ab *öttuð*, ɔ: remis propulisti copias terrestres unacum ornatis navibus. [4]) Sic Hkr., quod ut aptissimum recepi; *lund, B; lendr, H*, minus a sensum apte; *lind, A*, quod referri possit ad *árum*, ut *lind-ár* sit remus tiliaceus, quamvis hoc minus arrideat. [5]) *sættust, B; söttuð, K.* [6]) *roðin, F,* ɔ: *hroðin,* eod. sensu.

α) vel *öttuð árum austr í salt með skr. fl.*, satellites unacum navibus duxisti &c. β) *bera randir á skip*, proprie est, clypeos (i. e. armaturam) ad naves portare, classem armare; de spoliis non est cogitandum. γ) *sundvarpaðr*, disjector maris, de gubernaculo, undas dimovente, accipio cum Hkr. T. 2, nam sensus est: jam velificando, jam remigando cursum properasti; itaque voculam *stundum* ad sequ. sententiam referendam putavi.

[2]) Ordo: *Dólgstinns* [1]) *svanbræðir* [2])! *drótt var* [3]) *drjúgligr* [4]) *ótti at þinni för; síðan namtu hrjóða Svíþjóðar nes.*

[1]) *döglings, cet.*, forte piratæ, (cfr. Sturl. 2, 13 ubi *dögling-*

Hoc autumno Olavus*) cum piratis conflixit, quorum præfectus nominatus est Sotius. Olavus multo minorem habuit copiarum numerum, naves vero majores. Constituit naves inter syrtes quasdam, unde non sine magna difficultate oppugnari a piratis potuerunt; quæ vero naves acerrimum impetum fecerunt, has injectis manibus ferreis attractas milite nudarunt. Quare factum est, ut piratæ, multis suorum amissis magnaque facta pecuniæ jactura, naves averterent. Sic poëta Sigvatus:

[1]Pinus æquorea juvenem,
cognatum regibus, per freta longe
vehebat; gentes deinde
iram regis pertimescebant.
Ille vero, hominum præstantissimus,
lupi pedem prima vice tinxit
ad scopulos Sotii, in oriente;
res multas teneo memoria.

Post hæc Olavus orientale Sveciæ latus prætervectus, Lacum (Mælarem) intravit, et terram utrinque deprædatus est. Cursum ad Sigtuna direxit, navesque ad Sigtuna vetera constituit, ubi conspici hodieque lapideas substructiones, ab rege

---

ar, prædones), sed obstat metrum; *dólglinns*, gladii, Hkr., quam denominationem insolentiorem putavi, *Fornm. S.* I, c. 30, str. 1. *dólgstinns* qs. *dólgs stinns*, acris pugnæ. ²) *svanbeiðir*, *A*; insolentius. ³) *varð*, *G,K,S*; *stendr*, *D,F*; *viðr*, *B*; *viðt stendr*, *L*. ⁴) *dýrligr*, eximie! *D,F,L*.

*) primum prælium commisit juxta Sotii scopulum, inter scopulos Sveciæ, ubi, add. *D,G,H,K,L,S*.

¹) Ordo: *Sæmeiðr bar hinn únga jöfra kund lángt út at sundi a); þjóð ugði b) sèr síðan konúngs reiði. En hann, æztr manna, rauð fursta sinni úlfs fót við Sóta sker, fur austan. Ek kann c) minni d) til margs e).*

a) Frá grundu, a terra, *G,H*. *b) hugði*, id. *G,L*. *c)* Sic Hkr., *kankaða*, forma dubia, *A*; unde suscepi lect. Hkr. *kann ek til*. *d)* sic *cet.*, *minna*, *A*. *e)* ita *cet.*, *mark*, *A*; quas lectiones ceteris posthabendas judico.

Olavo extremis pontibus suppositas, Sviones tradunt. Sub autumnum audit rex Olavus, copias ab Olavo rege Svionum contrahi, et præterea, regem catenis ferreis fretum interclussisse, custodesque, ne e lacu evaderent, imposuisse, hoc consilio, ut inclusi tenerentur, donec lacus glacie constitisset, eundemque paucitatem suam despicere. Quo cognito, rex Olavus ad Stokksundum regreditur, ea vero non potuit exire, nam ab occidente freti erat castellum, ab oriente numerosus exercitus. Sed cum comperiret, regem Svionum naves conscendisse, seque adoriri statuisse, lingulam in mare usque perfodi jussit. Eo tempore imbres erant. Omnia vero Sveciæ flumina se in Lacum exonerant, qui in mare uno tantum capite influit, adeo quidem angusto, ut multi amnes sint latiores. Ubi vero imbres largius effunduntur, nivesve liquescunt, flumina tanto impetu in Lacum deferuntur, ut per Stokksundum catarractæ instar erumpant, Lacu super ripas effuso. Ubi autem fossa in mare ducta erat, rapidi vortices aquarum erumpebant. Tum rex Olavus omnibus navibus gubernacula demi, velaque ad apices malorum tolli jussit. Ventus secundus a terra spirabat, illi vero naves remis gubernabant, hæ autem per vada ferebantur, atque in mare perveniebant incolumes. Rex Svionum graviter eos reprehendebat, quibus custodia ostii fuerat tradita, ne rex evaderet. Hoc jam fretum Regium vocatur, neque transiri magnis navibus, nisi concitatissima aquarum inundatione, potest. Neque desunt, qui dicant, Sviones lingulam ab rege perfossam, aquamque prorumpentem animadvertisse, magnaque manu adortos multorum hominum jacturam fecisse. Ipsi vero Sviones id infitiantur, falsum dicentes, homines ibi interiisse.

Cap. 27. Posthæc rex Olavus, eodem au-

tumno, in Gotlandiam navigavit, ibique prædas agere constituit. Gotlandi vero, cum copias coëgissent, missis ad eum nuntiis, stipendium obtulerunt; qua conditione accepta, rex ibi hiemavit et stipendia ab colonis exegit. Sic dicit Ottar Niger:

Qui æra solvis classiariis!
populum Gotlandicum coëgisti
stipendium dependere. Non ausi sunt
incolæ te a terra gladio prohibere.
Aufugit populus Eysyslæ;
in oriente sedatam novi
famem ferarum; multi se exhibent
minore, quam rex, fortitudine[1].

Hic et proditum est, Olavum, appropinquante vere, in Eysyslam delatum prædas egisse. Dicunt, eum hic escensionem fecisse, incolas vero ex terra devenisse et manum cum eo conseruisse; Olavum, prælio victorem, fugientes persecutum esse et prædas egisse. Ferunt, cum Olavus in

---

[1]) *Gildir a) flotna a)! þú komt gotneskum her at gjaldi; firar b) þorðuð at varða c) þèr þjóðland d) brandi e). Eysýslu lið rann; ek frá húngr varga þegja f) austr: en margr maðr g) býr um of-minna þrek, en ýngvi h).*

a) flótta, F; itaque *gildir herflótta* foret effector fugæ militum (*μηστωρ φοβοιο*, Hom.). Sed pro *gildir, B,D* legg. *gildis; G, K,L gildr,* utrumque minus apte. *b) fyri, B; fóra,* virorum, *K; jöfurr,* rex! *G,H,S; farar, L,* ɔ: *þjóðlönd þorðuð at varða þèr farar brandi,* non ausa sunt regna, populis habitata, itinera tua gladio (vi) prohibere. *c)* ita ceteri omnes; *verða, A. d) þat land,* ab ea terra, *G,H,S; þjóðlönd,* in plur. *cet. e) röndu,* clypeo, *B,D,K;* eod. sensu, nam clypeus sæpe pro armis usurpatur. *f)* ita *F,K,S; deyja,* mori, *A; heyja, B,D,* ɔ: *heyja húngr,* facere famem, pro pati famem, esurire; *þeysa, G,H,* incitare; *þreyja,* constanter ferre, *L;* quæ omnes lectiones sensui repugnant, et ex *þegja* (tacere, h. l. cessare) ortæ videntur. *g)* ita dedi, sec. Hkr., svadente constructione, pro *meðr,* plur., *A. h) úngi,* juvenis, *D,G,S; ýngri,* junior, *reli-*

Eysyslam venisset, colonos ei primo stipendium esse pollicitos, ideoque eum a prædando abstinuisse; ubi autem stipendium adportaretur, regem cum manu panoplia armata obviam processisse, rem vero aliter, quam coloni polliciti fuissent, se dedisse, hos enim non stipendia, quæ regi penderent, sed arma hostilia, quibus eum impeterent, attulisse, quemadmodum demonstratum est. Sic Sigvatus poëta:

Accidit porro, ut victor discederes,
neque doli latuere. Olavus
commissum ivit mucronum
procellam in vacua Eysysla.
Hic etiam, rex! pedibus salutem
acceptam referebant coloni,
qui se fuga subduxerunt;
pauci loco manentes vulnerati sunt[1].

Posthæc rex Olavus retro in Finnlandiam navigavit, ubi facta escensione prædas agebat. Populus, relictis oppidis, in sylvas aufugit, ut nulla præda potiti sint. Deinde rex longe in terram

---

qui, hoc ordine: *en margr enn ýngri maðr býr um of-minna þrek*, multi homines (rege) juniores minori alacritate sunt.

a) *gildir flotna* etiam verti potest, qui tributum imponit viris; idem *gildir* vide supra (Vol. I, pag. 44, not. a), h. l. autem referendum videtur ad *gildi*, n. tributum, merces, Völusp. 21, unde *skattgildi*, n., et verb. *skattgilda*, a *gjald*.

[1]) Ordo: *þar a) var enn, er unnuð b), nè svik fálust c). Olafr gekk d) heyja odda hrið e) i auðri f) Eysýslu. Allvaldr! g) bændr, þeir er undan runnu, áttu enn fjör sitt fótum gjalda; fár h) beið sára or stað.*

a) þat, cet., eodem sensu. *b) önnur*, *B,D,F,K,S*; *annat*, *G*, *H*, ɔ: *er Olafr gekk heyja önnur (annat) odda þing*, ut Ol. alterum prælium committere aggrederetur; quod magis placet. *c) fálud*, occultasti, *B*, ut ad Olavum referendum sit. *d) gat*, periphr., *B*. *e) þing*, conventum, *cet.*, eod. sensu. *f) eyddri*, vastata, vel incolis vacuata, *cet.* *g) allvald*, *B*; *allvaldi*, *F,G*, *H*, ut regatur a præpos. *undan*. *h) farir*, *G*; perp.

per sylvas quasdam progressus, in valles habitatas, qui Herdali dicuntur, devenit, ubi parum prædæ, nullos homines nactus est. Declinante die ad naves reversi, cum in sylvam venissent, undique multitudine, impetum acriter faciente, circumdati sunt. Rex suos jussit armis se defendere. Hic multos suorum amisit, antequam e sylva evaderent, multique vulnerati sunt. Vespere ad naves pervenit. Nocte sequenti Finni tempestatem magicam et maris æstuationem adversus eos ciebant. Rex vero ancoras velaque navium tolli jussit, atque occidentem versus oram terræ adverso vento prætervehi contendit. Hic plus valuit fortuna regis, quam Finnorum magia; nam, ora Balagardi superata, in apertum æquor excurrere iis contigit. Finni autem, rege per exteriora navigante, per superiora tendebant, sperantes fore, ut regii jam jamque in terram rejicerentur. Ita dicit Sigvatus poëta:

Acre prælium tertio
gestum est a principe regio,
cum Finnis belligerante,
in periculosa expeditione Herdalensi.
Sed in oriente, juxta litus
Balagardi, unda liberavit
rates bellatorum, mox affusa
navalibus lateribus[1].

---

[1]) Constructio: *Hin a) þriðja b) stáls hrið fylkis niðs c) varð straung, at fundi Finnlendinga, á d) striðri Herdala gaungu. En austr við Balagarðs siðu e) leysti lá lið f) vikinga, lá siðan g) at barði brimskiðum α).*

a) Sic dedi sec. Hkr.; *hinn B,D,G; hina, F,H,L,S. b) þriðju, F,L. c) móts,* conventûs, *H,* ɔ: *hrið hins þriðja stáls móts,* impetus tertii prælii. *d) í,* aptius, ut puto, *cet. e) skeiðir,* naves, *B,D,F,K,L,S; skeiðar,* id. *G,H. f) leið, cet.* vide *α. g) siða,* latus, ora, *B,H,L,S; siðu, G.*

α) Secundum Hkr. et plurimorum Codd. lectiones posterior

Post hæc rex Olavus in Daniam navigavit, et ad Sudurvikam[1] appulsa classe, quartum prælium fecit, teste Sigvato:

Ferunt porro, auctore rege,
sonoram quarta vice pugnam
inceptam esse (eum manebit gloria,
qui pulcre se tutatus est):
quando inter principum copias
pax vehementer dissoluta est,
ad mare exterius, in consita
Sudurvika, Danis nota[2].

Inde rex Olavus austrum versus in Frisiam navigavit. Ante litus Kinnlimicum vehementi tempestate naves in ancoris tenuit. Hic in terram cum suis egressus est, incolæ vero cum copiis adversum eos processerunt atque conflixerunt. Sic Sigvatus poëta:

Prædonum repressor! prælium
quintum fecisti, viris periculosum
(latera navium non sustinuere
procellam ante Kinnlimicum litus);
quando equitaverunt copiæ

---

semistropha vario modo construi potest: 1) *en austr við lá-leið leysti* (ɔ: *hann*) *víkinga skeiðar; Balagarðs síða lá at barði brimskiðum*, ɔ: (ille) solvit (e portu) naves juxta mare, ora Balag. obversa jacuit navibus; 2) *leið leysti vík. skeiðar austr við lá*, fluctus quassavit (ɔ: dissipavit) naves bellatorum juxta mare, &c. 3) *víkinga skeiðar leysti* (i. e. *leystu*) *leið austr við lá*, naves bell. secabant undas ad littora maris orientalis.

[1]) hodie *Sudervig* in diœcesi Ripensi, Index Geogr. Hkr. Tom. 6.

[2]) Constructio: *Kváðu gram enn valda fjórða sinni upphöfum gunnar galdurs a) [ek frá b) dýrð c) vinnast þeim, er vel varðist]: þá er friðr gekk ólitit d) sundr ámiðli jöfra liðs e) í f) sáðri g) Suðrvik, Dönum kuðri.*

a) gjalds, id, *D,F,L.* *b)* add. cet. *c)* nescit *G.* *d) ólitill*, firma, *B,K,S; ólitil, G,H; ólitum, L.* *e) lið, B.* *f) með G.* *g) sliðri, B,D,F.H,K,S*; puto, longa; *suðri*, prave, *L.*

ad naves regias, principis vero
exercitus contra viros ad pugnam
splendide armatus contendebat[1].

Cap. 28. Dicitur rex Olavus, cum in regno orientali (ad mare Balticum) piraticam exerceret, mercaturam aliquo tempore cum paganis fecisse. Comites regii, animadvertentes, ea in regione versari divinatricem aliquam, quæ fata vitamque hominum prædiceret, colloqui cum ea cupiebant. Interrogant regem, an in colloquium ejus venire, et de fatis suis sciscitari velit. Ille se nolle significavit. Interrogant porro, an illis permittere velit, ut ejus nomine sciscitarentur. Rex se non vetare quidem, minus vero cupere ostendit. Deinde divinatricem interrogant: an de rege nostro, quamdiu victurus sit, aut quæ res ei mortem sit allatura, animum advertisti? Ea loquitur: stant super ævo ejus terroris radii, quos adversum adspicere mihi concessum non est. Hoc vero regi vestro dicite, eum semel in vita verbo lapsurum, atque hoc eodem die vitam positurum. Hinc intelligi potest, quam observans fuerit legum divinarum, qui neminem voluerit de fatis suis consulere, cui non esset vi divina præmonstratum.

Cap. 29. Aliquo tempore, cum Olavus, paganas gentes bello persequens, multos ethnicorum prostravisset, magnamque prædam contraxisset, milites regii prædam, in hac expeditione

---

[1]) Ordo: *Hlenna hneigir! vanntu hið fimta höldum a) grimmt vig; hlýr þolduð b) hrið fur hárri Kinnlimasiðu: þá c) er herr d) reið e) ofan at ræsis skeiðum f), en hilmis lið gekk við rausn igegn rekkum at gunni.*

a) hjálmum, galeis, *cet.* *b) þoldu*, patiebantur, *cet.* *c) þar*, eod. sensu, *B,D,F,L,S.* *d) hverr*, quisque, *B; ferð*, turba, *D, E,L.* *e) reiðr*, iratus, *G,H;* minus apte. *f) sverðum*, cum gladiis, *D;* ɔ: *þar er ferð reið (með) sverðum ofan at ræsis rekkum.*

captam, ad naves revexerunt. Qui cum ad naves pervenissent, desiderarunt regem, ignari, ubi esset. Hinc totum exercitum magna incessit tristitia, ut, quid capiendum esset consilii, nescirent. Qua re cum dolore afficerentur, regemque quærere cogitarent, ipsum conspiciunt e terra equo devehi, multos homines, gravia onera tergo ferentes, ante se agentem. Hos ad naves delatos interrogant milites, cur se tam multi, sarcinis onusti, pelli ab uno homine patiantur. Respondent: at solus non est, visus enim nobis est magno cum numero armatorum supervenire, qui nos ad hæc onera ferenda coëgerunt. Quæ dicta cum milites Olavi audirent, mirati sunt, et Olavum ab eo tempore laudibus magis extulerunt.

Cap. 30. Quo tempore Olavus Haraldi filius unacum rege Knuto in Anglia versabatur, quovis mane sacram ædem adiit, quamprimum signum campana datum esset, reique divinæ ad finem usque interfuit. Nunquam tantus strepitus aut terrores foris exaudiebantur, ut Olavus, dum sacræ concioni interesset, foras e templo prospiceret, sed semper in precando constanti animo perseveravit, oblatis terroribus nihil commotus. Etsi Knutus ad sacram ædem serius venire solebat, tamen mos erat, ut adventus ejus exspectaretur. Festo quodam die accidit, ut sacri ministri adventum Knuti, ad cantum antelucanum adfuturi, exspectarent; quem cum exspectassent diutius, episcopus, sacris præfectus, in anteriorem templi partem prospectans, cum Olavum ibi constitutum, Knutum vero regem nondum adesse animadverteret, sic loquitur: sero jam advenit rex Knutus, quare hujus adventum non diutius exspectabimus, huc enim nunc is rex advenit, qui semper puro est animo et divinum amat officium. Cum vero rex Knutus ad sacra venisset, atque hæc verba

episcopi audivisset, invidit ei, quod rex appellatus esset, neque eum potuit rectis (non obliquis) oculis adspicere. Dicunt, Olavum tum primum regem fuisse nominatum, cum eum regis nomine compellavit episcopus, quod hic divino instinctu fecisse creditur.

Cap. 31. Hinc[1] Olavus porro occidentem versus in Angliam navigavit. Hic interea hæ res acciderant: Svein Haraldi filius, rex Danorum, multos heic annos fuerat commoratus, regnumque Adalradi regis bello vexaverat; Dani per totum ferme regnum fuerant grassati, Adalradus vero regno profugerat. Eodem autumno, quo in Angliam pervenit rex Olavus, forte accidit, ut rex Svein subita morte in lecto suo obiret. Referunt Angli, hunc ab Jatmundo[2] Sancto eodem modo fuisse interfectum, quo Julianus Apostata ab Sancto Mercurio occisus fuerit. Cujus rei fama cum ad regem Adalradum in Flæmingiam perlata esset, confestim in Angliam reversus est. Quo cum pervenisset, amicis nuntios misit, omnesque, qui mercede accepta se in regno recuperando adjuvare vellent, ad se invitavit. Quare cum ceterorum magna ad eum confluxit multitudo, tum quoque ei auxilio venit numerosa hominum[3] caterva stipatus rex Olavus. Hi primo flumen Tamesin subierunt. Dani vero ab altero fluminis latere oppidum tenuerunt, ab altero autem magnum erat emporium, dictum Sudvirkum*), quod Dani, ducta circum fossa ingenti, intra aggere ex ligno et saxis constructo, firmiter muniverant, atque ei loco firmum præsidium imposuerant. Rex Adalradus hunc locum magna vi oppugnavit, Danis vero resistentibus nihil efficere potuit. Pontes erant fluvio Ta-

[1]) Hæc cohærent cum capite 27. [2]) sic ceteri omnes, consentiente Hkr. VII, c. 11 et Knytl. c. 6. Edvardo, *A.* [3]) Nordmannorum, *D,H,K,S.*

*) Jam Londini suburbium, dictum Southwark.

mesi impositi, inter oppidum et Sudvirkum, tam lati, ut occurentes duo currus transire possent. Erant in pontibus, ad inferiorem partem fluminis, propugnacula, tam castella, quam sepimenta[1], ejus altitudinis, ut corpus propugnatoris, qua tenerrimum erat, attingerent[2]. Hoc loco se defendebant. Rex Adalradus cum jam sollicitus teneretur, qua ratione pontes demoliri possent sui: rex Olavus pollicetur, si ceteri præfecti suas admovere copias vellent, se cum omnibus suis pontes aggressurum. In quo concilio cum constitutum esset, ut classis pontibus admoveretur, præfecti suas quisque copias ac naves adornare cœperunt. Rex Olavus ex ligneis asseribus ingentia construi tabulata curavit, eaque navibus ita superimponi, ut extra latera navium prominerent: his palos adeo frequentes et altos supponi, ut ad defendendos et inferendos ictus satis darent spatii, et ad sustinendos[3], si superne ingererentur, lapides satis firmitatis haberent. Paratis copiis, adverso flumine subremigarunt; ut vero pontibus adpropinquarunt, ingesta in eos sunt et missilia et saxa adeo ingentia, ut horum impetum nihil, neque galeæ, neque clypei, sustinere posset, navesque obliderentur; unde plurimi naves averterunt. Olavus autem rex ac sociæ Nordmannorum copiæ naves ad pontes usque appulerunt, et sublicas, quæ pontes sustinebant, quam potuere ad imum fluminis, firmis funibus revinxerunt; quos cum deinde, actis omnibus secundo flumine navibus, attraxissent, sublicæ per ima protractæ sequebantur, donec evulsæ totius pontis ruinam traherent. Armata autem, quæ in pontibus densa stabat, multitudo, magnaque saxorum vis aliaque inlata one-

[1]) plutei ex asseribus ligneis, *cet.* [2]) ut supra medium corporis pertinerent, *cet.* [3]) Hic iterum incipit C.

ra, hæc omnia in flumen dejecta sunt[1]. His gestis rex Sudvirkum aggressus expugnavit. Oppidani vero, animadvertentes, expugnatum esse castellum, neque posse naves aditu in mediterranea prohiberi, desperatis rebus, oppidum dediderunt, atque Adalradum receperunt, Sic Ottar Niger:

> Animose rex, qui tempestatis
> Odiniæ procellas expertus es!
> adhæc fregisti pontes Londini; fortuna
> in auro comparando usus es[2].

et idem præterea:

> Terræ custos, valens potentia!
> Venisti in terram, et Adalradum
> in regnum restituisti; tua ope
> est usus hac in re virorum amicus.
> Durus erat conflictus, quo
> nepotem Jatmundi pacato
> reddidisti regno; huic terræ
> avita proles imperaverat antea[3].

---

[1]) Hic iterum incipit *E.* [2]) Constructio: *þorinn a) kennir yggveðrs èla α)! þú brauzt enn Lundúna bryggjur; þèr hefir snúnat at vinna linns lönd β).*

a) ita ceteri et Hkr.; *róinn,* remigio permensus, attritus, *A,* quod quid h. l. valeat nescio.

α) periti bellatoris circumscriptio. β) *linns land*, terra serpentis, aurum, opes. Si mavis *το linns* referre ad *yggveðrs, yggveðrs linnr,* serpens tempestatis Odiniæ (pugnæ) erit gladius, hujus *kennir*, pugnator; sic restat sententia, *at vinna lönd,* terras in potestatem redigere.

[3]) Constructio: *Láðvörðr, [efldr riki a)! komtu í land, ok lendir Aðalráði: rekka reynir b) naut þin c) at sliku. Harðr var sá fundr, er færðuð d) niðja Eátmundar á vit friðlands d); ættstuðill rèð þar áðan grundu.*

a) rikis, omisso *efldr, C,D,F,G,L,* ɔ: *naut rikis þins at sliku,* tuæ potentiæ debuit, quod hoc consequeretur. *b) rúni,* confabulator, socius, eodem sensu, *C,D,F,L,S. c) þins, C,F,L,* vide *a. d)* ita legendum est pro *færuð* et *friðland,* secundum Hkr. et Knytl. c. 7.

Ita quoque Sigvatus poëta:

Verum est, sextam pugnam Anglis
conciliasse Odinis mansionem(cognationem),
ubi Olavus, strenuus ille rex,
pontes Londini aggressus est.
Acuti erant enses Vallici;
fossam vero pugnatorum copiæ
defendebant; pars copiarum in plano
Sudvirko mansiones habebat[1].

Cap. 32. Rex Olavus hanc hiemem in Anglia apud regem Adalradum transegit. Hoc intervallo grave prælium commiserunt in montanis Ringmarensibus in regione Ulvkeliana, quod regnum Ulvkel Snillingus (Excellens) tenebat. In quo prælio reges victoria potiti sunt, Sic Sigvatus:

Præterea Olavus olim
septima vice commissum dedit

---

[1]) Constructio: *Rètt er a), at hin sètta sókn bauð Englum yggs ått α), þar er Olafr, snarr þengill, sótti bryggjur Lundúnar. Völsk b) sverð bitu, en [lið vikinga c) varði diki; sumt d) lið åtti búðir i slèttu Suðvirki.*

a) varð, fiebat, *C,D,E,F,L.* *b) völd*, electi, eximii, *B.* *c) vikingar þar*, piratæ ibi (defendebant), *cet.* *d) sunds*, maris, *B,F*, ɔ: *sunds lið*, classiarii.

α) Ita construendam sententiam putavi, propter literas metricas. *Yggs ått*, ob duplicem vocis *ått* significatum, bifariam intelligi posse puto; *ått*, nempe 1° plaga cœli, unde *yggs ått*, de Valhalla capi potest. 2° id. q. *ætt*, genus, cognatio, hinc *yggs ått*, ea cum Odine necessitudo, qua heroes, bello mortui, ejus electi filii dicantur, Sn. Ed. p. 24. Quæ appellatio si cui insolentior et a poëta christiano aliena videatur, jungat cum Hkr. T. II: *hin sètta atsókn er rètt, snarr þengill bauð Englum, þar er Olafr, yggs ått, sótti* &c. ɔ: hic verè fuit sextus conflictus, quem acer rex obtulit Anglis, quando Olavus, Odine satus, aggressus est &c.; vel cum Hkr. T. VI.; *Snarr þengill bauð Englum yggs rètt: hin sètta atsókn er ått, þar er Olafr sótti* &c., strenuus rex obtulit Anglis jus Odinis (prælium); sextus conflictus commissus est &c.

prælium in Ulvkelis terra,
quod ego carmine celebro.
Progenies Ellæ occupavit tota
montana Ringmarensia, ubi
strages fiebat militum, sed hæres
Haraldi auctor erat prælii[1].

Ottar Niger sic dicit:

Audivi, rex, exercitum tuum
procul a navibus graves cumulasse
cadaverum strues, (et) montana
Ringmarensia sangvine rubefecisse.
Terræ populus abs te subito
humi occidit in strepitu ensium,
multi vero Anglorum in fuga
cecidere, antequam finiretur (prælium)[2]

Etsi posthæc magna regni pars imperio regis Adalradi iterum subjecta est, tamen Dani ac Thingamanni multis in locis non solum singulas urbes, sed et partes regni ampliores tenuere.

Cap. 33. Rex Olavus dux erat exercitus, cum Cantuariam contenderunt, ubi, facto prælio, oppidum expugnarunt, magnum hominum numerum interfecerunt, et urbem incenderunt. Sic Ottar Niger:

Rex! progeniei regiæ

---

[1]) Constructio: *Enn lèt Olafr endr sverðþing verða háit, sjöunda sinni, á Ulfkells landi, sem ek fer málum. Ellu kind α) stóð alla a) Hringmaraheiði: þar var herfall; en arfvörðr Haralds olli starfi.*

a) allra, omnium, *C;* quod jungi potest cum *herfall.*

α) i. e. Angli, ita dicti ab Ella rege Angliæ.

[2]) Constructio: *þengill! ek frá, at a) þinn herr hlóð þúnga valköstu, fèrri skipum b), rauð Hringmaraheiði blóði. Landsfólk laut ött fur yðr á jörðu i branda gný, en mörg Engla ferð á flótta, áðr lètti.*

a) en, sed, *C,F.* *b) með skip*, ɔ: cum navibus paucioribus, *B;* vix recte, cum de pugna terrestri sermo sit.

facessivisti aggressionem strenue.
Mane cepisti, princeps gratiose!
amplam urbem Cantuariæ.
Fumus et ignis acrius
collusit domibus. Edite nobilibus!
victoria potitus es; audivi, te
inhibuisse vitæ cursum mortalibus[1].

Sic Sigvatus poëta:

Novi, prælium octavum
a bellatore, periculoso hominibus,
factum esse, forti custode satellitum
ad munimentum accedente.
Non potuere Comites Olavum
prohibere Cantuaria, oppido suo.
Animosis Partis contigit
multis in locis luctuosus exitus[2].

Rex Olavus hoc tempore Angliæ defendendæ cura fungens, cum classe litora terræ legebat. Nyamodam ingressus, copias Thingamannorum offen-

[1]) Constructio: *Yngvi, vanntu ætt siklinga mikla atgaungu bliðr hilmir, tóktu breiða Kantaraborg of morgin. Eldr ok reykr lèk a) við rann b) af ríki. Þú rèð gagni, konr c) bragna; ek frá, at um d) beldir aldri aldar e).*

a) lèt, B,D, quod h. l. verti potest, sonuit, stridebat. *b) rönn,* in plur. num. *cet. c) vinr,* amicus, *G. d)* Sic *C,G,H; at þu, A* et *cet.,* in quo displicet repetitio *ts at,* dubia enim videtur constructio: *at þú beldir aldir at aldri,* te vim intulisse hominibus, quoad vitam, cum non soleat verbum act. *bella* cum accusativo poni. *e)* Sic *cet.; aldir, A;* de quo vide in *d.*

[2]) Constructio: *Ek veit, at viga mætir a), hættr b) virðum c), gerði enn d) átta styr e); styrkr vörðr verðúngar gekk at virki. Greifar máttat banna Oleifi sinn bæ, Kantaraborg; prúðum Pörtum α) fèkkst mart sorgar port.*

a) hneitir, repressor (cædium), rex, *G. b) háttr, B,E,F,L,* dub.; *hátt,* alte, *D,G,H,* ɔ: *gekk hátt at virki,* sed alterum præstat. *c) vörðum,* custodibus, *G; Vindum,* Vindis, *cet.,* quod præferendum. *d)* Sic *cet.; hit, A. e) frið,* pacem, *E;* vix recte.

α) Partar, Perthenses, gens Scotiæ, unde oppidum *Perth.*

dit, factoque prælio, victoriam reportavit. Sic Sigvatus:

Rex juvenis haud invitus
Anglis capita rubefecit:
atro sangvine gladii iterum
tingebantur in Nyamoda.
Jam novem recensui prælia
bellatoris oriente profecti.
Danicus cecidit exercitus, telis
adversus Olavum volantibus[1].

Rex Olavus multa terræ loca peragravit, atque stipendia incolis imposuit, aliter proposita depopulationis conditione. Sic Ottar[2]:

Anglicæ gentis multitudo
non potuit tibi resistere,
rex, late celeber! quando
tributa severe exegisti.
Haud raro aurum principi
pependerunt viri bellicosi.
Accepi, magna interdum cimelia
ad litus deportata fuisse[3].

---

[1]) Constructio: *Ungr konúngr vann Englum rauðar skarar; brúnt a) blóð kom endr á branda í Nýamóðu. Nú hefi ek taldar níu orrostur ógnvalds b) austan c). Danskr herr fèll, er d) dörrum dreif mest at Oleifi.*

a) brýnt, cito, *L.* *b)* Sic *E,S*; *ógndjarfr*, audax in pugna, *B*; *ógnvaldr*, in voc., *ceteri.* *c) ofan*, a primordio inde repetens, *F.* *d) með* (forte *meðan*, dum) *F,L*; *fyri*, telis confixus, *H*; *þar er*, ubi, *cet.*

[2]) Sic *B,C,D,E,F,G,K,S*, consentiente Hkr.; Sigvatus poëta, *A*,

[3]) Constructio: *Öld enskrar ættar a) máttit b) bægjast c) við þèr; viðfrægr d) visi, er tókt við vægðarlausum gjöldum. Gunnar e) þollar f) guldut sjaldan döglingi goll g); ek frá stór þing fóru stundum ofan til strandar.*

a) Sic *cet.*; *enskar ættir*, *A*, ut *öld* sit vocativus, quod minus aptum judico, cum mox ipsum regem compellet. *b)* Sic legi sec. Hkr.; *máttut*, in plur., *A*, vide *a.* *c) bægja*, id., *E,G,K. S.* *d) vandfrægr*, *B.* *e) gumnar (gumar)*, viri, *cet.* *f) holl-*

Cap. 34. Hic Olavus rex tres hiemes commoratus est. Tertio autem vere mortuus est rex Adalradus, filiis Jatvardo et Jatmundo in regno succedentibus. Tum Olavus, austrum versus mari trajecto, in Ringsfjördo conflixit, et castellum in Holunda[1], a piratis insessum, expugnavit et solo æquavit. Sic Sigvatus:

Impleta est decuria
impetuosarum pugnarum
in amœno Ringsfjördo, quo
jubente rege copiæ concesserant.
Confringi fecit munimentum
in Holo sublime, quod piratæ
tenuerunt; hi non similem
sortem in posterum optarunt[2].

Inde rex Olavus copias occidentem versus in Gislupollos[3] duxit, ubi ante Vilhjalmsbæum prælium cum piratis commisit, et victoriam reportavit. Sic Sigvatus poëta:

Undecimum commisisti prælium,
Olave! ubi in Gislupollis
cecidere principes; juvenis
ex eo prælio excessisti.
Audivi, hoc in prælio, ante

---

ust, utilissimum, maxime proficuum, *E,K,S; hollum*, propitio, *G,H*, refer ad *döglingi*. *g) gull*, id., *cet.*

[1]) *Hælunum, D,E; Bælunum, C; Hólunum, G,H,S*, i. e. collibus, quod rectissimum videtur, cfer seqv. stroph.

[2]) Constructio: *Fögr var fyldr a) fólkveggs b) drifa hreggi, i fögrum Hringsfirði; lið hèlt þingat, sem hilmir mælti. Hann lèt brotna c) hátt ból d) á Hóli e), (er) víkingar áttu; þeir f) báðut g) sèr slíks skotnaðar síðan.*

a) fullr, plena, *C,D,E,F,K,L,S.* *b) fólkhreggs, C;* adversante metro. *c) þrotna*, vastari, *C.* *d) blóð, C,D,F,L.* *e) hlóði, C,F; hæli, D; hljóði L.* *f)* Sic *cet.*; *þar, A.* *g) báðu*, sine neg. *G; báðir, C.*

[3]) Grislupollos, *G,K,L;* sic et Hkr. et Fagrsk.

oppidum Vilhjalmi, fidi dynastæ,
commisso, læsas esse galeas;
hoc commemorare, meum est[1].

Proxime post hæc ad occidentem conflixit in Fetlafjördo, teste Sigvato:

Gloriæ cupidus (rex) vice duodecima
dentem lupi rubefecit.
In Fetlafjördo vitæ jactura
hominibus destinata fuit[2].

Inde rex Olavus in Seljupollos profectus, prælium commisit, quo loco oppidum Gunnvaldi est. Principem, oppidi præfectum, nomine Geirfidum, vivum cepit. Mox instituto cum oppidanis colloquio, stipendium iis imposuit, constituitque triginta selibras numorum[3], quibus se dynasta redimeret.

---

[1]) Constructio: *Olafr, vanntu ellifta styr, þar er jöfrar féllu a) í Gislupolla b); úngr c) þollr, komtu af því þingi. Ek frá þat víg d), fur bæ Vilhjálms, [tryggs jarls, háit snarla e), vittu f) hjálma g); tala min h) er (at) telja þat.*

a) Sic *cet.*; *feldu, A*, metro minus aptum. *b) Grislupolla, G,K,S.* *c) hrings*, annuli v. ensis, *G,H*; quo plena redditur appellatio. *d) vigs at, C,G.* *e)* Sic *cet.* et Hkr.; *trygð i háit at bygðum, A*; ɔ: *víg, háit i trygð, at bygðum, fur Vilhjalms bæ*, prælium, pace violata commissum, juxta habitatam regionem, ante oppidum Vilhj.; quæ lectio nescio an partim ex siglis prave intellectis, partim ex conjectura profecta sit; neque sententia in sensum veterum de vitæ genere piratico omnino quadrare videtur. *f) veittu*, præbuisse i. e. edidisse, commisisse (pugnam) *D,F,G.* *g) málma*, metalla s. enses, *B,F*; *álmar*, ulmi, arcus, *D,G,H*; scilicet ut syllaba metrica constet; sed prior syllaba metrica pronuntianda videtur *Viljálms*, sine aspiratione in media voce. *h) minnst*, minimus (numerus), *B,D,G*; *minnist*, memorat, *G.*

[2]) Constructio: *Tír fylgjandí rauð tólfta sinni ylgjar tönn; fjörbann varð lagit mönnum a) í Fetlafirði.*

a) manna, hominum, *A.*

[3]) viginti selibras auri, *C,D,F*; duodecim millia auri, *G,K,S*; duodecim selibras auri, *E*; duodecim millia numorum (aureorum), Hkr.

Oppidani tantum dependerunt, quantum postulavit et imperavit. Sic Sigvatus poëta:

Fortis Thrandorum imperator!
fecisti decimam tertiam
celebrem in Seljupollis pugnam,
magno fugientium detrimento.
Rex mane raptim in vetustum
escendit oppidum Gunnvaldi,
atque dynastam vivum cepit,
cui Geirfido nomen erat[1].

Post hæc rex Olavus cum classe occidentem versus ad amnes Carolinos profectus, piraticam ibi fecit. Ibidem prælium commisit et superior discessit.

Cap. 35. Dicuntur pagani, amnes Carolinos tenentes, duo monstra numinum tutelarium loco coluisse, adversariis eorum viribus superiora, quorum alterum erat gigas marina. Hæc se jam in amnibus Carolinis, jam in mari continet: svavi cantu nautas consopit, quo facto eos submergit: interdum tantum edit clamorem, ut homines in apros fere conversi (panico fere terrore correpti) refugiant. Hoc tempore gigas marina in amnibus Carolinis se continebat. Hujus monstri forma talis est: pars inferior a medio formam habet piscis, pinnis instructi; superior, mulieris. Natura ejus talis est: cum in aqua se continet, ludere piscibus amat; si navi se advolvat, certus instare nautarum

---

[1]) Constructio: *Snjallr þrænda drottinn! vannt þrettánda kunnan a) styr, sunnarla í Seljupollum; þat b) var flótta böl c). Gramr lèt gjörva d) gengit e) um morgin upp í f) gamla Gunnvaldsborg, (ok) of g) fenginn h) jarl: sá hèt Geirfiðr.*

a) Sic *cet.*; *fullan*, justam, *A*, minus metro convenienter. *b)* Sic *cet.*; *þar*, ibi, *A*, sed illud usitatius in hoc nexu, et cum emphasi ponitur. *c) dvöl*, mora, retardatio, *F,L.* *d) gotna*, viros, *D,G.* *e)* Sic *C,D,E,F,K,L,S*; *genginn*, *A.* *f)* Sic *cet.*; *á*, *A.* *g) ok*, et, *E,K.* *h) fengit*, *C,E,F,L.*

interitus creditur, sin vero ab navi se revolvat, prosperi successus omen est. Hoc monstrum ut immani vi pollebat, ita multis hominibus in ostio necem attulerat. Cum rex Olavus naves ex ostio educere vellet, qua flumen mareque confluebant, hoc monstrum, quod in libris vocatur Surna vel Hyrenus[1], in ostio ludens conspiciunt. Ostium erat longum et latum. Gigas marina ab imis arenis se ex mari emergebat. Atque cum ex navibus regiis quæ ceteras anteibat, ad hoc monstrum cursum dirigeret, hanc prora apprehensa subvertit, ac omnes, qui navi vehebantur, submersit. Qui sequebantur, terrore capti, exclamabant: exspectemus Olavum, si quid consilii capiat. Deinde retro actis navibus, cum primum voces poterant exaudiri, Olavum inclamant, pestem aliquam in ostio versari significant, quidque accidisset docent. Extemplo Olavus navem suam propelli jubet; imperata faciunt. Mox gigas marina emersit, atque hiante rostro in navem irruit. Olavus vero, ut quidam dicunt, stricto gladiolo manum ei ad proram abscidit; alii, eum hasta prehensa pectus monstri transmisisse, et hoc modo ei necem attulisse, dicunt. Cujus fortuna, in rebus subitis, aliorum hominum fortunam longe superabat, ex quo apparuit, quanti eum his in terris deus æstimaret. Gigas vero marina, ab Olavo letali vulnere affecta, tantum edidit clamorem, quantum se nunquam audivisse putavit.

Cap. 36. Post hæc, quo constituerant, pergunt, nec procul ab eo loco ad terram appellunt, atque in litus egressi magnam pecuniæ vim e sacro quodam tumulo auferunt; argentum autem eam ob causam invenerant, quod, vento forte vehementius spirante, tumulus cespite nudatus argentum in lucem protulerat; quo facto ad naves

[1]) Hoc utrumque vocabulum ex Sirene deflexum est.

sese milites omnes recipiunt. Olavus vero solus relictus, cum a litore longius equo vectus in locum arboribus nudum pervenisset, reverteretur nec ne, cogitavit. Quo in loco cum constitisset, magnum audivit ex omnibus sylvæ partibus fragorem, repenteque aper prosilit, enormi statura, aspectu horrendo et truci, qui multas ætates vixisse videbatur; quem incolæ magna religione venerabantur; hunc magni (aprorum) greges sequebantur, tanta multitudine, ut totum loci spatium occuparent; qui in unum conglobati fœditate sua regi horrorem injiciebant. Aper rictu hiante impetum in regem fecit; Olavus vero ambobus pedibus in ephippium insiluit, atque eos hoc modo a periculo liberavit. Tanta autem erat apri proceritas, ut, cum regem mordere pararet, rostrum ac dentes sagmati, quo ephippium vestiebatur, imponeret. Rex Olavus, gladio Bæsingo, quo erat succinctus, celerrime destricto, rostrum apri paulo infra oculos abscidit, parte amputata in ephippium resiliente. Aper tantum rugitum edidit, ut rex se vocem magis horrendam, præterquam gigantis marinæ, audisse negaret. Postea rex gladium, quem antea Bæsingum vocaverat, Hneiterem appellavit, quod ceteros gladios acumine vincere videbatur. In cujus victoriæ monumentum rex rostrum ac dentes apri secum abstulit; sunt autem, qui dicant, eum manum gigantis marinæ retulisse. His gestis ad exercitum se contulit.

Cap. 37. Rex Olavus eodem loco classem in ancoris tenuit, ventum secundum exspectans, cum per freta Njörvii (Gaditanum fr.) navigare indeque ad terram Hierosolymorum contendere statuisset. Heic ei visum memorabile per quietem oblatum est, cum videret hominem augusta ac formidabili specie ad se accedentem, qui eum allocutus, a peregrinandi proposito desistere jus-

sit: redi potius in patriam, inquit, nam rex eris Norvegiæ in perpetuum. Quod somnium sic intellexit, se suosque post se nepotes Norvegiæ imperaturos. Hac visione admonitus, flexo itinere, ad Peitulandum (Pictaviam) appulit, eamque terram rapinis ac incendiis vastavit. Ibidem oppidum, dictum Varrandium, incenderunt. Qua de re sic Ottar Niger:

Juvenis princeps, in bello hilaris!
contigit tibi Pictaviam vacuare.
Expertus es, o rex, clypeum
pictum in Tuscalando[1].

Sic Sigvatus poëta:

Rex Mæriorum, aciem gladii
rubefaciens! ab austro reversus,
escendisti secundum Ligerim, ubi
vetusta dissiluere spicula.
Varrandium (sic nominatur
oppidum in populosa Pictavia
procul a mari) incensum est
a prælii patratoribus[2].

Cap. 38. Rex Olavus, ad occidentem in Vallia (Francia), duas æstates et unam hiemem in piratica consumserat. Tum præterierant ab cæde

---

[1]) Constructio: *Ungr ógnteitr jöfurr! náðut a) at eyða Peitu α); ræsir! reynduð steinda b) rönd c) á Túska d) landi.*

a) Sic *cet.*; *náðit*, cum negatione, *A*; minus recte. *b) þrænda*, Thrandorum (rex), *C.* *c)* Hic lacuna incipit in *G.* *d)* Ita ceteri plerique; *Tosku, K*; *Týska, L*; *Stúlka, A.*

α) Peita, Pictavia Franciæ, ol. *Poitou.*

[2])Constructio: *Mæra hilmir, málms a) munnrjóðr! vannt b) gáng c), er komt sunnan, upp d) at Leiru α), þar er gamlir geirar sprúngu e). Varrandi β) [svá f) heitir bær á bygðu Peitulandi fjarri sjó g)] varð brendr fur viga njörðum h).*

a) Sic ceteri; *málm, A*; vide *b.* *b)* Ita ceteri; *rauð, A*, ɔ: *rauð málm*, tinxit ensem; tum *munnrjóðr*, ore rubicundo: sed ita cetera sententia claudicat. *c) gagn*, victoria, adversante me-

regis Olavi Tryggvii filii tredecim hiemes, hoc vero omni temporis spatio Norvegiæ præfuerant dynastæ, primo Svein et Eirikus, filii Hakonis, deinde vero Svein, et Hakon Eiriki filius[1]. Hakon fuit nepos ex sorore Knuti Potentis, Sveinis filii. Eo tempore in Vallia fuere duo dynastæ, Viljalmus et Rodbertus, quorum pater erat Rikardus, Rudæ (Rothomagi) dynasta[2], soror vero Emma regina, quam Adalradus, rex Anglorum, in matrimonio habuit; horum filii erant Jatmundus et Jatvardus Bonus, Jatvigus et Jatgeir. Rikardus dynasta erat filius Rodberti Hastæ-longæ, qui filius fuit Rolvi Peditis dynastæ, ejus, qui Normandiam occupavit: hic tantæ fuit staturæ, ut eum equi portare nequirent, quam ob causam dictus est Rolvus Pedes; erat filius Rögnvaldi Potentis, Mæriarum dynastæ, mater vero ejus erat Hilda, filia Rolvi Nasonis. Idem erat piraticæ studiosissimus, et nemini facile cedens. Aliquando, cum a piratica expeditione redierat, in Vika, orientali regni parte, abacta pecora (copiis alendis) mactavit. Hinc rex Haraldus, ira incensus, eum ex Norvegia exulare jussit. Tum Hilda, mater Rolvi Peditis, regem Haraldum adiit et pro filio deprecata est, rex vero

---

tro, *C,D,E,F.* *d)* Sic *C,D,E,F,K,S*; *út, A.* *e) Súngu*, sonabant, *C,D,E,F,H,L.* *f) sjá, C,L.* *g) Sjá fyrri* (rect. *firri)*, id., *L.* *h)* Sic *B,C,E,F,H,L*; *morði* (forte *njörði)*, *A*; *morðum, K,S*; *meiðum, D.* Sed *morðr* et *njörðr* in Codd. sæpe confunduntur.

a) Leira h. l. pro fluvio Ligeri, Gall. *Loire*, accepi, quod et confirmare videtur Fagrskinna, expeditiones Olavi Sancti enumerans: *Nú vendir Olafr konúngr aptr liðinu, ok kom til Peito, ok gekk upp meðr Leiro, ok barðist þar: kauptún þat, er Varandi heitir, brendi hann.* *β) Varrandi*, Fagrsk. *Varandi*, forte oppidum *Varade*, situm in boreali ripa Ligeris, circiter sex milliaria germ. a Condivinco *(Nantes)*.

[1]) verba textus isl. *Sveinn ok Hakon Eirikssynir*, legenda: *Sv. ok H. Eiriksson.* [2])Hi Normandiæ imperaruut, add. *cet.*

adeo erat iratus, ut nullus precibus locus esset. Tum ea[1] hos versus pronuntiavit:

Cognominem Nasonis rejicis;
nunc expellis e regno, veluti feram,
eximium fratrem nobilium;
cur hanc rem urges, o rex?
Periculosum est, irritare lupum,
in clypeos validos tam sævientem;
haud parcet gregibus regiis,
cum in sylvam se proripuerit[2].

Deinde Rolvus Pedes e regno profugit, et cum diu postea piraticam in regnis occidentalibus exercuisset, regnum in Vallia armis occupavit, quo mox magnus hominum[3] numerus se contulit, atque terram, postea dictam Normandiam, inhabitavit. A Rolvo Pedite descendunt dynastæ Rothomagenses, ut modo dictum est; quare hi semper genus suum ad principes Norvegicos referre solebant, Nordmannos magni æstimarunt, iisque semper amicissimi fuerunt; et in horum regno Nordmannis, quibus libitum est, tutum fuit refugium. Rex Olavus autumno in Normandiam pervenit, ibique per hiemem[4] commoratus est, pace et securitate usus.

Cap. 39. Post cædem Olavi Tryggvii filii, Eirikus pacem concessit Einari Arcipotenti, filio Eindridii, Styrkaris ab Gimsis filii. Einar octode-

---

[1]) Rolvus, *B.*

[2]) Constructio: *Hafnit nafna a) Nefju: nú rekit horskan hölda b) barma, gand c) or landi; stillir! hvi bellit þvi? Illt er at ylfast d) við slikan úlf Yggs valbrikar α); muna hógr við hjarðir hilmis e), er f) hann gengr til skógar.*

a) Sic *C,D,E,L,S; nafni,* nomen, *A.* *b) Hörða,* Hördorum, *B,C,D,E,F,L; höfðu, K,* perp. *c) nú er rekinn gandr,* jam lupus regno pulsus est, *C,E,F,L.* *d) yglast, E,L.* *e)* Sic ceteri; *yðrar,* vestris, *A.* *f) ef,* si, *B,D,E,F,L.*

α) Similem appellationem vide Script. Hist. Isl. Vol. 2, p. 189, not. *a.*

[3]) Nordmannorum, *B,C,D,E.* [4]) Signæ, add. *B,C,E,H,L.*

cim erat annorum, cum Eirikum in Norvegiam proficiscentem comitatus est. Dicitur Einar hominum, quos tulerit Norvegia, fuisse robustissimus et arcus tractandi peritissimus, in primis ceteros omnes sagittis maxima vi emittendis superasse: crudum corium bubulum, e pertica pendulum, bacillo lusorio transmisit; quod artis ostentandæ gratia fecit. Arte perticis cursoriis per nives labendi quemvis facile superabat: in exercitiis peritia summa, generis amplitudo et divitiæ insignes. Huic Eirikus dynasta et Svein dynasta sororem Bergljotam, Hakonis filiam, feminam excellentissimam, nuptum dederunt: ex his natus Eindridius. Dynastæ ingentia salaria Einari in Orkadalo dedere, quare hic vir potentissimus et amplissimus in provincia Thrandheimica extitit; maximo dynastis adjumento fuit, et utrique intima junctus amicitia.

Cap. 40. Cum Eirikus dynasta duodecim hiemes Norvegiæ imperaverat, venit ad eum nuntius regis Knuti Potentis, affinis sui, ut se magno stipatus exercitu occidentem versus in Angliam comitaretur. Eirikus dynasta rebus bellicis insignem sibi famam comparaverat, quod victoriam reportaverat ex duobus maximis præliis, quæ in regnis borealibus fuerunt commissa: uno, quod ipse ac pater, Hakon dynasta, cum piratis Jomensibus commiserant; altero, quo cum Olavo Tryggvii filio decertaverat. Quod Thordus Kolbeinis filius in encomio Eiriki commemorat:

Præterea laudibus effertur princeps,
galeam gerere adsvetus, quod noverim,
inclytos laude viros, terræ præfectos,
misisse nuntium dynastæ:
ut Eirikus officiosissime
ad ipsorum amicum conventum
conferret se; quod fuerit

regi consilium, intelligo[1].

Dynasta, cum minime vellet missum sibi ab rege Knuto nuntium negligere, domo profectus est, relicto in Norvegia ad regnum administrandum filio Hakone, quem tutelæ commisit Einaris Arcipotentis, generi sui, qui Hakonis nomine rempublicam curaret. Tum Hakon erat annorum octodecim[2], Svein vero dynasta dimidium regni ex æquo cum Hakone, cognato suo, tenebat. Eirikus, ut in Angliam pervenit, regem Knutum statim adiit, eumque, cum Londinum expugnaret, secutus est. Idem ab occidente maris prælium commisit, quo Ulvkelem Excellentem prostravit. Qua de re sic Thordus Kolbeinis filius:

Auri æstimator pugnam conseruit
ab occidente Londini;
inclytus navium incitator prælium
commisit, ad subigendas regiones.
Ulvkel, audax in prælio,
accepit ictus formidabiles
ab Thingamannis, ubi virorum
cæruleæ acies micabant[3].

---

[1]) Constructio: *Enn hefst a) leyfð b) at hjálmsömum hilmi, þar c) er ek frá lofkenda lofða d), hjarls drottna e), senda f) boð g) jarli: at Eirikr skyldi skyldligast h) endr koma at ástafundi þeirra; ek skil hvat gramr lézt vilja.*

a) hefk, incipio (laudes), *C,D,E,L,S.* *b)* Sic *B,D,E,H,K,S; leyfðr,* laudatus, *A; leyfs, C.* *c) þess, E.* *d) lofðar A.* *e)* Sic ceteri; *hjaldr drygjanda,* pugnam patranti, bellicoso, *A;* quod referendum ad *jarli.* *f) sendu,* perf. inf., *C,E,L,S; kendu,* significavisse (mandata), *K.* *g) bað, B; bauð, K.* *h)* Sic ceteri; *skögltjalda* Skögulæ velorum i. e. clypeorum, *A;* quod referri potest ad, *gramr,* ɔ: rex clypeatus, bellicosus, vel ad *ástafundi,* ut sit optatus clypeorum conventus, pugna.

[2]) septemdecim, *B,K,S.*

[3]) Constructio: *Gullkennir lèt a) bundit gunni b) saman fur vestan Lundún; leyfðr þundr græðis hests vá til landa.*

Eirikus unam hiemem in Anglia commoratus est, ibique aliquot prælia fecit. Altero vero post autumno, cum Romam proficisci, ut futuram sortem sibi præpararet meliorem (v. ut peccata sua expiaret), statuisset, fluxu sangvinis in Anglia obiit. Rex Knutus multa prælia cum filiis Adalradi regis, varia quidem fortuna, in Anglia commisit. Hic in Angliam eadem æstate pervenit, qua rex Adalradus obiit; tum uxorem duxit Emmam reginam, quam in matrimonio habuerat rex Adalradus: horum liberi erant Haraldus et Hördaknutus[1]. Rex Knutus pacem cum rege Jatmundo fecit, ea conditione, ut uterque dimidium Angliæ teneret. Eodem vero mense, quo pacem fecerunt, Heidrekus[2] Strjona[3] Jatmundum regem obtruncavit. Quo facto, rex Knutus omnes regis Adalradi filios ex Anglia expulit. Sic Sigvatus poëta:

Et Knutus Adalradi
natos prælio vicit
conjunctos, aut etiam
expulit singulos[4].

Eadem æstate, qua Olavus ab occidente ex piratica rediit, filii regis Adalradi Rothomagum in Vallia pervenerunt ad avunculos suos. Hi omnes per hiemem in Normandia una commorati, societatem

---

Rönn-regn-þorinn c) Ulfkell d) fèkk ygglig e) högg f) af þinga-mönnum, þar er blár g) eggjar h) rekka skulfu.

a) Sic ceteri; *lèzt þu, A.* *b)* Ita ceteri; *gulli, A.* *c) regnþorins,* in bello audacis (Eiriki dynastæ), *D,E*, ut referatur ad *rekka; hreggþorins*, id., *K,L*, ubi *rönn-hregg*, prælium. *d)* Sic *B,S* et Hkr.; *Ulfkels, A*, et ceteri. *e) öglis, A*, unde, admissa lect. *högg*, sensus foret: *öglis rönn Ulfkels fèkk* (pro *fengu*) *högg*, ɔ: manus Ulvkelis aecepere ictus; *yglis*, forte id. qv. *öglis, B.* *f)* Sic ceteri omnes; *höggs, A.* *g) við lár*, juxta undas, *L.* *h) eggja, L.*

[1]) et Gunnhilda, add. ceteri. [2]) Heinrekus, *E.* [3]) Sic ceteri omnes; *Trjóna, A.* [4]) Constructio: *ok Knútr sló Adalráðs sonu senn, eða ok útflæmdi þó hvern.*

inter se junxerunt ea lege, ut Olavus Northumbriam teneret, si Anglia potirentur. Quare Olavus hoc autumno Ranium, educatorem suum, occidentem versus in Angliam misit, ut auxilia conquireret; et filii Adalradi regis amicis et cognatis suis fidei tesseras miserunt. Eidem rex Olavus ingentem pecuniæ summam dedit, ut, corruptis largitione principibus, regnum[1] in partes eorum traheret. Ranius hiemem in Anglia transegit, et exploratis multorum potentiorum animis cognovit, incolis magis ad animum esse, regibus parere conterraneis; tantæ tamen erant Danorum in Anglia opes, ut omnes potentiores ac populus terræ eorum imperio subjecti tenerentur. Vere sequenti omnes una de occidente *) profecti, rex Olavus ac filii Adalradi regis, in Angliam pervenerunt, atque quo loco Ingafurda[2] dicitur, copias statim in terram exposuerunt. Hoc loco multi aderant homines, qui ipsis auxilia erant polliciti, quorum ope oppidum expugnarunt et multos homines occiderunt. Quo cognito, qui partes Knuti regis sequebantur, copias collegerunt, tantamque brevi multitudinem contraxerunt, ut filii Adalradi, nulla data resistendi facultate, abire et Rothomagum ad occidentem *) reverti, tutissimum arbitrarentur. Heic rex Olavus, cum in Valliam reverti nollet, ab eis digres-

[1]) copias, *E,K,S.*

*) i. e. ab occidentali Galliæ parte, ad occidentalem Galliæ oram; sic paulo infra, *fara vestr til Vallands*, ubi de cursu a Britannia in Galliam occidentalem sermo est. Familiare est scriptoribus nostris, ubi de itineribus sermo est, non tam cursum ad plagam cœli restringere, quam de situ locorum relativo cogitare. Sic, quia Vika partem facit Norvegiæ orientalis, *at fara i Vik austr* dicitur, sive per montem Dofricum austrum versus tendas, sive a Dania versus boream.

[2]) Jungufurda, *B;* Menjúngufurda, *E,L;* Menningafurda, *D,F;* Öxnafurda, *H.*

sus est, et borcam versus in Northumbriam navigavit, ubi in portum, Antevaldium[1] dictum, appulit. Hic cum oppidanis conflixit, et victoria magnaque præda potitus cst.

Cap. 41. Accidit, cum rcx Olavus Hiberniam depopularctur, ut navcs ejus ab æstu derelictæ procul a mari in sicco starent. Rex cum omnibus copiis in terram erat prædatum egressus. Incolæ autem, cum naves Olavi vidcrent in sicco stare, innumeras contrahunt copias, cum Olavo ac suis prælium commissuri, sperantes se facturos, ut regem in sua haberent postestate, cum freti numero copiarum, tum quod naves regiæ in sicco erant rclictæ. Jam cum Olavus ac sui intclligerent, se effugerc non posse, permagnas autcm copias sese insectari, neque rex sibi viam posse invenire videretur, quo pacto evaderet, suos his verbis alloquitur; tunc autem unacum eo erat Thorkel Altus et Ulvus, filius Thorgilsis Sprakaleggi. Olavus infit: invocandum mihi videtur numinis omnipotentis auxilium, et, ut opem nobis ferat, supplicandum. Nos contra voveamus, nos minorc crudelitate et bellandi impotentia in exercenda piratica, quam hucusque, usuros. Huic principes, sese, quodcunque ipsi optimum foret visum, voturos pollicentur. Deinde, voto a rege nuncupato, rex in tcrram cum copiis se prosternit. Deus autem preces ejus exaudivit, et tantum ei præstitit beneficium, ut, æstu subito accedente, omnes naves, vixdum absolutis precibus, in alto starent. Itaque rex, conscensis navibus, cursum perrexit, Hiberni vero re infecta redierunt.

Cap. 42. Ubi rex Olavus, insulas ac lingulas, oras Daniæ, Sycciæ, maris Baltici, Galliæ, Hiberniæ et Angliæ obicns, gentium paganarum cru-

[1]) *Fyrvald, E.*

delitatem armis represserat, cursum reflexit. Relictis in Northumbria longis navibus, duas mercatorias, quibus inde navigaret, instruxit, virosque trecentos[1], cataphractos, qui virtute ceteris et animo præstarent, delegit. Jam autumno mari se commisit, septemtrionem petens. Turbidissimam nactus in pelago tempestatem, in grave periculum incidit; virtute autem militum et fortuna regis factum est, ut evaderent incolumes. Qua de re ita Ottar Niger[2]:

In præliis animose! duas
naves ab occidente parasti;
regum consessor! sæpius
te exposuisti periculo.
Rapidus maris æstus navibus
nocuisset mercatoriis,
si intra latera navium
stetissent minus fortes copiæ[3].

atque idem porro addit:

Non oceanum metuisti,
cum percurrebas fluctus turgidos;
Nec ullus princeps populi
viros adsequitur strenuiores.
Sæpe explorata est navis firmitas
(prora vorticem arduum
amoliente), Haraldo sate! priusquam
mediam attigisses Norvegiam[4].

---

1) centum et viginti, *B,H,K,L;* centum, *D;* ducentos et viginti, *cet.* 2) Sigvatus, *L.*

3) Constructio: *Valfasta veðr-örr! þú bjótt två knörru vestan; þópti a) skjöldúnga! èr hafit opt hætt i ótta b). Strángr straumr á unnum náði ángra kaupskipum, ef verra erríngar lið stæði innanborðs.*

a) Sic *D,F,K,L,S; þóptu A* et *cet.* *b) óttu,* prima luce, *L;* jungendum cum *bjótt.*

4) Constructio: *Æigi hræddust (þèr) ægi a), er fórut stóran sjá; engi allvaldr aldar of-getr b) nýtri drengi. Opt var*

Hic poëta testatur, regem Olavum, ex alto delatum, ad mediam Norvegiam appulisse. Insula autem, quam primum attigit, Sæla[1] vocatur, e regione Stadi sita. Tum Olavus: hunc, inquit, diem faustum, quod ad insulam Sælam appulimus, bonúmque, quod ita accidit, rerum nostrarum omen judicamus[2]. Postea, cum in terram escendissent, rex pedibus, qua solum erat limosum, ingressus, in genua prolabitur. Heic rex: nunc cecidi, inquit. Excipit Ranius[3]: nunc pedem in terra fixisti. Rex subridens: ita fieri, deo volente, potest. Deinde ad naves descendunt, et austrum versus in Ulvasunda[4] navigant. Hic cognoscunt, Hakonem dynastam, Eiriki filium, in Sognum esse meridiem versus profectum, eundemque, quam primum secundus adspiraret ventus, ab austro reversurum exspectari, una tantum nave vectum.

Cap. 43. Rex Olavus Tryggvii filius, cum in Norvegia regnaret, veram religionem ac ritus christianos ea in terra publice imperavit, quæ res multis in locis non sine magna difficultate confieri potuit. In qua religione promovenda quo magis adjuvaretur, hoc ejus gratia fecit, ut sororem suam[5] Erlingo Skjalgi filio de Jadare nuptum daret. Quæ cum suæ dignitati minus convenire judicaret, huic nubere, quippe viro ignobili, dimi-

---

neytt c) fars d), en flaust e) hratt af sèr brattum forsi, áðr hittuð f) miðjan Noreg, niðjúngr Haralds!

a) jöfra, B; ýtar, viri, *A;* utrumque contra metrum; *ægi, cet.* et Hkr. *b) litr,* adspicit, *B. c) nýtr, K; nautt, A; neytt, cet.* et Hkr. *d) fyrs, A;* obscure; *fárs,* periculum (rect. fars, navis) *cet. e) flaustr,* id., *F,L. f)* Sic *D,H* et Hkr.; *beittut,* nitendo attigisses, *A.*

[1]) Selja, *F,K;* alterum insulæ nomen; nunc *Sælöe,* in provincia *Nordfjord.* [2]) nempe *Sæla* tranquillitatem, prosperitatem significat. [3]) non cecidisti, rex! add. *D,E,F,H,L.* [4]) Södungsunda, *H.* [5]) Astridam, add. *D,E,L.*

diam partem mercedum prædiorum, dimidiamque etiam omnium redituum regiorum, inter Lidandisnesum atque Sognum, Erlingo tribuit. Noluit quidem Erlingus Skjalgi filius dynastæ nomine uti, verum tamen ditionem habuit ampliorem, quam plerique reguli tributarii. Olavus Tryggvii filius alteram sororem suam[1] Rögnvaldo Ulvi filio, qui diu postea Gothiæ occidentali præfuit, collocavit. Ulvus, pater Rögnvaldi dynastæ, frater erat Sigridæ Imperiosæ, matris Olavi, Svionum regis. Post cædem Olavi Tryggvii filii, cum fratres, Eirikus ac Svein, Norvegiæ præessent, unum regni trientem Eirikus dynasta[2] obtinuit; alter regni triens Sveini, Danorum regi, obtigit, qui maximam Vikæ partem tenuit[3]; tertius obtigit Olavo, Svionum regi, nempe quatuor[4] provinciæ[5] in Thrandheimo: provincia Sparbyggorum, provincia Verdælorum[6], Sköna, provincia Stordælorum[7]; utraque Mæria, Römsdali atque Ranrikium orientale[8], ad extremos regni terminos situm. Svein dynasta in matrimonio habuit Holmfridam, filiam Eiriki Svionum regis, sororem Olavi, regis Svionum; atque hujus nomine terram administravit. Ægre ferebat Eirikus, quod Erlingus Skjalgi filius tantum haberet ditionis. Cumque de fide ejus dubitaret, omnes ejus possessiones ac reditus prædiorum per totum Rogalandum sibi vindicavit; unde coloni prædiorum sæpe duplices dependere mercedes cogebantur ab Erlingo, aliter rura deva-

[1]) Ingibjargam, add. ceteri. [2]) Sic recte *H,K,L*; Erlingus, *A*. [3]) partem Vikæ, quæ eidem cesserat, Eirikus præfecti munere tenuit, add. *H,K,S*. [4]) Sic *D,E,K,L,S*; septem, *A*. [5]) Hic iterum incipit *G*. [6]) add. *E,G,H,K,L,S*; omitt. *A*. [7]) *Stórdæla*] *Storða*, *B*; *Stjóra*, *E,L*; *Strjóna*, *D*; rectius foret *Stjórdæla*. [8]) Sic ceteri omnes; *Austrvík*, *A*. Ceterum vide Hkr. VI, cap. 131; *Fornm. S.* 3B. p. 14, quæ de divisione Norvegiæ post pugnam Svoldricam agunt.

stante. Pecuniæ quoque multaticiæ exiguam tantum partem dynasta nactus est, quod præfectis nulla in provinciis manendi tuto facultas concessa est; neque dynasta eo in tractu conviviis interfuit, nisi magna stipatus caterva. De his mentionem facit Sigvatus poëta:

Erlingus, præstantissimi sororius
Olavi, nati Tryggvio,
tanta dynastæ usus est potentia,
ut terrori esset progeniei regiæ.
Dein rusticorum princeps alacer
suam dedit sororem Rögnvaldo,
Ulvi filio; nulla potuit
fortuna præstantior dari[1].

Eirikus dynasta ideo non aggressus est, cum Erlingo armis certare, quod hic multos ac potentes cognatos habebat, potentia non minus quam amicitiis pollebat, atque, regum more, semper circa se magnam habebat stipatorum multitudinem. Idem æstates in exercenda piratica sæpius consumsit, atque hoc modo opes comparavit; tenuit enim

[1]) Constructio: *Erlingr, mágr a) aldyggs Olafs Tryggvasonar, var svå at jarla b) mátti c), at átt d) skjöldúnga ægði e). Snarr búþegna harri gaf næst systr sina Rögnvaldi, arfa Ulfs; varat æðri f) aldrgipta.*

a) svå, add. *cet.* *b) jarli, B.* *c) máttit,* non potuit, *cet.* *d) er, B,E.* *e) ægja, G.* *f)* Sic conjeci pro *æðra, A;* quanquam hic versus metro non satisfacit. Sed mire variant codd. [1]) *Ulfs var þat, en aðra, B,S;* ɔ: *en sn. búþ. h. gaf næst Rögnv. aðra syst. s.; þat var aldrg. Ulfs,* hæc erat fortuna Ulvi (nempe filii Rögnvaldi, vide cap. 88 in fine. [2]) *Ulfseðjandi aðra, K;* metro aptius, quam sententiæ. [3]) *Ulfs feðr var þat, aðra, E* et Hkr., ɔ: hæc erat fortuna patris Ulvi (i. e. Rögnvaldi dynastæ). [4]) *Ulf varðaðar aðra,* obscurè, *D,L.* [5]) *Ulfs nið var þat, aðra, G,H;* ubi *Ulfs niðr* est Rögnvaldus dynasta. Ex quibus lectionibus tertia tantum et quinta tam metro quam sententiæ satisfaciunt.

pristinam liberalitatis et magnificentiæ consvetudinem, tametsi minora haberet sibique minus commoda salaria, quam quæ imperante rege Olavo, affini suo, habuerat. Fuit statura et viribus maximis, ore pulcro, beneque armorum peritus, et in omnibus exercitiis Olavo Tryggvii filio simillimus; prudens, in omnibus rebus strenuus, summus bellator. Hoc memorat Sigvatus poëta:

Ex ceteris, præfectorum munere
fungentibus, nemo fuit,
qui plures faceret pugnas, quam
animosus et acer Erlingus.
Suam vir liberalis fortitudinem
in præliis exhibuit quam maxime,
in multa namque primus prælia
processit, at excessit ultimus[1].

Vulgo traditum est, Erlingum suæ ætatis virum fuisse amplissimum. Hi fuere liberi Erlingi et Astridæ Tryggvii filiæ: Aslakus, Skjalgus, Sigurdus, Lodin, Thorer, Ragnhilda, quam duxit Thorbergus Arnii filius. Erlingus semper domi suæ habuit decem[2] aut plures decurias libertorum, idque tam hieme quam æstate; ibidem inter jentandum ad mensuram, super cœna absque mensura potatum. Ubi vero prope abesset dynasta, ducentos aut plures stipatores habuit; nunquam do-

[1]) Constructio *a)*: *Engi annar lendra manna varð sá, er átti fleiri orrostur Erlingi, stóð örr b) þorrinn c). Mildr seggr bar sinn þrek mest við sóknir d): þviat gekk fyrst innan e) í marga hildi, en örr á lesti f).*

a) Cum *A,B,L* tantum habeant duos primos versus, ceteri ex *S* desumti sunt. *b) ok*, et, *E*; sed contra metrum. *c) fjölkostigr*, multis ornatus virtutibus, *G*. *d) at sinni*, *D*; adversante metro. *e) snarr i èli darra*, acer in pugna, pro *sinn — innan*, *D,G*. *f) at flestu*, in rebus plurimis, *D,H,G*; tum *örr* adject. strenuus.

[2]) novem, *B,D,G,H*.

mo profectus est paucioribus comitatus, quam navem habens vigintitranstram, bene instructam; præter hanc ingens ei erat celox, triginta duobus interscalmiis instructa[1], congruenti magnitudine: hanc majorem expeditionibus bellicis aut piraticis adhibuit, ducentos aut plures milites ferentem. Triginta habuit servos[2], quibus opus quotidie distribuebat, quo absoluto otium et veniam eis dedit, ut noctu et crepusculo vespertino sibi ipsis opus facerent; dedit iis agros, quos consererent, ut perceptum frumentum in rem suam converterent. Cuique eorum pretium, quo se quisque redimeret, constituit, unde se multi in libertatem redemerunt[3], qua pecunia Erlingus alia mancipia coëmit. Suos autem libertos alias ad aleces capiendas, alios ad alias opes comparandas delegavit, alios in sylvam, qua excisa prædia sibi ædificarent, misit. Hos omnes, qui sub ejus manu fuerant, ad aliquod liberale studium perducebat.

Cap. 44. Jam rex Olavus a cursu vulgari deflectens, versus interiora ad Södungsunda contendit, ibique aliquamdiu naves ab utraque freti parte in ancoris tenuit. [Ferunt, Finnicum quendam virum in nave regis Olavi fuisse. Hunc fatum: magnæ et mirificæ sunt res, quæ jam mihi apparent. Interrogat aliquis: quid, quæso, est, quod nunc tibi apparet? Ille respondet: regis Olavi hanc in terram adventui magna adspirat fortuna; nam nave vectus huc adveniet hodie Hakon dynasta, quem nos vivum capiemus. Milites pro mendacio supplicium minati, eum ad regem du-

[1]) interscalmiorum numero trigintatranstra *G*; septuaginta duobus intersc. instr. *A*; quod mendum esse videtur, unde ceterorum Codd. lectionem secutus sum. [2]) præter alia mancipia, add. *D,E,G,H,L*. [3]) primo statim anno vel secundo, omnes autem, quibus aliquem successum fortuna dedit, se tribus annis redemerunt, add. *B,C,H,K,S*.

xerunt, et, quid divinasset, aperuerunt. Quo audito, rex vatem in custodiam dari jussit. Homo Finnicus regem obsecravit, ut se, qua libuisset, morte plecteret, si, quæ de his rebus aperuisset, vel uno verbo frustrarentur[1]. Illi vero utramque navem crasso rudente junxerant. Atque hoc eodem momento fretum intrat dynasta Hakon Eiriki filius, celoce vectus, viris instructa; qui cum naves in freto adesse conspicarentur, duas esse mercatorias rati, adnavigant in fretum, celocem per intervallum navium propellentes. Mox Olaviani sub carinam celocis rudentem traxerunt, eumque pressu carinæ hærentem vectibus moliebantur, quo facto elevata puppi, prora in præceps ferebatur, ut aquæ circa proram irruerent, celocem implerent, atque mox subverterent. Hic rex Olavus Hakonem dynastam natantem, omnesque, quos prehendere poterant, vivos cepit; quidam vero jactu saxorum et telorum perierant, alii pessum siderant. Sic Ottar Niger:

Qui sangvineo livido aliti
das prædam, ditate tributis!
cepisti Hakonis celocem cum ornatis
armamentis ipsosque (vectores).
Volucrem qui pascis, pugnis gaudentem!
tu juvenis huc veniens avitas,
quæ tuæ erant, occupasti terras;
hoc prohibere non potuit dynasta[2].

---

[1]) Quæ ab signo [sunt, nesciunt omnes, præter *A*.

[2]) Constructio: *Bræðir a) bengjálfs b) blágjóða, gnægðr skatti! tóktu skeið Hàkonar með skreyttu c) reiði, ok þá sjálfa. Þróttar þíngs mágrennir d)! úngr sóttir þú hingat áttlönde e), þau er áttuð f): máttit jarl standa fur þvi g).*

a) Beiðir, G; alienum h. l. *b) bengjálfrs*, id., *cet.* *c)* Sic *cet.; skreyttri, A; skreyttum, D,S.* *d)* Sic *D,E,F; mágrennr, G; margrennir, A.* *e)* Sic *B,D,E,H; ættland, A* et *cet.* *f) sá er átti, A; þar er áttuð, F,G,L.* *g) þeim, B; þèr, G.*

Posthæc Hakon dynasta in navem regiam ductus est. Erat pulcritudine eximia, coma decora, caputque aureis lamellis redimiverat. Ille in primore interscalmio consedit. Tunc Olavus rex: minime falsa sunt, quæ de te cognatisque tuis prædicantur, vos de facie pulcros esse, jam vero fortuna destituti estis. Cui Hakon dynasta: atqui hoc infortunium non est: frequenter enim hoc in mundo usu venit, ut jam hi, jam illi reportarint victoriam; quod et nobis accidit tuisque consangvineis, ut varia usi sint fortuna; quo accedit, quod nondum ex pueris egressus sum, neque nunc admodum parati eramus, nos ab hostili incursione defendere; atque potest fieri, ut alio tempore fortuna meliore utamur. Rex contra: nonne suspicaris, dynasta! rem nunc ita cecidisse, ut posthac neque bene neque male rem gesturus sis. Hic dynasta: penes te hujus rei arbitrium nunc esse intelligo. Tum rex: quid de te merebo, dynasta, ut te, pace concessa, quocunque abire volueris, salvum inviolatumque dimittam? Dynastæ, quid peteret, interroganti, rex: nihil aliud, inquit, quam ut terra excedas, nobisque ita regnum tuum dedas, ut jurejurando confirmes, te nunquam prælium adversus me commissurum. Hoc se dynasta facturum, quemadmodum postularet rex, significavit. Dein Hakon dynasta regi Olavo jurejurando confirmavit, se postea nunquam cum eo dimicaturum, neque, quominus Norvegiam recuperaret, prohibiturum, neque recuperatam armis repetiturum. Quo facto rex ei omnibus suis pacem concessit, navemque, qua antea fuerat vectus, accepit. His gestis cursum perrexerunt. Hujus rei meminit Sigvatus poëta:

Rex potens gloriæque cupidus
necesse sibi esse dixit,
Hakonis petere congressum

in vetusto Södungsundo.
Severus juvenis rex hic offendit
dynastam, qui erat præstantissimus
alter et optimo natus genere
Danica lingva loquentium[1].

Posthæc dynasta profectionem e regno quam celerrime comparavit, et occidentem versus in Angliam navigavit, ubi regem Knutum, avunculum suum, conveniens, ei de omnibus, quæ se atque Olavum intercessissent, exposuit. Rex Knutus Hakonem dynastam benignissime exceptum in aula sua commorari jussit, eique magnum imperium dedit. Hakon dynasta aqud Knutum regem diu commoratus est.

Cap. 45. Cum Svein et Hakon dynasta Norvegiæ imperabant, pacem cum Erlingo Skjalgi filio fecerunt, his conditionibus, ut Aslakus, filius Skjalgi, Gunnhildam, Sveinis dynastæ filiam, duceret; Aslakus quoque et Erlingus, filius ac pater, omnia salaria, quæ Erlingo tribuisset Olavus Tryggvii filius, retinerent. Quo factum est, ut Erlingus in intimam perveniret Sveinis dynastæ amicitiam, quam amicitiam inter se jurejurando confirmarunt.

Cap. 46. Posthæc rex Olavus cursum orientem versus secundum litora direxit, et conventus cum incolis habuit, quorum quidem multi in partes ejus transierunt, alii vero, qui aut amici aut cognati erant Sveini dynastæ, imperium ejus recusarunt. Quare rex Olavus magna celeritate orientem versus in Vikam contendit, quo cum co-

[1]) Constructio: *Rikr frægðar a) gjarn konúngr kvað b) sèr nauðir at sækja fund Hákonar í fornu Sauðúngs c) sundi. Strángr d) úngr þengill hitti þar þann jarl, er var e) annar æztr ok gat bezta ætt á danska túngu.*

a) fremdar, honoris, *K,S.* *b) lèt*, id., *E.* *c)* hic incipit lacuna in *E.* *d)* hic iterum incipit *C.* *e) varð*, extitit, *B,C,D,F,S.*

piis delatus, navibus subductis, in mediterranea profectus est. In Vestfoldam veniens, benigne exceptus est a compluribus, qui amici patris ejus fuerant; ibidem quoque multi erant ipsi cognati. Proximo autumno in Upplanda[1] profectus est ad regem Sigurdum Porcam, vitricum suum. Huc mane diei pervenit. Ubi autem rex Olavus prope a villa regis aberat, famuli ad ædes præcucurrerunt, atque cœnaculum intraverunt. Sedebat intus Asta, mater regis Olavi, multæque circa eam feminæ. Narrant famuli de itinere regis Olavi, addentes, eum jam prope a villa abesse. Asta illico exsurgens, famulos et famulas jubet, domum quam optime instruere; duo famuli pavimentum stipula straverunt, duo abacum et craterem attulerunt, duo mensam statuerunt, duo cibaria proposuerunt; duos domo misit ad Sigurdum regem; duo cerevisiam intro portarunt; quotquot vero aderant famuli famulæque, hi omnes se ad excipiendum regem Olavum præparaverunt. Missi ad regem Sigurdum venerunt, eique regium ornatum attulerunt, et equum ejus adduxerunt, aureo instratum ephippio, frena vero erant pretiosis lapidibus distincta[2]. Quatuor viros Asta in quatuor pagi partes dimisit, omnesque viros dignitate conspicuos invitavit, rogans, ut convivio, quo reducem filium grataretur, adesse non dedignarentur. Omnes qui domi aderant, optimo vestitu, si quem habebant, se induere jussit, quibus non erat, ipsa vestes dedit.

Cap. 47. Rex Sigurdus Porca in agro quodam erat constitutus, cum missi advenerunt, eique hæc nova, et omnia quæ domi in villa administrari Asta curaverat, retulerunt. Hic tum multos circa se viros habuit, quorum alii metebant [segetem, alii messem in manipulos colligebant,

[1]) in superiora terræ, *B,C,G.* [2]) et aurea, add. *B,K,S.*

alii domum vehebant[1], alii advectam in nubilariis et horreis condebant; ipse rex, duobus viris comitatus, subinde in agrum, ubi congerebatur messis, ventitavit. De vestitu regis Sigurdi hæc prodita sunt: gestavit cæruleam tunicam et cærulea tibialia, calceos altius cruri adstrictos, sagum glaucum, pileum laneum[2] latum, manu baculum, superne circulo argenteo, cui argenteus inerat annulus, instructum. Talis fuisse dicitur indoles Sigurdi regis: diligens erat œconomus, res suas ipse curabat, ipse rem domesticam administrabat; in cultu minime splendidus, admodum pauciloquus, hominum, quos tunc temporis habuit Norvegia, prudentissimus et pecuniis ditissimus, pacati ingenii et aliena minime appetens. Uxor ejus Asta erat liberalis et magni spiritus. Hi erant liberi eorum: [Gunnhilda, natu maxima, tum Guthormus[3], Halvdan, Ingirida[4], denique Haraldus. Tum missi regem Sigurdum allocuti sunt: Asta nos jussit hæc ad te mandata perferre, quod permagni sua referre judicaret, te jam magnificentiam exhibere, rogans, ut nunc magis genus et ingenium referas Haraldi Pulcricomi, quam dynastæ Nereidi Prisci aut Ranii Mjonevi (Nasicæ), avi tui materni, quamvis hic sapientia esset excellens. Rex fatur: rem ingentem affertis, eandemque magno cum fervore jactatis; et profecto vere potest hoc prædicari, quod Asta liberaliter excipere consvevit homines, quos minus prolixe oportuit, quam talem tantumque filium; hanc vero rem magno fervore agitat. Quod si eum ita domo deducit, ut eum nunc introducit, paremque exhibet magnificentiam, bene quidem res se habet, si ista

[1]) Hæc addunt *C,D,G,H,K,L;* quæ nec abesse posse, et omissa esse sequens particula *eptir* indicare videtur. [2]) hanc vocem nesciunt ceteri. [3]) Guttormus, natu maximus, tum Gunnhilda, *cet.* [4]) Sigurdus, *C,L.*

ratio constabit. Sed quæ mea est animi tenuitas, existimo, si res ita procedet, hos, qui se his negotiis venditant, neque rebus suis, neque saluti bene consulere: hic enim vir, Olavus, rem viribus majorem molitur, si in his perseverat, cum tam in ipsum, quam in ejus consilia, Danorum nec non Svionum regis ira incumbat. His dictis resedit Sigurdus et calceamenta sibi detrahi jussit, pedibus vero induit perones e corio Cordubensi, quos inauratis calcaribus revinxit; deinde deposuit sagum [et tunicam, sericas induit vestes, quibus amiculum coccineum superinduit[1], ornato gladio se accinxit, deauratam galeam capiti imposuit, quo facto equum conscendit. Missis in viciniam operariis, triginta viros strenuos et splendide vestitos delegit, qui cum eo ad villam equitarunt. Cumque in aream ante cœnaculum pervenit, vidit ab altera parte areæ signum ferri, ipsumque adesse dominum, regem Olavum, centumque viros, omnes splendide vestitos; tum quoque homines per omnia domuum intervalla erant dispositi. Rex Sigurdus protinus regem Olavum, privignum, omnesque comites, ex equo salutavit, et apud se commorari jussit, omnia, quæ præstare posset, tam ditionem quam copias, offerens; pro quibus officiis rex Olavus comiter gratias egit. Descendunt equis, atque ædes intrant. Tum Asta filium suum adit et osculatur, salvumque adesse jubet, quæcunque præstare posset offerens, atque eum in cœnaculum ad celsam sedem ducit. Rex Sigurdus viros delegit, qui vestes eorum servarent et equis frumentum darent, ipse vero celsam sedem adiit et convivium studiosissime instauravit.

Cap. 48. Cum rex Olavus haud[2] diu apud Sigurdum, vitricum suum, commoratus esset, die

[1]) hæc, sine dubio a librario omissa, addunt ceteri. [2]) hanc vocem ceteri Codd. addunt.

quodam ipsum, matrem Astam et Ranium educatorem in colloquium vocavit. Tum rex Olavus infit: sic est, Sigurde vitrice, quemadmodum tibi notum est, ut hanc in terram venerim, longo tempore apud exteros sic exacto, ut ego meique commilitones id solum ad vitam sustentandam habuerimus, quod prædando, compluribus in locis vita animoque periclitati, adquisivimus, multis innocentibus vita et facultatibus spoliatis. Possessiones vero, quæ jure hæreditario ad me pertinent, quas pater meus, hujusque parens, et majores nostri, unus post alterum, possederunt, nunc occupatas tenent homines exteri, qui hoc non contenti, omnes possessiones cognatorum nostrorum, qui per majorum stemmata genus ad Haraldum Pulcricomum referunt, in potestatem suam redegerunt, nonnullis exiguam tantum partem, aliis nihil omnino concedentes. Jam vobis rem, quam diu animo fovi, aperiam: statui hæreditatem patriam repetere, neque in animo est, adire regem Svionum aut regem Danorum, ut ab his harum rerum quidquam petam, etiamsi aliquamdiu suam possessionem vocarint has res, quas possedit rex Haraldus Pulcricomus. Ego potius, ut vera vobis dicam, apud animum statui, avitam hæreditatem ferro et armis repetere, atque in eam rem opera uti omnium cognatorum et amicorum, omniumque hominum, qui in hanc sententiam mecum ire voluerint. Atque stat sententia, hæc postulata ita demum edere, ut futurum sit, ut aut totum recuperem regnum, quod cæso rege Olavo Tryggvii filio occupaverunt, aut ego hic in hac terra, quam mihi mei reliquere majores, occumbam. Jam de te, Sigurde vitrice, item de ceteris regni incolis, qui ad regiam dignitatem jure majorum nati sunt, hoc facio judicium, vos non adeo nolle, sumto animo, hanc repellere genti vestræ illatam ignominiam,

ut non eum sitis omni studio adjuturi, qui se ducem ad restituendam familiæ vestræ auctoritatem præbuerit. Sive vero mihi hac in re aliquam opem, vitrice, præstare vis, sive nullam, novi tamen ingenium populi, quantopere omnes cupiant, ut primum animum sumserint ducemque nacti fuerint, se a servitute exterorum principum eximere. Ea vero de causa hanc rem nulli prius aperui, quam tibi, quod vir prudens es, et quod nosti, qua ratione ista consilia ab initio institui et ad finem perduci oporteat, utrum primo occulte agi et cum paucis tantum viris prudentibus communicari, an in multitudine et coram populo palam tractari debeant. Ego quoque haud levi damno eos affeci, vivo capto et expulso Hakone dynasta, qui jurejurando interposito terræ partem, quam sibi vindicaverat, mihi dedit. Quare existimo, rem faciliori negotio cum solo Sveine confectum iri, quam si adversus utrumque mihi contendendum esset. Tum rex Sigurdus respondit: haud parva animo agitas! hæc vero ratio contentione magis quam consilio instituta est, si quid video. Neque præter exspectationem accidit, permultum interesse inter meam animi parvitatem atque quo nunc raperis animi impetum. Nam, cum vixdum e pueris egressus eras, quantum in te fuit, omnibus in rebus plenus fuisti contentionis et iniquitatis. Jam vero, cum in præliis expertus sis, atque te ad mores exterorum principum composueris, novi, te ita demum hanc rem proposuisse, ut te dehortari frustra sit. Et danda profecto est venia, si, qui excelsiori sunt animo, ægre ferant, jacere totam Haraldi Pulcricomi prosapiam hujusque regiam dignitatem. Nolo autem ullis obstringi promissis, priusquam novero, quod sit ceterorum regum Upplandorum consilium et sententia. Bene vero fecisti, quod me hujus consilii fecisti certiorem, pri-

usquam id in vulgus palam ederes. Quare tibi operam meam polliceor in hoc negotio apud reges, alios principes viros et populum agendo; atque veniam tibi do, ut pecunia mea, quantum usus postulet, ad rem tuam utaris. Sed ita hanc causam ad populum deferendam censeo, si quid roboris accedere video ad tantam rem perficiendam; nam animo perpendas velim, nos rem ingentem moliri, si adversus Olavum, Svionum regem, et regem Knutum Potentem, nunc Daniæ et Angliæ imperantem, vi contendere cogitas; quare necesse est, ut res firmis præsidiis muniatur, si ad effectum perducenda est; et futurum crediderim[1], ut bonam nanciscaris auxiliorum copiam, cum populus rerum novarum cupidus esse soleat. Sic olim evenit, quando Olavus Tryggvii filius ad imperium accessit, ut omnibus exoptatus veniret, quamvis ei brevi tempore regia uti potestate liceret. Tum Asta locuta est: meum tale est ingenium, ut tuo, fili, adventu læter, et hoc maxime, si tua auctoritas quam maxima incrementa capere posset. Mallem tamen, si earum rerum optio proposita esset, ut rex fieres totius Norvegiæ, etiamsi regnanti vita non longior, quam regi Olavo Tryggvii filio, concederetur, potius quam ut rex factus, rege Sigurdo Porca non potentior, diem senio confectus obires. Posthæc concilium dirimunt. Rex Olavus aliquantum temporis cum omnibus suis ibidem commoratus est. Hos rex Sigurdus, alternis diebus, piscibus et lacte, alternis, carnibus et cerevisia cibavit.

Cap. 49. Rex Olavus, cum suos audiret Sigurdo, vitrico suo, vitio vertere, quod alternis diebus lac, non cerevisiam præberet, graviter eos increpuit, dicens, regem Sigurdum hoc facere pru-

[1]) Hic iterum incipit *E.*

denter, sauciis enim utilius esse lac, quam cerevisiam. Festo Jolensi adpetente, rex Sigurdus splendidum instaurari convivium curavit, optimis comparatis rebus, quarum quidem facultas ea in terra fuit, cibo, potione, convivarum frequentia. Asta quoque ædem ingentem, quæ regi Sigurdo fuit, pretiosissimo apparatu*) instrui curavit, et in ea splendidam fieri celsam sedem, uti par erat, in qua Olavus festo Jolensi sederet. Prima Jolensi vespera Asta Olavum suosque omnes in ædem*) deduxit, et ipsi honoris causa, ut par erat, celsam sedem designavit. Cum vero eô cum suis venisset, rex Sigurdus, pleno regio ornatu indutus, cum toto suo comitatu aulam ingressus est, regem Olavum adiit et amanter salutavit, eum et suos omnes, ut convivio, quod apparari fecisset, adesse vellent, rogavit, jubens eum secum, quamdiu vellet, commorari; hæc multis ac pulcris verbis prosecutus est. Quibus dictis sedem juxta Olavum occupavit. Dein reges de multis rebus sapienter colloqui cœperunt, ac magna cum lætitia et hilaritate potabant. Initio hiemis rex Sigurdus paulo tristior fuerat, nunc vero hilaris erat, et multis de rebus interrogabat, tam de itineribus regis Olavi, quam de expeditionibus, quas peregre fecerat. Olavus autem ac sui multa quoque memorabilia de profectionibus ejus, quæ largam præbebant disserendi materiam, referebant. Rex Sigurdus, cum relationem de præliis, in terris orientalibus, regno australi, Germania et Hispania ab Olavo commissis, audivisset, magna captus est admiratione. Ex his omnibus maxima extitit convivantium lætitia, ingeniosis responsis Sigurdi regis amplificata. Ita festum Jolense exiit, ut regis Sigurdi existimatio, hoc convivio et magnificentia,

*) In priore loco, pro *herbúnadi* legendum puto *húsbúnadi*; in posteriore, pro *hásœtit*, *húsit* vel *höllina*, aut simile quid.

omnium judicio vehementer augeri videretur. Haraldus, Sigurdi et Astæ filius, hoc tempore tam tenera erat ætate, ut in cunis jaceret neque loqui posset. Hunc Asta ad regem Olavum ferens loquitur: en puerum, quem ego ac Sigurdus rex habemus; velim, fili, huic fratri tuo bene cupias. Hæc dicens puerum gremio Olavi imponit. Ille puerum intuitus tacuit. Tum Asta: velim mihi significes, numquid in eo ingenii latere putes. Cui Olavus: quis eum præstat, mater, bona consilia daturum? ego præstabo futurum non insipientem, si vita frui licebit. Quo dicto Asta puerum asportavit.

Cap. 50. Hoc tempore multi fuere Upplandorum reges, provinciis præfecti, quorum plurimi ab genere Haraldi Pulcricomi orti erant. Heidmarkæ duo præfuere fratres, quorum alteri nomen erat Rærekus, alteri Ringus; Gudbrandsdalis præfuit rex, nomine Gudrödus[1]; fuit quoque (alius) rex in Römarikio, qui Thotno et Hadalando præfuit; in Valdreso quoque rex fuit. Cum his omnibus regibus Sigurdus rex conventum in Hadalando habuit, cui quoque rex Olavus Haraldi filius præsens adfuit. Hic rex Sigurdus aperit regibus consilium regis Olavi, privigni sui: rogat, ut opibus et consilio rem adjuvent, suoque consensu confirment: docet, quam necesse eis sit, servitutem, qua eos oppresserint et Dani et Sviones, repellere: ostendit, adesse virum, qui harum rerum auctor esse velit: enumerat multas res, præclare ab Olavo Haraldi filio gestas et acute inventas, quas in regnis borealibus, australibus et occidentalibus, omnibusque locis, ubi piraticam exercuerat, patravisset; nam a pueritia ad illud usque tempus, ubicunque fecisset piraticam, rem bene gesserat et victoriam reportaverat. Huic rex Ræ-

[1]) Sic ceteri; Gudrekus, *A*; vide caput 73.

rekus respondit: verum est, destructum ferme jacere regis Haraldi Pulcricomi imperium, cum ex posteris ejus nemo sit, qui toti imperet Norvegiæ. At hujus regni incolæ varia (imperia) tentarunt. Hakon Adalsteinis-alumnus aliquantum temporis rex fuit hujus terræ, cujus imperio omnes cives bene acquieverunt. Cum vero Gunnhildæ filii rempublicam curabant, incolæ, tyrannidis eorum et iniquitatis pertæsi, exteris principibus parere, salva libertate, maluerunt. Exteri enim principes, cum remotiores essent quam ut mores hominum notare possent, tributis, quæ pacti fuerant, contenti, nulla populo onera imposuerunt. Ubi vero inter se Haraldus Danorum rex et Hakon dynasta dissederant, piratæ Jomenses Norvegiam invaserunt, adversum quos consurgit totius regni incolarum universitas, hanc invasionem represserunt, atque Hakonem dynastam hortati sunt, ut tributa regis Danorum retineret terramque ab ejus incursionibus ferro et armis defenderet. Cum vero dynasta, ope civium, plenam sibi nactus potentiam videretur, tam immodicum ac durum incolis sese præbuit, ut iniquitatem ejus ferre æquo animo non possent; quare ipsi Thrandi eum interfecerunt, et rerum summam ad regem Olavum Tryggvii filium detulerunt. Qui cum esset ad regium imperium hac in terra, jure majorum, natus, et ad hanc dignitatem omni nomine idoneus, universus populus id summo studio et animorum consensu agebat, ut hunc sibi regem sumeret atque de novo regnum ad eum transferret, quod Haraldus Pulcricomus olim tenuerat. Cum vero ad summum pervenisset imperii fastigium, nemo fuit, quem libertate frui sineret. Tunc enim nos regulos magna severitate invasit, dum omnes provincias, quas rex Haraldus tenuerat, in suam redigeret potestatem: quædam etiam minori jure

ad se rapuit. Et tantum aberat, ut per eum sui juris essent homines, ut quem in deum crederet, liberum esset nemini. Hic vero postquam regno exutus est, jam colimus amicitiam Danorum regis, qui nos in omnibus rebus, quas usus postulat, cum magnopere adjuvit, tum nobis libertatem vitæque tranquillitatem concessit, ab omni dominatione exemtis. Jam, ut méam voluntatem aperiam, fateor quidem, me, quo loco nunc sunt res, contentum vivere, cum nesciam, etsi aliquis mihi cognatus rex fiat hujus terræ, utrum eo magis meis commodis aliquid sit incrementi accessurum, nec ne. Illud vero possum confirmare, si nihilo magis meus honos augebitur, me minime hæc consilia communicare, sed omnino recusare. Tum Ringus, frater ejus: ego quoque meam mentem aperiam; etsi idem, quod nunc habeo, regnum, easdemque possessiones habiturus sim, tamen, si forte hac via aditus facilior genti nostræ ad honores pateat, satius duxerim, aliquem mihi consangvineum Norvegiæ imperare, quam exteros principes, ad quos hoc regnum nullo jure pertineat. Id quoque de hoc viro, Olavo, mihi præsagit animus, in ejus fati ac fortunæ prosperitate situm esse, utrum rex (alius) summo imperio potiturus sit, nec ne. Quod si singulare totius Norvegiæ imperium obtinebit, nonne, quo quis majoribus beneficiis amicitiam ejus sibi devinxerit, hoc se melius fecisse existimabit? tum sane nemo se invitum putabit operam ei dedisse. Hic quidem non opibus plus valet, quam nostrum aliquis, nisi forte eo minus, quod nos regni partem ac ditionem habemus, cum ille nihil omnino ditionis habeat: neque nos, jure majorum, minus quam ille ad hoc regnum regiamque dignitatem nati sumus; si vero tanto studio operam nostram ei conferimus, ut summam ei dignitatem hac in terra tribuentes, eum

omnibus opibus ad regnum obtinendum adjuvemus et nosmet ipsos nostraque omnia periculis, ejus causa, exponamus: quidni nobis horum gratiam referet, diuque postea habebit, si tanta ejus virtus est, quanta prædicatur, quantamque esse existimo? Quare agite, si quid mea valet auctoritas, id periculi adeamus, ut cum hoc amicitiam jungamus, et quæ hortatus sum faciamus! Posthæc quisque regum unus post alterum surrexit et verba fecit. Quorum oratio eodem ferme rediit, plurimorum enim animi ad sententiam Ringi inclinabant, ut major pars societatem cum rege Olavo jungendam svaderet. Etsi vero Ræreķus invitus erat et rem dissvadebat, tamen, cum neminem sibi consentientem animadverteret, solus in (contraria) sententia perstare non potuit, atque sic locutus est: valeat ergo auctoritas vestra, qui Olavum hujus terræ regem singulari potentia creare, et vosmet ipsos vestraque omnia periculis, ab Danorum et Svionum rege metuendis, exponere velitis! Ego vero, ut futuri providus non sim, animo præsagio, vos, qui nunc hanc causam summo studio agitis, neque aliud audire vultis, quam regi Olavo tantam concedi potestatem, ut vester et insuper totius Norvegiæ dominus constituatur, non multis elapsis annis hujus pœnitentiam acturos, item nos omnes, qui huic sententiæ calculum addimus. Neque enim is sum, qui omnium voluntati resistere velim. Etsi vero, Olave cognate, his in rebus animo minus propenso tibi forte fuisse videar, tamen ex his regibus, qui huc convenere, nemo erit, qui res tuas firmiori auxilio sublevabit, quam ego, siquidem tuarum partium esse statuimus. His actis hi sex reges fidei Olavi se commiserunt, ei polliciti quicquid haberent copiarum, eumque omnibus viribus ad imperium obtinendum adjuturos; ille vero vicissim, si singulare Norvegiæ imperium adipiscere-

tur, iis integram suam amicitiam novasque privilegiorum accessiones, si modum servare possent, pollicitus est. Hæc jurejurando inter se sanxerunt.

Cap. 51. His peractis reges conventum indicunt; in quo rex Olavus de hac re, de suo consilio et jure, quo regnum postularet, coram populo exponit; rogat, ut incolæ se regem totius terræ agnoscant; vicissim pollicetur, se priscas leges observaturum, terramque ab exterorum principum invasionibus defensurum. Longa usus est disertaque oratione, quæ secunda populi acclamatione excepta est. Dein reges surrexerunt, et unus post alterum verba fecerunt, atque de hac re coram populo egerunt, eo tandem exitu, ut Olavo nomen regis totius terræ concederetur, eidemque regnum legibus Upplandicis adjudicaretur. Posthæc rex Olavus iter ingressus est, et convivia, sicubi regia erant prædia, præparanda imperavit. Primo per[1] Hadalandum, deinde boream versus per Gudbrandsdalos profectus est. Atque evenit, quod rex Sigurdus Porca conjecerat, ut tanta ad eum conflueret multitudo, ut vix dimidia parte sibi opus esse putaret; et tamen duas virorum centurias cum dimidia[2] habuit. Hinc factum est, ut imperata convivia ei non sufficerent; mos enim fuerat regum Upplandorum, ut provincias sexaginta aut septuaginta, nunquam amplius centum viris stipati obirent. Quare iter festinavit, singulis tantum noctibus uno loco moratus. Ubi autem ad montem borealem (Dofrium) pervenit, iter per montana ingressus est.

Cap. 52. Thordus Sigvaldii-poëta[3] olim apud regem Olavum, dum piraticam exercebat, versatus fuerat. Filio Thordi nomen erat Sigvatus, qui

[1]) Hic lacuna incipit in *E.* [2]) amplius tres centurias, *G*; tres centurias, *ceteri.* [3]) Thordus poëta, filius Sigvaldii, *G,K*; pravè.

Apavatni in Islandia apud Thorkelem educatus est, [tardiusque ad maturitatem pervenire videbatur. In Apavatno (lacu) magna est piscium captura[1]. Hospitabatur apud Thorkelem Östmannus (Norvegus) aliquis, homo sapiens et rerum peritus. Hi, cum in glacie (lacus) sedentes operam darent piscatui, magnum pulcrumque piscem viderunt in conspectum prodeuntem, quem capere non potuerunt. Tum Östmannus Sigvatum, qui ei perquam carus erat, hortatus est, ut in lacum descenderet, eique instrumenta piscatoria apparavit. Qui cum brevi tempore sedisset, pulcrum illum piscem cepit; atque cum domum revenerunt, piscis elixatus est. Tum Östmannus Sigvatum hortatus est, ut caput piscis primum comederet, in eo enim cujusque animantis prudentiam latere. Sigvatus caput et totum piscem comedit, quo facto hos versus composuit:

> Quemadmodum conati sumus extrahere
> marinum serpentem ex ericeto
> piscosi æquoris, ita piscis venenati
> captura nobis cedit ex sententia.
> Alius capiat, licet, auratam
> adlabentem, hamo correptam:
> mihi successit bene, uncum
> reciprocare esca onustum[2].

---

[1]) confer Itinerarium Eggerti Olavii Tom. 2, p. 871.

[2]) Constructio: *Sem vèr höfum leitat at teygja leygjar orm α) or lýngvi lýsuvángs*), gengr eitrfiskr β) oss at óskum. Annar a) má fánga aungul-gripinn atrennis örriða γ); mèr hefir vel hagnat b) at erja agngagli δ).*

a) mea conjectura pro *annars, A.* *b)* certo memini, me in aliquo exemplari chartaceo hanc lectionem vidisse, quæ meliorem sensum fundere videtur, quam *fagnat, A.*

α) serpens maris v. aquæ, h. l. angvilla videtur appellari, quæ a vulgo interdum non ad pisces, sed ad angves refertur, cujusque species aliqua, *hrökkáll* dicta, venenata creditur, unde explicari potest appellatio mox sequens, *eitrfiskr.* Confer Eggerti

Sigvatus deinde vir intelligens extitit, et peregre profectus est[1]. Cumque in Norvegiam venisset, adiit regem Olavum, petens, ut carmen (de ipso) coram recitare sibi liceret. Rex respondit, nolle se carmen ejus audire, non enim fieri de se carmina placere. Tum Sigvatus hos versus pepigit:

Rex nobilis, qui naves bellicas
nigro colore pictas destruis!
aures præbe carmini meo, nam calleo
versus facere; unum poëtam habueris.
Etsi recuses omnino
laudationem aliorum poëtarum,
ego nihilominus tua, rex,
gesta satis celebrabo versu[2].

Itinerar. pag. 596. *) *Lýsa*, piscis genus, hodieque incolis Islandiæ borealis notum, citatur in *Edd. Snorr.* p. 218, videtur esse gadus Merluccius, vide Lex. Soc. Scient. sub vocibus *Lysse* et *Lysing*, diversum tamen ab *hlýri (Lyr)*; h. *lýsu vángr*, mare vel aqua; *lýng* vero additur, ratione serpentis: nam serpentis est, in ericetis latere. β) vide not. α. Sed, ut durior sententiarum nexus leniatur, legendum svaserim aut *fiski*, f. piscatura, captura, et jungendum *eitr-orm leygjar*, venenatum maris serpentem, aut *fisk*, in acc., hoc ordine: *oss gengr at óskum, sem vèr höfum leitat, at teygja eitrfisk, leygjar orm, or lyng. lýsuv.*, i. e. conatus noster, venenatum piscem, maris angvem, capiendi, ex voto cessit. γ) *atrenni*, n. accursus, adlapsus; possit etiam de demissione hami *(renna aungli)* vel reciprocatione sumi, quo spectat lectio codicis, sub not. *b.* memorati, *ánga* pro *aungul*, ex qua *atrennis ángi*, ramus reciprocationis, foret hamus piscatorius. δ) *agngagl*, de hamo accepi, esca onusto, nam cum tela & sagittæ soleant cum avibus ob celeritatem comparari, non inconvenienter h. l. adjicitur *agn*, ubi hamus est describendus. *Erja,* propr. arare, h. l. assiduè movere vel facere aliquid.

[1]) Quæ a signo [sunt, in nullo ceterorum Codd. reperiuntur, præterquam in *H.*

[2]) Constructio: *alltiginn meiðir a) myrkblakks b) tjalda drasils! hlyð minum brag, því ek kann yrkja; þú mátt eiga eitt*

Rex Olavus Sigvato præmii loco armillam dedit auream, dimidiam selibram pendentem. Mox Sigvatus satelles Olavi regis factus est; tum hos versus addidit:

Rex bellicose! accepi lubens
tuum ensem; hæc voluntas est mea
(nec equidem poësin vitupero:
huic postea studium dedi).
O princeps, auri liberalis!
fidelem nactus es satellitem,
ego vero dominum, propitium mihi;
nos ambo bene consuluimus nobis[1].

Cum Sigvatus ab Islandia ad regem Olavum venit, hos versus composuit:

Existimabor hominibus
rogator adsiduus, qui, cum antea
præmia acceperim aurea,
nunc pelliceas vestes petam.
Tu, qui das aurum liberaliter!
da navis mercatoria

---

skáld c). Þótt d) öllúngis nitit lofun e) annara skálda, fæ ek þèr, allvaldr, hróðr hlit at hvaru.

a) beiðir, B; repugnantibus literis metricis. *b) myrblans, B,* sine sensu; *myrkhals,* dub. *D,F,L; myrkhjarls,* obscuræ terræ, *C,* minus apte; *myrkblás,* cæruleo (colore) *K,S* et Hkr.; *myrkhatts* (vel *-hátts?*) *M. c) spjald, B;* forte *skjald,* id. *d) þviat,* namque, *C,F,L. e) lofum,* laudes, *K,L.*

[1]) Constructio: *Sóknar njörðr! Ek tók lystr við þinu sverði: sá er minn vill [nè a) ek lasta leyfð, þat var siðan iðn]. Þollr linns b) blóða látrs c)! fèkktu hollan húskarl, en ek lánar drottinn, góðan mèr; höfum báðir ráðit vel.*

a) hanc voculam, quam nesciunt *A,F,L,* recte restituerunt Editores. *b)* Sic ceteri; *lands,* terræ, *A. c)* ita ceteri; *linns,* serpentis, *A;* sed, etsi *þollr linns blóða lands,* sec. *A,* ejusdem plane significationis sit ac *þollr linns blóða látrs,* tamen, cum *τo linns* syllabæ metricæ repugnet, atque facile ex *látrs* depravari a librario potuerit, non dubitavi plurimorum Codd. lectionem recipere.

dimidio portorio levetur;
en, ego ipse hæc a te petivi[1].

Cap. 53. Rex Olavus, ductis per Uppdalum copiis, descendit in Orkadalum. Hic conventu acto ab incolis petivit, ut se regem sumerent: testes produxit, qui præsentes adfuerant, quando Hakon dynasta interposito jurejurando ipsi tradiderat eam regni partem, quam hic sibi vindicarat, quamque antea Eirikus dynasta tenuerat, nempe quatuor provincias: Orkadalensem, Gölardalensem, Strindensem[2], Eynensem. Hic multi eum libenter exceperunt, alii aufugerunt, quidam recusarunt. Svein dynasta Steinkeris[3] in Thrandheimo interiore se continebat; hic convivium Jolense apparari curabat, ibi enim eo tempore ma-

[1]) Constructio: *Gjörbænn a) mun ek b) þikkja c) hnykkjandum d) gunnar e) gamms f): vèr þágum áðr ægis eld, en g) nú bið ek felda h). Engjar i) lýru k) láð l) þverrandi! veit þú enn hálfa m) landaura afgánga n) af knerri; ek hefi sjálfr kraft o).*

a) Sic ceteri, et quidem ad metrum convenientius; *gjörbæninn*, eod. sensu, *A.* *b) maðr ok*, *B.* *c) heitinn*, dicar, *B, D,K,L*; *veita* (rect. *heita*) *G.* *d) teitundum*, iis, qui lætum reddunt (alitem prælii), *B*; *teitandum*, id., *D,G,S*; *reiterum*, prave, *F,L.* *e) göfgum*, illustribus, contra metrum, *G.* *f) gunn*, *B*; *gam*, *D,G,S*; *gams*, *F,L*; minus recte. *g) ef*, si, *B,G,K,S*; ɔ: *ek mun þikkja gjörb.*, *ef ek bið*, etc.; tum verba: *vèr þ. áðr æ. e.*, parenthesi includenda, sensu non multum discrepante. *h)* Sic ceteri; *feldar*, *A.* *i) Engann*, *B,C, K,S*; *engum*, *D*; *úngum*, (mihi) juveni (da), *F*; *engi*, *G* et Hkr., eod. signif. ac in textu. *k) lúru*, id., *G,K,S*; *lundi*, *D, F,L.* *l) leið*, id., *L*; *læ*, *G.* *m) hálfra*, *G.* *n)* Sic solus *G* et Hkr.; *afanga*, *L*; *ofangan*, *A*; *oflanga*, *B,D,F*; suspectè. *o)* Hanc stropham nescit *C*; *L* vero addit: Sigvatus diu cum rege Olavo versatus est; is in sermone quotidiano promtus lingva non erat, sed carmina ei tam facili vena fluebant, ac si vulgari sermone loqueretur.

[2]) Sic ceteri; Strindalensem, *A.* [3]) de situ hujus oppidi in Eynensi provincia Thrandheimi interioris, vide Undalini Descript. Norveg. p. 101.

gnum erat emporium. Einar Arcipotens de profectione regis Olavi certior factus, cum stipatoribus suis ascendit in Gölardalum, unde Nidarosum mittit, qui actuariam, quæ ipsi erat, sumerent. Hi sinum pernavigant, Steinkera sero vespere adpellunt, et Dynastam de profectione regis Olavi certiorem faciunt. Erat dynastæ ingens navis longa, quæ tentoriis navalibus supermunita ante oppidum in ancoris stabat. In hanc eadem statim vespera omnes pecunias, vestimenta hominum, potum et cibaria, quantum ferre navis poterat, deportari jussit. Quo facto confestim sequenti nocte solverunt et illucescente die in Karlsundum[1] pervenerunt. Rex Olavus, cum ex Orkadalo classe proficisci statuisset, naves incolarum sumsit, et classe quinque navium statim per interiora sinus navigavit. Tum dynasta prope Masarvikam[2] ad terram appulit, eo enim loco densa fuit sylva. Navem tam prope rupem constituerunt, ut frondibus ac ramis arborum desuper in mare pertinentibus navis conspici non posset, quo accedebat, quod, præternavigante rege, dies a borea nondum satis illuxerat aërque tranquillus erat. Hoc momento rex insulam præternavigavit, neque navem conspexit. Qui cum e conspectu abiisset, dynasta navem in sinum propulit, et ad Frostam, ubi provincia ejus erat, appulit. Hinc in Gölardalum misit ad Einarem Arcipotentem, affinem suum, ut se conveniret. Huic dynasta, cum ad se venisset, omnia de profectione sua enarrat, seque velle ostendit copias contrahere, adversus regem Olavum contendere et cum eo confligere. Cui Einar sic respondit: nunc consilio utendum, domine, neque sine ratione præcipitandum. Primo consilia Olavi per

[1]) Skarsundum, *B,K,S*; Skarasundum, *C*; Karmsundum, *G*; Karfsundum, *D*; Skarnsundum, Hkr., quod nomen hodie superest. [2]) in tabulis geographicis vulgaribus, *Mosvig*.

speculatores exploranda, deinde videndum, ut nos quietos esse resciscat; tum enim fieri potest, ut Steinkeris considat ibique tempus festi Jolensis peragat, si nullas a nobis copias contrahi audiet: is enim locus nunc omnibus rebus abundat. Sin vero resciverit, nos manum cogere, confestim e sinu evolabit et ex manibus nostris elabetur. Factum est, ut præcepit Einar: dynasta cœpit convivia incolarum per Stjoradalum[1] obire. Rex Olavus, ut Steinkera pervenit, cibaria convivalia abstulit et in naves suas deportari jussit; onerarias comparavit, et has potu et commeatu oneravit, quo facto quam celerrime abitum paravit et Nidarosum usque pertendit. Hoc loco rex Olavus Tryggvii filius emporium instituerat et regias ædes exstruxerat, cum ante eum unica tantum villa ad ostium Nidæ fuisset. Svein vero dynasta Hladis, ubi consederat pater suus, poni emporium jussit, ædificiis, quæ prope Nidam exstrui fecerat rex Olavus, neglectis, quorum alia collapsa erant, alia stabant vitiis majorem in modum laborantia. Rex Olavus, appulsis in Nidam navibus, hoc loco sedem sibi paravit in ædibus, quæ intactæ manserant, collapsas vero magno conducto hominum numero restauravit; quo facto commeatum in ædes deportari jussit, ibique per festum Jolense commorari statuit. Quibus rebus cognitis, Svein dynasta et Einar Arcipotens copias colligunt, per superiora in Gölardalum proficiscuntur, et deinde per exteriora Nidarosum versus tendunt, stipati ferme viginti militum centuriis. Equites regis Olavi in Gölaraso (colle Gölensi) excubias agebant. Qui, cognito, exercitum per Gölardalum adventare, media nocte regi nuntium afferebant. Rex confestim surrexit et milites somno excitari jussit. Homines illico naves conscenderunt, vestimenta, arma,

[1]) Orkadalum, *K.*

quæque ferre poterant, extulerunt, atque ex amne remigarunt. Quo facto dynasta mox in oppidum veniens, omnem occupavit Jolensem apparatum, ædificia vero incendit. Rex Olavus cum suis in Orkadalum navigavit, ubi egressi navibus, superata valle, in montem contenderunt, et monte superato in Dalos pervenerunt. Oppidum Nidarosium ab Sveine dynasta incensum fuisse, memorat carmen, quod de Klængo Brusii filio[1], tum apud Sveinem dynastam commorante, compositum est:

Incensa sunt regis ædificia
semifacta prope[2] ipsam Nidam.
Ædes igne collapsas esse, novi;
favillam in homines[3] flamma[4] evomuit[5].

Deinde rex Olavus per Gudbrandsdalos, indeque in Heidmarkam convivia obiens contendebat.

Cap. 54. Procedente hieme rex Olavus copias contraxit; magnum exercitum, ab regibus collectum, ex Heidmarka duxit, nam ex ea provincia multi præfecti et potentes coloni ei se adjunxerant, quorum in numero fuit Ketil ab Ringuneso[6]; præterea auxilia ex Römarikio habuit. Rex quoque Sigurdus, vitricus ejus, magna cum manu ei auxilio venit. Dein ad mare tendunt, naves comparant, iter ex interiore Vika parant, multis copiis stipati. Svein dynasta copias per totum Thrandheimum, statim post festum Jolense, contrahit, classem et milites imperat. Hoc tempore multi erant in Norvegia præfecti, quorum complures erant potentes, tantaque generis amplitudine, ut regio sangvine proximis gradibus orti essent, multumque opibus valebant, quorum auctoritati reges aut dynastæ, terræ domini, omnem suam poten-

1) quod Klængus Bjarnii (Brusii, *F*) filius composuit, *G,H.* 2) ita ceteri; *á*, in, *A.* 3) ædes, *H.* 4) *eimr*] *ærnir*, aperto errore, *C.* 5) *skaut*] *stökk*, volavit, *C,L.* 6) Ringa, *C*; Ringarikisneso, *K.*

tiam debebant; nulla enim erat provincia, in qua non plurimum apud multitudinem præfecti valerent. Svein dynasta, cum apud colonorum multitudinem[1] esset gratiosus, facili usus est copiarum delectu. Secutus est eum Einar Arcipotens, affinis suus, multique alii præfecti. Qui simulac parati erant, solverunt et classem remis ex sinu propulerunt, austrum versus secundum litora cursum dirigentes. Ex quavis provincia copiis aucti, cúm in Rogalandum pervenissent, obvium habuere Erlingum Skjalgi filium, multosque cum eo præfectos, et universas copias orientem versus in Vikam duxerunt. Cum tempus Longi Jejunii (quadragesimalis) processisset, Svein dynasta Vikam intravit, et ad Grenjas[2] delatus, classem ibi constituit. Eo tempore rex Olavus ex interiore Vika adpropinquavit, cumque jam parvum inter utrosque intervallum esset, ambo quid agerent alteri noverunt. Duxit rex Olavus navem, Karlhöfdium dictam, cujus prora sculpto capite regio[3] ornata erat, quod caput ipse rex sculpserat; idem caput diu postea monumenti gratia in Norvegia servatum est. Die Saturni, dominicam Palmarum antecedente, eo quo modô dictum est intervallo invicem aberant.

Cap. 55. Die Solis mane, ut primum illucescebat, rex Olavus surrexit et se vestibus induit; egressus in terram, milites omnes classico ad egrediendum vocari jussit. Quo facto cum ducibus

---

[1]) præfectos, *B,C,D,G.* [2]) *Gremnar*, *B,C,D,K,S;* Videtur Hkr. rectius ita legere: *jarl hèlt lidinu inn um Grenmar ok lagðist við Nesjar*, Grenmare pernavigato classem ad Nesjas constituit. Schöningius putat *Grenmar* partem fuisse maris et continentis inter amnem *Nid* et ostium sinus Skeenensis, et ad dictum ostium, hinc aut illinc, Nesjas sitas; quod vero simile videtur, nam Nesjæ videntur esse Undalini *Brunlauffsnes*, inter sinum Skeenensem et Laurvigensem, et *Grenmar*, pars maris ab occidente hujus promontorii. [3]) virili, *C.*

(secreto) loquitur, et palam facit multitudini, prope abesse Sveinem dynastam: jam nos, inquit, qua ratione commodissimum videbitur, comparemus; arment se milites, atque se quisque locumque sibi ante designatum paret, ut, quo tempore ad exeundum tuba signum dari jussero, omnes parati sint. Hoc facto conjunctim remigemus, nulla navis ceteram classem præcurrat, neque remaneat quisquam, cum ego e portu solvero: nescimus enim, quo loco hostibus occurrendum præliumque committendum sit. Observent nostri, ut naves suas parvo inter se intervallo teneant, et ad jungendum parati sint. Primo impetu nos defendamus, et caveamus, ne arma in mare frustra projiciamus; ubi vero acies concurrerint navesque junctæ fuerint, quam acerrime pugnemus, et pro se quisque quam fortissime rem gerat. Rex Olavus in navi sua ducentos milites habuit, qui omnes induti erant loricis annulatis, Vallicas galeas gestantes; plerique albos clypeos habuere, auro, in formam sanctæ crucis, aut rubro cæruleove colore inducto. In fronte omnium galearum formam crucis colore candido notavit. Usus quoque est vexillo[1] serpentis speciem referente. Dein omnia sacra peragi missamque cani fecit. Quo facto navem conscendit, suosque aliquantum cibi capere jussit. Mox bellicum canere et ex portu egredi jussit, tumque sui statim naves ad quærendum Sveinem dynastam propulerunt. Cumque ad portum, in quo steterat dynasta, perventum est, copiæ dynastæ arma induerant, et ex portu remigare parabant. Qui ut regiam classem conspicati sunt, naves conjungere cœperunt, signa erexerunt et sese diligentissime paraverunt. Quod cum videret rex Olavus, sui alacri remigio in hostem ferebantur. Rex Olavus navem suam navi dynastæ applicuit, et

[1]) candido, add. ceteri.

statim prælium, atque acerrimum, ortum est. Sic Sigvatus:

> Rex strenuum in viros impetum
> fecit, cum tenderet in portum,
> Sveinem oppugnaturus; ruber
> sangvis in naves decidit.
> Animosus princeps, qui fuit
> auctor eorum congressus, naves suas
> nihil cunctatus admovit; Sveinis vero
> milites naves suas conjungebant[1].

Hic testatur poëta, regem Olavum naves ad præliandum admovisse, Sveinem vero dynastam in portu fuisse constitutum. Sigvatus poëta huic prælio interfuit, et statim post prælium versus Nesiacos composuit, in quibus de his rebus diligenter exposuit. Ibidem hæc quoque sunt:

> Notum est, quam prope dynastam
> peritus imperator prælii
> Karlhöfdium jusserit constitui,
> ad orientem ab Agdis[2].

Prælium fuit acerrimum, diuque erat, dum non intelligi posset, quem eventum res foret habitura.

---

[1]) Constructio: *Siklingr veitti firum mikla sókn, þar er sótti a) í höfn at Sveini; raudt blóð fèll á róða b) rein. Snjallr konúngr, sá er olli þeirra fundi c), hèlt sínum (skipum) eirlaust at, en Sveins liðar bundu d) saman lið e).*

a) Sætti, C; (Sveinem) opprimere studebat. *b)* Sic *C,K,S; rauða B,D,G,H,* rubram; *roðna,* rubefactam, *F,L; rjóða,* rubellam, *A;* qui omnes *rein,* pro area accepisse videntur; sed *róða reinn* h. l. est maclis piratæ i. e. navis (bellica). *c) sundi, C,F,L;* pravè. *d) bundust,* jungebantur, plerique. *e) skip,* id., ceteri.

[2]) Constructio: *þat er of-kunnt, hve nær jarli kennir eggja a) frosts lèt oflagðan Karlhöfða fur austan Agðir.*

a) odda, cuspidum, eod. sens., ceteri; *frost,* gelu, h. l. pro violenta tempestate capiendum, unde *eggja (odda) frost,* acierum (mucronum) procella, pugna.

Tum ex utrisque multi cecidere, plures vero vulnerati sunt. Sic Sigvatus poëta:

Non opus erat, animoso Sveini
aut Olavo inter pugnam hilari
objicere, quod operam minus navassent,
in vehementi pugnæ impetu.
Nam utriusque milites, cum
se invicem oppugnarent, habebant
occasionem mutua inferendi vulnera;
nullus exercitus in pejorem locum venit[1].

Dynasta numero copiarum superior erat, rex vero in nave sua milites habuit viritim lectos, qui eum diu in piraticis expeditionibus secuti fuerant, eosdemque egregie armatos, quemadmodum supra diximus, ut quisque vir lorica annulata indutus es-

[1]) Constructio: *Vara svinnhuglum a) Sveini nè gunnreifum Oleifi at frýa gildrar b) hriðar sverðagnýs c) gjóðs α): þviat hvårirtveggju seggir åttu kvistingar d) kostu e) sin f), þar β) er sóttust; komat herr i verra stað.*

a) Sigmána, clypei *B,C,G,H,K,S* et Hkr., ɔ: *vara Sv. at frýa sigmána gjóðs, nè gunnr. Ol. gild. hriðar sverðagn.*, ubi *sigmána gjóð*, tempestas clypei, pugna. *Sigmara*, forte gladii, *D,F,L*. *b) góðrar*, bona, i. e. acri, *B,C,F,G,L*. Hoc loco incipit *I*. *c)* Sic dedi sec. Hkr.; *sverðagnýrs*, omnes. *d)* Sic ceteri; *kvistingum*, *A*. *e) köstu*, perp., *B,G,H*; *kosta*, ceteri. *f) Svå*, sic, *C,D,F,L*, ɔ: cum adeo fortiter alteri alteros impugnarent.

α) gjóð, ventus, h. l. de tempestate, et *sverðagnýs gjóð*, de tumultuosa ac turbulenta pugna intelligendum. Si hæc minus placeant, lubens junxerim: *var-a svinnhuglum gunn-gjóðs-reifum, Sveini nè Oleifi, at frýa*, etc. ut *gunn-gjóðs reifir*, exhilarator corvi, sit præliator; non enim adjectivam formam, *gunn-gjóðs reifr*, in hoc significatu possum admittere. *β) Sin*, h. l., reciprocè accepi, q. d. erat illis facultas sui invicem mutilandorum. Ceterum Doctissimus Joh. Olavius acutè et ad sensum valde appositè conjecit *sinn*, et mox *þat*, ɔ: *åttu kostu kvistingar, þat sinn er sóttust*, cædendi occasionem hac vice habuerunt, cum &c.

set, quare hi nulla fere vulnera acceperunt. Sic Sigvatus poëta:

Lætus conspexi frigidas loricas
per humeros nostros defluere,
in regis præpotentis eximia caterva,
gladiis vehementer crepitantibus.
Mea vero nigra coma tegebatur
Vallica galea, telis volantibus;
ita nos, commilito! novi
in exercitu armatos fuisse[1].

Ubi vero milites in navibus dynastæ partim cadere, partim vulnerari cœperunt, et propugnatorum catervæ in lateribus navium rarescebant: militesOlavi regis naves adversariorum scandere aggressi sunt. Tum signum regis Olavi in navem, navi dynastæ proximam, pervenerat; ipse vero rex signum suum sequebatur. Sic Sigvatus poëta:

Aurea vexilli pertica ferebatur,
ubi gestores pugnæ, loricis noxiæ,
sub signis cum illustri principe
in prælium vadebant expediti
Non erat hac in navi
in prælium progressuris,
ac si virgo apportaret
mulsum satellitibus regiis[2].

---

[1]) Constructio: *Teitr α) sá ek svalar β) brynjur falla okkr a) um herðar í b) itru allvalds liði: þá var c) harðr d) hjördynr e). En min svört skör falsk f) und hinn valska hjálm, at fleina flug. Ek vissa okkr svá gjörva við her g) sessi!* Nesciunt hanc stropham, *C,D,F,L.*

a) ört, cito, *G,H,I. b) á, G,H,I. c) gerðist,* extitit, *cet. d) hörð, B;* pro substant. duritia, vehementia. *e) hjördyns, B;* cfr. *d. f) falk,* occului, *B;* sed tum præcedere debuit *mina svörtu. g) hjör, H,I.*

α) Hanc vocem pro nomine proprio commilitonis Sigvati, qui his versibus compellatur, accipiunt Hkr. T. 6, pag. 76. β) frigidas, utpote ferreas.

[2]) Constructio: *Gylt staung óð, þar er greiðendr göndlar a)*

Hic acre prælium fuit, Sveinianis partim confertim cadentibus, partim e navi in mare descendentibus. Sic Sigvatus poëta:

Nos alacres cito in naves
irrupimus; gladii rubefacti
diffindebant clypeos, sed licuit
audire sonorum armorum strepitum.
Saucii vero coloni e navi
in mare descenderunt præliantes;
haud pauca ante lingulam cadavera
Volvebantur: ornatæ naves captæ sunt[1].

Idem porro:

Turba (pugnantium) nostros clypeos,
quos albos huc portavimus,
rubros reddidit; hoc apparuit
gestoribus sonori prælii.
Scio nos, præeunte juvene

-serks gnýss gengu b) und merkjum reiðir í böð c) með göfgum ræsi. Þeygi vas d) á þessum e) strengjar jó f) fur málma kvedjur, sem mær bæri mjöð heiðþægum g) þengils. Nescit hanc stropham *K.*

a) Gunna, C,G,H,I; in plur. insolentius. *b) gengum*, ivimus, *H,S. c) skip*, navem, *cet. d)* Sic metrum flagitat; vulgo. *var. e) þessir, B; þessum*, cet.; *þegnum, A;* vide *g. f) jós, B*; perp. *g)* Sic *B,F,L,S*, Hkr.; *heitþægum, C; heiðþægnat, D; heitdrögum, G,H,I; heiðsæfum (þegnum)*, viris liberalibus, *A.*

[1]) Constructio: *Vèr drifum reiðir hvatt a) upp á skeiðir b); roðnir brandar klufu rönd, en heyra c) mátti d) hátt vápnabrak. En sárir bændr e) gengu f) fur borð, þar g) er börðust; úfár nár h) flaut ört i) við eyri: búin skip fengust k).*

a) hart, raptim, *G,H,I. b) upp í skeiðar*, id., *B,I,S. c) at herja*, ad præliandum, *C. d) knátti*, id., *C,D,G,S. c) á mar*, in mare, *C. f) drengir, F,L;* vide *k. g) þeir*, ii, *C. h)* Sic *C,F,S; nærr*, prope, *cet. i) ört*, h. l. intendere videtur, q. d. juxta ipsam lingulam, v. proxime lingulam; præfero tamen Hkr. *út. k) fengu, F,L;* ɔ: *drengir fengu búin skip*, cetera sententia claudicante.

principe, navem conscendisse;
nacta est aquila potum sangvineum,
ubi gladii hebetes facti sunt[1].

Posthæc strages in copias Sveinis dynastæ inclinare cœpit. Quo facto regii milites navem dynastæ oppugnabant, et tum prope erat, ut in navem ipsius dynastæ irrumperent. Dynasta vero, intelligens, quantum in discrimen res adducta esset, proræ defensores hortatus est, ut vincula ferro dirumperent et naves solverent. Illi imperata fecerunt. Tum regii falces prorales (harpagines) in exstantes proræ trabes demiserunt, atque navem hoc modo retinuerunt. Quare dynasta proræ propugnatores jussit abscindere trabes; quod et fecerunt. Sic Sigvatus poëta:

Ipse Svein jussit nigras
trabes duriter abscindi,
cum jam ante prope factum esset,
fortuna ut destitueretur:

---

[1]) Constructio: *Öld vann ossą a) skjöldu b) rauða, þá c) er komu c) þingat d) hvitir: þat var auðsætt hring-hljóm-miðluðum e). Hykk úngan gram gerðu gánga f) þar upp í skip, en vèr fylgðum; gunn-svörr g) fèkk h) blóð i) -sylg k), þar er sverð slæðust l).*

a) Oss á, perp. *B,C,G,I.* *b) skjöldum, G,I.* *c)* Ita Hkr. pro *þar — komum.* *d) hingat*, id., *B.* *e) miðlöndum*, id., *B,C,F,K,S*; *miðlöngum* (rect. *miðlongum* v. *miðlúngum*) *G,I.* *f)* Sic Hkr. postulante seqv. verbo auxiliari *gerðu*; *gergu, cet.* omn. *g)* Ita Hkr.; *svanr, D,G,H*; *svart, K,L*; *sjór, A*; quæ omnes lectiones depravatæ videntur ex *svaur, svor* (i. e. *svörr*); *gammr, C*; repugnante metro. *h)* Sic ceteri et Hkr.; *fèll, A.* *i) bráð*, prædam, *C,D,F,L.* *k)* Sic *B,C,D,G,I,K,S* et Hkr.; *sylgs, cet.* *l)* Sic Hkr., quo prope accedit *slæddost, C,F,K,L,S*; *slæfdust, D,H,I*, eodem significatu, sed ad metrum durius; *sæfdust, A*, ɔ: sopiti, interemti sunt, quod ab h. l. alienum puto. *Slædust* vero non, cum Hkr. T. 6, p. 77, retulerim ad *slæða*, lente trahere, sed cum T. 2. p. 53 a *slæa* (id. q. *slæfa*), hebetem reddere, a *slær, slæ, slætt*, hebes, id. q. *slæfr, sljófr.*

nos enim corvum bene curaveramus,
et milites ceciderant cadavera
nigro Odinis aliti
circa navis bellicæ proram[1].

Einar Arcipotens, qui navem suam ad alterum latus navis dynastæ constituerat, hoc momento ancoram in navis dynastæ partem proræ anteriorem conjecit, atque ita omnes simul in sinum se subduxerunt. Quo facto omnes dynastæ copiæ aufugerunt et e sinu remigarunt. Bersius[2], filius Torvii Poëtæ, erat in navi dynastæ, in primore interscalmio constitutus. Cum vero navis dynastæ navem regiam præterveheretur, Rex Olavus, cum Bersium agnosceret, quippe virum formæ pulcritudine et vestium armorumque specie præ ceteris omnibus notabilem, alta voce eum compellans: Vale, Bersi! inquit, et in verbo paululum subrisit. Ille respondet: et tu, rex, vale! Hoc testatur Bersius carmine breviori, quod postea composuit, cum in potestatem regis Olavi venerat et in vinculis sedebat:

Strenuus administrator prælii
hunc, artis scientem poëticæ,
jussit abire salvum; nos autem
eadem responsa dedimus.
Coacti sumus munifico principi

---

[1]) Constructio: *Sjálfr Sveinn bað a) harðliga skeina svartar kylfur; áðr var honum nærr róit í öra b) auð c) -van: þá er fengum gjört hrafni til góðs d), en herr lèt höggvit e) hræ svörtum yggs gjóði f) of skeiðar stafna.*

a) bauð, id., *G,I,L*. *b) ærna, C*; ceteri scribunt *ora*. *c)* Sic *C,D,F,G,I,S* et Hkr., i. e. defectus fortunæ; *oll*, ceteri, obscurè. *d) gjóðs, L*. *e) höggvinn L*; melius *höggvin*, n. plur. *f)* Ita *C,F,G,S*; *góði*, *L*; *gjóða*, cet.

[2]) Hujus viri erga amicos fidelitas prædicatur in Gretteris Vita, c. 25. 26; idem ut poëta memoratur in Catalogo Poëtarum sub regibus Knuto Potente, Olavo Sancto et dynasta Eiriko Hakonis filio.

ea reddere verba, quæ ab navis
moderatore generoso accepta
splendidæ debuimus armaturæ[1].

item alia stropha:

Vidi graves Sveinis calamitates:
nam una versati sumus, ubi
frigidæ gladiorum lingulæ
splendentes vehementer canebant.
Credo, me posthac non secuturum
ullius militiam viri, qui
omni nomine virtutum
hoc bellatore sit præstantior[2].

item hic:

---

[1]) Constructio: *Snarreki a) gunnar bað b) þenna hróðrs c) hagkennanda liða heilan, en vèr [unnu svarat d) sliku. Seldum trauðir e) úthauðrs f) elda boða g) þau h) orð i), sem keyptag við brynju at k) kynstórs l) knarrar hapts m).*

a) Snarræki, scribb. *B,H,S; snarrækinn,* adject., strenue obiens, *A; svarbrædi,* saturator passeris (prælii, corvi, i. e. pugnator) *C,* sed obstat metrum; *sjárekkr,* fortis ille vir, *D; snarlæti,* pravè, *G,I. b) bar, C,* perp.; *battu,* jussisti, *G,I,S* et Hkr.; tum *snarreki gunnar* pro vocativo accipiendum. *c) hróðr, K,S; hlóðr,* pravè, *B. d) svart* (pro *svarit* i. e. *svarat) unnu,* id., *B; svaran unn* (prave pro *svara unnu*), *C. e) rauða, L. f) úthauðs, I; útauðs, G. g) bjóða,* id., *L. h) vèr, G,I,S. i) auð, G,I. k)* Sic Hkr.; *á, ceteri. l)* Sic *B,G,I,K,S* et Hkr.; *kynstórr, cet. m) happs, B,F; knapps, C.*

[2]) Constructio: *Ek hefi sènar stórar a) raunir Sveins: við voru b) saman, þar er bjartar c) svaltúngur rekninga d) súngu snart e). Ek mun eigi siðan fylgja f) út manni g), [helzt at hvárum kosti h) dýrra hranna-elgs hrið i) -boða k).* Nescit hanc stropham *H.*

a) stórum, A; stórir, B,D,K,S; stórar, cet. et Hkr. *b) fóru,* profecti sumus, *cet. c) hjarta, C,D,F; hatta, I. d)* Sic *B,G,I,S* et Hkr., ɔ: ensium; *rækinga, C,D,F,L; rækjandi, A. e) svart,* id., *D,G. f) sylgja,* prave, *B. g) manna, C,K,L. h)* Sic Hkr. et ceteri, præter *A;* nisi quod *á,* pro *at,* et *hest,* pro *helst,* habent *C,D,F,G,I; heldr at hváru vildag, A. i) riðanda, D; skiðs, A; hrið,* ceteri. *k)* omitt. *D.*

Vibrator gladii! ego, qui
hoc anno in magna
nave (vinculis) teneor,
non ita tibi me submitto,
ut, imperator munifice!
recusem aut averser meos
fidos amicos, quos inter juvenis
cognovi tuum adversarium[1].

Nonnulli dynastæ militum in mediterranea fugerunt, alii se victoris fidei submiserunt, dynasta vero ac maxima copiarum pars in sinum longius provecti, naves in unum collegerunt. Hic principes inter se colloquia habuerunt; dynasta enim præfectorum sententias exquisivit, quid consilii capiendum esset. Tum dynasta hortatus est[2], ut ad boreales regni partes navigarent, ibique copias compararent, quibus adversus regem Olavum, quam primum adesse occasio videretur, decertarent. Plurimi vero principes dissvadebant, cau-

---

[1]) Constructio: *Sveigir a) såra linns b)! ek c) krýp þèr eigi svâ til handa d) [búum i åri e) ólitinn ata f) andr g)], at ek, heiðmildr herstefnir! hafna [nè ek h) þá leiðumst i) hollvini mina k); úngr kunna ek þar l) þinn m) þraungvi n).*

a) Siðan, C. *b)* Sic legendum puto cum Hkr.; ceteri *linds* (forte ex *linz*). *c)* Hanc vocem addunt *B,C,D,F,K,L,S.* *d) halda, S.* *e) vâri,* hoc vere, *C,D,F,L; i åri* vulgo vertunt, nunquam; sed desidero exempla; præcedens *búa,* c acc., h. l. est id. q. *byggja,* continere se in aliquo loco. *f)* Sic Hkr.; cet. *úti,* foris, in expeditione; sed tum imperfecta manet appellatio. *g)* Sic Hkr., metro convenienter; *öndr,* id., ceteri. *h) eða,* usitatius, *C,D,E,K,L,S; er ek, G; en ek, I.* *i) leiðumk,* id., *C.* *k) minna, B,D.* *l)* Sic Hkr.; *þat, A; þá, cet.* *m)* Sic *B,D* et Hkr.; *þin, cet.,* quod forte accipi possit pro adjectivo indeclinabili, forma recentioribus poëtis sæpius usitata. *n)* Sic *C,D,F, L,S; þraungvir, A,* quod h. l. accusativus esse debet, ut *fellir,* Thorsdrapa 1.; *þröngar, G,I.*

[2]) Hoc consilii eis dedit Erlingus Skjalgi filius, *cet.;* consentiente Hkr.

santes, iniquiore rerum successu usos, cum, qui tantas nunc habuissent tamque firmas copias, tantum amisissent militum numerum; neque spem esse, majores ex ea terra copias, quam quantas tum ferme habuissent, alio tempore eis auxilio venturas. Quare plurimi dynastam hortabantur, ut re sic gesta primum regno excederet atque regem Svionum, affinem suum, conveniret, ut si quam opem ei ferre vellet, hic auxilia contraheret. Hujus consilii svasor ideo erat Einar Arcipotens, quod intelligebat, nullas adesse opes, quibus prælium adversus regem Olavum integrarent. Posthæc dynasta atque Einar, affinis ejus, multique alii præfecti, austrum versus per sinum Foldensem navigarunt. Qui vero avita prædia relinquere noluerunt, boream versus ad res suas redierunt. Erlingus hac æstate magnam circa se hominum multitudinem Solii[1] habuit.

Cap. 56. Cum rex Olavus ac sui viderent, copias ac naves iterum ab dynasta in unum colligi, rex Sigurdus Porca hortatus est, ut dynastam adorti acie debellarent. Cui rex Olavus respondet, dicens, se primo, quid dynasta consilii capiat, videre velle, utrum copias eodem loco contineat, an ab se dimittat. Sigurdus hoc ejus arbitrio relinquens: at animo præsagio, inquit, quod tuum est ingenium ac pertinacia, te sero contumaces istos viros fideles tibi redditurum. Hinc consilium aggrediendi ad effectum non pervenit; moxque viderunt, copias dilabi. Quo facto rex Olavus cæsos lustrari jussit. Hic aliquot noctes morabantur et prædam dividebant. Tum Sigvatus hos versus composuit:

Equidem auguror, fore,
ut permulti milites, a borea

[1]) Solium, prædium maritimum in Jadare situm, in chartis vulgaribus *Sole*, libanotum versus a Stavangria.

profecti, spem reditus amittant
in hocce duro prælio.
Multi homines ad fundum
maris sidere, navibus delapsi.
Verum fuit, nos Sveini
foris obvios esse factos[1].
Elegans virgo interioris Thrandheimi
hoc anno nobis non objiciet
ignaviam, quamvis regiæ copiæ minores
essent; sic factam esse pugnam arbitror.
Ea potius habebit ludibrio,
si alterutros, eos milites,
qui barbâ fecere impetum;
nam nos mare tinximus cruore[2].

---

[1]) Constructio: *Ek get þess meir, at harða margr morðárr, sá er fór a) norðan, missi heimkvámu í þeima hörðum styr. Margr b) sunda sunnu c) ver d) sökk til grunna af samknúta e) blakki; satt var, at mættum Sveini úti.*

a) kom, venit, *G,I,S.* *b)* Sic *G* et Hkr.; *margt S; mörg* v. *morg*, *A* et *cet.* *c) sunnum, D,L,S.* *d)* Sic dedi, cum vulgo scribatur *vèr*, i. e. nos; *ver* s. *verr*, absque dubio custodem significat, unde nomen pervetustum Regis et Piratæ *Randverr*, qs. custos clypei, item *verar*, milites præsidiarii; hinc *sunda sunnu ver*, custos auri, honesta viri appellatio. *e) sannknúta, C,D,F,L,S.* Vocem *samknútr* puto nauticam esse, q. s. nodus ex pluribus compositus, v. connodatio, v. funes varii uno nodo connexi, ad formam *samnagli;* hinc *samknúta blakkr*, navis. Ceterum vox *samknúta* aliis est adject., incurvatus, aliis adverbium, simul.

[2]) Construetio: *Snotr a) innþrænzk b) mær frýrr c) oss eigi í ári, þóat konúngs lið væri minna; ek hugða gjört snertu d) svá. Heldr mun brúðr hafa þá drótt at e) háði, ef f) aðratveggju skyldi, er sótti fram skeggi g); (vèr) ruðum h) skers i) fold.* Nescit hanc stropham *H.*

a) snótar G,I; snerr, B. *b)* Sic ceteri; *innþraungs, A.* *c) flýr*, fugiet, aversabitur (nos), *C,D,F,I.* *d) snóta, B;* prave. *e)* Ita ceteri; *af, A.* *f)* Sic *B,G,I,K,S; sem*, ceteri. *g)* Ita *C, D,F,G,I,L; seggi, cet.* *Sækja fram skeggi*, ironice, in faciem

Crescit potentia regis, nam
Upplandi adjuvare volunt
hunc imperatorem navium:
tu, Svein, id expertus es.
Probavit experientia, posse
Heidmarkenses facere plura,
quam regis cerevisiam potare;
effundunt enim large sangvinem[1].

Rex Olavus Sigurdo regi, vitrico suo, aliisque principibus, qui eum fuerant secuti, digrediens eximia munera dedit: dedit Ketili ab Ringuneso celocem quindecim[2] transtrorum, quam Ketil Albi Römorum[3] in (lacum) Mjörsum subvexit[4]. Rex Olavus itinera dynastæ per exploratores speculatus est. Ut vero cognovit, dynastam regno excessisse, occidentem versus[5] per Vikam contendit. Hic

---

collabi, pronum cadere. *h) ruðu, C,D,F.* *i)* Sic *B,C,F,G,I; skær, L; serks, A; sers, K,S.* Sensus est: nos enim multos hostium prostravimus.

[1]) Constructio: *Afli konúngs a) vex, þar b) er Upplendingar vilja efla þenna þilblakks c) sendi d); Sveinn e)! funnut f) þat g). Raun er hins, at Heinir h) megu vinna fleira i), enn drekka öl fólkrekks k): þeir l) æxla m) hrælinns n) fors o).* Ignorat hanc stropham *H.*

a) konúngr, C,G. *b) þat; B; þá, G,I; þvi, cet.* *c)* Sic plerique et Hkr.; *þikkblakks, I; þvilika, L; þriðja til, A;* omnia depravata. *d) sendu, B.* *e)* Sic *B,D* et Hkr. *Svein, C, F,L. Sveins, G,I,S; svinn, A.* *f)* Sic ceteri; *finnum, A.* *g) þér, F,L; þar, cet.* *h) heynir, A;* vide Scripta Hist. Isl. Vol. I., p. 6, not. 3. cfr. supra cap. 54, init. *i)* Sic *D,F; fleiri, C; fleina,* adversante metro, *cet.* *k)* Sic Hkr., ɔ: animosus in pugna, quod regium prædicatum h. l. pro ipso Rege usurpatur. *fólkhrekks, A; fjölreks* (res multas administrantis, eod. sens.) *D,S; fjallreks,* perp., *G,I.* *l) þeim, I.* *m)* Sic Hkr., quæ lectio latere videtur in *æskla, C,F,L; æskja, D; attu, A.* *n)* Sic *C,D,G; hrælinn, A.* *o)* Ita *F,L* et Hkr.; *faut, C; fals, D; flag,* impetum (gladii), *A* et *cet.*

[2]) viginti, *D,H,K.* [3]) hanc vocem add. *cet.* [4]) *A;* prave habet *út eptir* (devexit). [5]) *A* prave habet *austr* (orientem versus).

magna ad eum confluente hominum multitudine, in conventibus, quoscunque adiit, rex salutatus est. Sic usque ad Lidandisnesum perrexit. Hic audit, Erlingum Skjalgi filium magnas copias Solii contraxisse. Hinc rex in Agdis borealibus diu moratus non est, sed vento usus ferenti, maxima celeritate boream versus in Thrandheimum pertendit; hanc enim provinciam si absente dynasta in partes suas trahere posset, se potitum valentissima regni parte existimavit. Cum vero in Thrandheimum pervenit, nulla adversus eum existente vi, heic, ut aliis in locis, rex salutatus est. Itaque hoc autumno Nidarosi consedit, res necessarias ad hiemandum comparavit, domus regias reficiendas ædemque Clementis quo nunc est loco ponendam curavit; areas domibus ædificandis definivit, et has colonis aut mercatoribus aut quibus visum esset ædesque sibi facere cupientibus dedit. Hic magna stipatus frequentia consedit: nam fidelitati Thrandorum, si adveniret dynasta, diffidebant, inprimis incolarum Thrandheimi interioris, qui maxime sua erga dynastam studia aperuerant, unde regi ab his nulli census redierunt.

Cap. 57. Svein dynasta in Sveciam profectus est ad regem Olavum, affinem suum, eique de omnibus rebus, quæ inter se ac regem Olavum Crassum intercessissent, exposuit, et ab eo, quid consilii capiendum esset, quæsivit. Rex ei mansionem secum, si placeret, tantumque ditionis, quantum suæ dignitati respondere judicaret, obtulit: sin vero hoc minus placeat, inquit, satis tibi dabo copiarum, quo possis regnum Olavo Crasso vi extorquere. Hoc elegit dynasta, suis omnibus svadentibus; nam qui tum apud dynastam erant, magnas habebant in Norvegia possessiones. Cum diu de his rebus consultaverant, ea stetit sententia, ut sequenti hieme expeditionem

pararent, et itinere terresti per Helsingiam et Jamtiam in Thrandheimum descenderent: nam incolas Thrandheimi interioris, si eo venisset, dynasta maxime credidit fidos et constantes fore. Jam eam rationem ineunt, ut hac æstate in Orientem opum parandarum causa in piraticam excurrant. Svein dynasta cum copiis in regnum Gardorum profectus, prædas egit, ibique æstatem consumsit; ineunte vero autumno, cum copias in Sveciam reduceret, morbum nactus est sibi letalem. Post mortem Sveinis dynastæ milites, qui eum secuti fuerant, partim in Sveciam redierunt, partim in Helsingiam indeque in Jamtiam et superata Carina ab oriente[1] in Thrandheimum descenderunt, et has res, quæ in ipsorum itinere gestæ fuissent, retulerunt. Sic de morte Sveinis dynastæ[2] certa fama per totam Norvegiam percrebuit. Einar Arcipotens atque cohors, quæ eum fuerat secuta, post mortem Sveinis dynastæ primô sequenti hieme ad regem Svionum se contulit, apud quem laute et honorifice habiti commorabantur, sicut multi alii milites, qui Sveinem dynastam secuti fuerant. Rex Svionum Olavo Crasso vehementer infensus erat, quod provinciam sibi vectigalem insedisset, Sveinem vero dynastam, sibi affinem, ejecisset; quam ob rem Olavo Crasso gravissima quæque, ut primum se obtulisset occasio, minatus est. Ubi de his rebus disputatum est, semper dicere solebat, credere sese, Olavum Crassum non id sibi sumturum, ut regnum, quod dynastæ possedissent, in suam potestatem redigat, cum rex Svionum eam terræ partem, quam tenuisset Svein dynasta, suæ ditioni adserat. Quod ita fore, multi suorum pro certo adfirmarunt. Ut vero Thrandi certo cognoverant, dynastam decessisse, neque ejus reditum in spe esse, omnis multitudo studia

[1]) Pro *austr* legendum *austan*. [2]) Hic incipit lacuna in *I.*

sua ad regem Olavum convertit. Quare multi homines ex Thrandheimo interiore ad regem Olavum ultro venerunt eique se addixerunt, alii nuntios et tesseras miserunt, se ejus esse asseclas et subjectos velle. Hinc eodem autumno in Thrandheimum interiorem profectus, conventus populi egit, tumque quovis conventu rex creatus est. Quibus peractis Nidarosum rediit eoque omnes regios reditus deportari jussit, et res ad hiemandum necessarias prospexit.

Cap. 58. Rex Olavus domum regiam Nidarosi exstruendam curavit; ibidem ingens factum est cœnaculum aulicum, quod fores in utraque extremitate habuit; in medio cœnaculo celsa sedes erat, intra vero brevi spatio celsa sedes episcopi Grimkelis, interius sacerdotes ejus sedebant, exterius consiliarii. In altera sede primaria sedebat aulæmagister Björn Crassus, proximeque regii speculatores aut viri nobiles, si advenissent. Eo tempore mos erat, cerevisiam ad ignes potare. Tum, more regibus recepto, suis ministeria designavit: sexaginta secum aulicos et triginta speculatores habuit, quibus stipendia et leges constituit; præterea triginta domesticos (famulos), quorum erat opera domestica curare et res necessarias supportare; habuit et servos. Erat in domo regia ingens cubiculum, in quo aulici dormiebant, item curia ingens, in qua rex conventus aulicos, consultatorios et pacificatorios habebat. Consvetudo ejus erat, mane diei surgere, vestes induere et manus lavare, deinde templum adire et cantui antelucano sacrisque matutinis adesse, denique conventus frequentare, aut ad suos, si opus esset, reconciliandos, aut ad res necessarias disceptandas. Tam divites quam pauperes, maximeque prudentissimum quemque, ad se invitavit. Recitari coram se fecit leges, quas in Thrandheimo

posuerat Hakon Adalsteinis-alumnus. Dein consilio et auctoritate virorum prudentissimorum leges constituit. Toto animo in id incubuit, ut paganam religionem et antiqua instituta, quæ christianæ religioni officere judicaret, abrogaret. Tandem factum est, ut incolæ se legibus, quas rex posuisset, usuros affirmarent. Sic Sigvatus poëta:

Tu ponere debes subditis
tale jus patrium, quod
apud populi universi
multitudinem valeat[1].

Cap. 59. Rex Olavus erat bene modestus, minus familiaris, liberalis, pecuniæ cupidus, et accipere et dare amans. Tum apud regem Sigvatus poëta, ut ante dictum est, versabatur, et præter eum plures Islandi. Rex diligenter perquisivit, quomodo religio christiana in Islandia observaretur; et cum cognovisset, longe abesse, ut bene observaretur, intellexit: sic enim ei de religionis observatione perhibebant, permissum esse Islandis, equina vesci et infantes exponere, more paganorum, pluresque alias res, christianismo contrarias. Iidem regi de multis viris illustrioribus, quos habuit Islandia, referebant; eo vero tempore Skaptius Thoroddi filius in Islandia prætor erat. Rex de moribus incolarum variarum terrarum viros bene peritos interrogavit, et quidem diligentissimo perquisivit, quomodo religio christiana

[1]) Constructio: *(Þú) mátt leggja unnar eykja a) loptbyggjum b) þann landrètt, er skal standast imiðli liðs allra manna c).*

a) Ita ceteri; *fta*, *A.* *b) Loptbyggvir*, *C,F,K,L,S* et Hkr., quod de rege intelligendum, ɔ: tu, qui in celsa puppi navium locum tenes; ita *lopt* pro *lypting* accipiendum. Appellationem, ut in textu est, accipio de hominibus in universum, de populo, regni incolis; tum *unnar eykja lopt*, de tabulatis, foris navium, intellige. *c)* vel *imiðli allra liðs-manna*, sensu non diverso.

coleretur, in Orkneyis, Hjaltlando et Færeyis; et plurimis in locis cultum religiosum admodum mancum esse animadvertit. Hos sermones plurimum in ore habuit, aut de jure publico legumve constitutione disputavit.

Cap. 60. Björn nominatus est vir, dictus athleta Hitardalensium, aulicus regis Olavi, vir insignis fortitudinis et ingentis spiritus. Accidit aliquando, cum apud regem versaretur, ut unacum rege in balineum iret. More vero receptum fuit, ut vulgo fascias bombycinas caligis circumdarent, hisque crura revincirent. Björn prius, quam rex, lavatu veniens, cum amborum vestes uno loco jacerent, per errorem alteram regis fasciam cepit, eaque pedem sibi revinxit. Rex, cum lavatu redisset, animadvertit, fascias a Björne commutatas. Qui, errore animadverso, cum se iterum commutaturum significaret, rex quemque quod accepisset retinere jussit. Rex Olavus Björni eximium ensem, quem Mæringum appellavit, muneri dedit[1]. Björn in Islandiam reversus est. De rebus vero inter hunc et Thordum Kolbeinis filium intercedentibus prolixæ exstant relationes. Tandem Björn ab Thordo occisus est in Hvitingshjallo (clivo Hvitingi), qui in Hitardalo est. Humatus est Vallis, ubi eo tempore ædes sacra erat, eoque loco funus Björnis diu postea quievit. Ubi vero monasterium Husafelli institutum est[2], ædes sacra, quæ Vallis fuit, eo translata, sepulcretum effossum, omniaque ossa, quæ eo loco sepulta fuerant, Hitardalum transportata sunt. Funus Björnis cum vestibus conditum fuerat; ubi vero ossa ejus suscepta sunt, tota caro omnesque vestes ita putruerant, ut nullæ superessent reliquiæ,

[1]) Aliter Vita Björnis Hitardalensium Athletæ, mscr. c. 4. [2]) Anno 1166, vide Hist. Eccl. Isl. Tom. IV. p. 24-26. De conditore monasterii, Brando Thorarini filio, vide Laxdælæ p. 332.

præter solam fasciam bombycinam, quæ regi Olavo fuerat: hæc integra et intacta fuit, perinde ac si nunquam humo fuisset condita. Qua in re luculenter apparuit sanctitas regis Olavi, cum quam rem corpus regis Olavi sacram reddidisset, hæc sola in defossis ossibus intacta putredine mansisset. Eadem fascia bombycina postea loco cinguli sacerdotalis adhibita est, et nunc in villa, dicta Gardis in Akraneso, servatur[1]. Cum vero tot excellentes viri tamque fortes aulici regem comitarentur, tamen ipse omnes omnibus rebus antecellebat. Rex Olavus ceteros homines prudentia superabat; si tempus haberet deliberandi, quamvis rem, prout evenit, perspiciebat: in rebus subitis minus felici judicio utebatur. Templa, clericos et omne christianum nomen magni fecit, bonos muneribus donavit, algentes vestivit, cum orbis pecunias, cum viduis et peregrinis pauperibus bona communicavit, tristes consolatus est, probos omnes tam salubribus consiliis, quam conferendo quæ opus erant, juvit. In prædones severus, in furtificos asper, in omnes scelestos immitis. Rapinas punivit, et omnia delicta, jus divinum violantia, severe castigavit; facile vero, quicquid in se peccatum esset, condonavit. Dum hoc in mundo versabatur, varia fuit de ejus vitæ ratione existimatio: multi eum vocabant vehementis ingenii et dominandi cupidum, sævum et vindictæ studiosum, tenacem et avarum, ferocem et furentem, honoris appetentem et ostentatorem, omnique nomine hujus mundi principem. Qui vero eum penitius cognoverunt, eum vocarunt lenem et modestum, facilem et benevolum, clementem et placidum, prudentem et amicis bonum, constantem et fidelem, cautum et promissis stantem, liberalem et benignum, celebrem et seve-

[1]) Hæc paulo aliter exponuntur in Vita Björnis, cap. 8.

rum, bonum et sceleribus abstinentem, imperii diligentcm et bene moderatum, legum divinarum et humanarum observantem. Quæ qui prædicarunt, vera sunt locuti. Sæpe suam voluntatem repressit, dei vero voluntatem perfecit, populi et omnium æquorum judicio, potius dei voluntatem, quam suum honorem spectans.

Cap. 61. Eadem hieme ex Svionia legati venerunt Olavi, Svionum regis, cui legationi duo fratres præerant, quorum alteri nomen erat Thorgötus Skardius, alteri Asgötus Procurator; hi omnino erant numero viginti quatuor. Qui cum ab oriente per Carinam profecti, in Veradalum devenissent, indicto conventu, ad populum verba fecerunt, et nomine Svionum regis tributa postularunt. Coloni vero consilia contulerunt et inter se collocuti sunt, atque convenit inter eos, ut quod peteret Svionum rex, dependerent, cum eo ut Olavus Crassus pro suis aulicis nullos reditus exigeret, duplicem pendere censum recusantes. Quod legati æquum esse censebant. Hinc per vallem descendentes, quovis conventu eadem responsa, nullas vero pecunias ab colonis acceperunt. Deinde per exteriora profecti in Skönam devenerunt, conventus habuerunt, et hic quoque tributa postularunt, eodem prorsus atque antea exitu. Inde in Stjoradalum contenderunt, et colonos ad comitia vocarunt; hic autem coloni tanto erant ceteris superbiores, ut nemo comitia frequentare, neque vocibus legatorum obtundi vellet. Quare cum legationem frustra esse intelligerent, Thorgötus, rei exitu indignatus, reverti voluit. Hic Asgötus: ego vero, re ita gesta, nondum peractum esse regium mandatum judico; quare, cum rustici rem ad regem identidem rejiciant, eo proficiscendum censeo. Ejus auctoritas valuit: contendunt in oppidum, ibique hospitium sibi conducunt. Postero

die regem mensis accubantem adierunt, eum salutarunt, et se cum mandatis Svionum regis venire declaraverunt. Rex eos proximo die ad se venire jussit. Sequenti die rex, cum sacris interfuisset, in curiam se contulit, eoque arcessitos legatos mandata Svionum regis aperire jussit. Tum Thorgötus verba fecit, et primo causam adventus exponit, deinde quomodo Thrandi interiores rem accepissent, ostendit; denique regem orat, ut quem exitum habere debeat res, decernat. Rex, brevi interjecta mora, respondet: dum dynastæ huic regno præfuerunt, non mirum erat, si incolæ his obsequium præstarent, cum jure gentilitio ad regnum nati essent; et tamen rectius fecissent dynastæ, si regibus, ad quos jure regnum hocce pertinebat, obsequium præstitissent, quam exterorum regum officio se venditare, atque in justos reges bellum movere, hosque cæsos regno exuere, ut adversus Olavum, cognatum meum, fecerunt. At si Olavus Svecus regnum Norvegiæ postulat, equidem nescio quo justo aut æquo titulo hoc faciat; illud vero meminisse fas fuerit, quantas clades ab eo et consangvineis ejus acceperimus. Asgötus respondet: haud injuria nomen Crassi meruisti, qui tam fastuose ad mandata tanti principis respondeas. At parum intelligis, quam gravis tibi ira ejus futura sit, cujus vim persenserunt, qui opibus plus valuerunt, quam tu valere videris. Quodsi vero hoc regnum pertinaciter retinere statuisti, aliud tibi consilium dabo, quam ut vi adversus Olavum Svionum regem contendas: potius eum submisse adeas, ei subjectus et obnoxius fias, quo facto nos pro te deprecabimur, ut hujus regni præfecturam fiduciariam obtineas. Excepit rex Olavus, moderate respondens, ut semper facere solebat, si quid ejus indignationem gravius commovisset: aliud tibi, Asgöte, consilium dare volo:

redite ad regem vestrum, eique nunciate, me primo vere iter paraturum, et ad fines regni, qui ab antiquis inde temporibus regnum Svioniæ regis ab regno regis Norvegiæ dividunt, adfuturum; huc ipsi, si placuerit, advenire licet, ut pacem faciamus, et quisque nostrum habeat regnum, quod jure majorum ad eum pertineat. His dictis legati discesserunt, et primo ad cubiculum hospitale redierunt, atque abitum summo studio paraverunt; rex vero accubitum ivit. Mox legati ad domum regiam se contulerunt, regem, antequam abirent, convenire volentes. Quibus visis janitores regi nuntiarunt. Ille vero admitti vetuit: jam enim nolumus (inquit) cum eis verba facere. Itaque legati discedunt. Thorgötus se cum suis rediturum significavit, Asgötus vero se, quantum fieri posset, regis sui mandata exsecuturum ostendit. Sic fratres digrediuntur, Thorgöto in Strindam[1] revertente, Asgöto ac ceteris duodecim in Gölardalum indeque in Orkadalum pergentibus; hic enim austrum versus in Mæriam proficisci, et mandata Svionum regis exsequi statuit. Quibus rebus cognitis, rex Olavus speculatores misit, qui eos persequerentur. Hi profecti omnes vivos comprehenderunt, vinctosque in Gölarasum duxerunt, et erecto ibi patibulo omnes suspenderunt, ita ut e sinu, qua publica erat via, conspici possent. Quæ cum Thorgötus ante suum e Thrandheimo abitum rescivisset, totam viam remensus est, donec regem Svionum conveniret, cui, quæ in itinere gesta erant, retulit. Quibus auditis rex gravi ira incensus, a verborum minis non abstinuit.

Cap. 62. Sequenti vere rex Olavus, copiis e Thrandheimo evocatis, in orientales regni partes proficisci statuit. Eodem tempore navis mercatoria e Thrandheimo in Islandiam trajicere pa-

[1]) ita ceteri; Strandam, *A*.

rabat; cum quibus rex mandata et tesseras Hjaltio Skeggii filio misit, ut se conveniret; misit et mandata et tesseras Skaptio prætori, aliisque in Islandia viris, penes quos legum constituendarum maxima erat auctoritas. His mandata misit, ut ex legibus suis eximerent, quæ christianæ religioni maxime adversari videbantur; præterea omnibus insulanis in universum amica verba misit. Post hæc rex austrum versus littora classe legebat, et in quavis provincia morabatur, conventus rusticorum agens. In quovis autem conventu leges christianas et præcepta eo pertinentia recitari jussit, multaque mala instituta et paganismi reliquias populo interdixit. Dynastæ enim cum antiquas leges et jura observavissent, cultum religionis christianæ neglexerunt, et quemque pro lubitu, et ut maxime ad animum cujusque erat, agere permiserunt. Quare factum est, ut in tractibus maritimis plerique quidem essent baptizati, christianas vero leges ignorarent, sed vallibus et montanis multa loca omnino essent pagana. Nam cum primum vulgus sui juris factus est, ea religio in primis hæsit animis, quam in pueritia, a patribus et matribus traditam didicerant. Qui vero in observanda religione christiana regis monitis obsequi noluerunt, hos gravissimis pœnis affecit, sive humiles essent sive potentes. Olavus in quovis conventu, nullo obloquente rex creatus est. Cumque in Karmsundo[1] staret, viri inter eum et Erlingum[2] Skjalgi filium intercedebant, petentes, ut reconciliarentur, quorum auctoritate factum est, ut conventus pacificatorius in Hvitingseya[3] condiceretur. Ubi vero convenerunt, et de pace colloqui cœperunt, rex Erlingo difficilior, quam vulgo fereba-

[1]) ita ceteri; Karlsundo, *A.* [2]) Hic iterum incipit *I.* [3]) Nunc *Hvidingsö*, austrum versus ab sinu *Bukkefjord* et insula *Karmö* sita, *Geograph. Oplysn.* p. 60.

tur, visus est. Postulavit Erlingus, ut omnia salaria, ab Olavo Tryggvii filio, et dynastis Sveine et Hakone sibi concessa, retineret; quo impetrato, tibi subjectus et fidus amicus ero. Rex Olavus respondit: ita mihi videtur, Erlinge! non minus e re tua esse, a me tantundem ditionis accipere, quantum accepisti ab Eiriko dynasta, viro, quo nemo majorem tibi cladem intulit. Ego vero, quanquam salaria pro lubitu communicare volo, te amplissimum hujus terræ virum esse jubebo, neque tamen patiar, ut vos præfecti jure majorum nati ad regnum Norvegiæ aut hæreditatem meam esse videamini, aut multiplici mercede vestra ministeria meream. Erlingus in animum inducere non potuit, ut harum rerum causa ad preces descenderet; intellexit enim, regem eum non esse, qui dictis duceretur, sed ea solum contendere, quæ animo statuisset, intellexit quoque, duas adesse conditiones, unam, nulla cum rege inita pace rei fortunam periclitari, alteram, rem solius regis arbitrio permittere. Tum Erlingus regi: ita domine, inquit, meum ministerium maxime e re tua erit, si meapte sponte et lubens operam meam tibi præstitero, alia vero officia secus. His dictis Erlingus surrexit et abiit. Post hæc cognati et amici Erlingi adeuntes petierunt, ut cederet regi, et prudentia, non nimia contentione, uteretur: ex præfectis enim Norvegiæ semper eris amplissimus, tam ob insignem tuam in rebus gerendis strenuitatem, quam ob opum abundantiam. Erlingus hæc salubria esse consilia, benevoloque animo profecta intelligens, his dictis motus, regi se addixit ea lege, quam præscribere regi placuisset. Post hæc digressi sunt, verbo reconciliati. Rex Olavus orientem versus iter perrexit.

Cap. 63. Ut primum rex Olavus Vikam intraverat, certaque de ejus adventu fama percre-

buerat, Dani, qui Danorum regis nomine has provincias tenuerant, quam celerrime in Daniam ad regem redierunt, nihil morari, neque adventum regis Olavi opperiri cupientes. Quamvis autem rex Olavus summa celeritate in interiora Vikæ contenderet, tamen conventus cum colonis habuit, atque hic, ut aliis in locis, res ita exiit, ut omnis populus ei se dederet, eumque regem sumeret. Hic itaque rex Olavus omnes census et reditus regios accepit, et hac æstate in Vika commoratus est. Sinu Foldensi orientem versus trajecto, ulterius versus orientem ad Svinasundum usque penetravit. Hic incepit regnum Svionum regis, qui parti boreali præfectum imposuerat, nomine Eilivum Gothum, parti vero orientali ad Albin usque Roium Strabonem, qui consangvineos ad utrumque latus Albis, magnaque prædia in Hysinga habuit, virum potentem et opibus multum valentem. Eilivus quoque opibus multum pollebat. Rex Olavus ut in Ranrikium[1] venit, hujus provinciæ incolas rogavit, ut se regem sumerent, quemadmodum ceterarum Norvegiæ provinciarum incolæ fecissent. Brynjolvus Ulvaldius nomen erat amplo colono; hic nomine colonorum surrexit et sic verba fecit: Nos quidem coloni novimus, quæ prisco jure justissima sit terræ divisio inter regem Norvegiæ atque Sveciæ regem, quod Albis Gothorum fines constituerit ab (lacu) Vænere usque ad mare, sylvæ vero boreales usque ad sylvam Eidensem, inde vero Carinæ[2] boream versus usque ad Finnmarkam; item alterutros alterius regnum invasisse, potentiæ et auctoritatis augendæ studio, Svecosque sæpe ditionem suam ad Svinasundum usque extendisse. Verum tamen, ut vera tibi, domine, fatear, multos hu-

[1]) Sic Hkr.; Mæriam, *A.* Römarikium, ceteri, utrumque minus recte. [2]) Ita ceteri; *Skill, A.*

jus terræ incolas novi, qui regi Norvegiæ, quam Svecis parere maluerint. Sed hoc vix audet populus, quod et facile condonaveris, cum ditione regis Svionum, tam ab australi, quam orientali parte et per superiora, undique cingamur, veroque simile sit[1], te cito in boreales regni partes, ubi tractus terræ latius pateat, discessurum, quo facto nullas opes habemus, quibus Gothis resistamus. Quare vestrum est, domine, quæ e re nostra sint, prospicere; nos vero cupimus tibi parere et subjecti esse. Acto conventu Brynjolvus sequenti vespere et postero die convivio ab rege invitatus interfuit, in quo ille ac rex inter se multis de rebus collocuti sunt. Quibus peractis orientem versus per Vikam contendit. Cujus adventu cognito, Eilivus itinera regis per exploratores speculatus est. Habuit Eilivus triginta homines e sua tribu, qui eum sequebantur; jam [in apparando acerrime erat occupatus[2], proxime ad sylvas constitutus, magnamque eo hominum multitudinem coëgerat. Multi ad regem Olavum venerunt, multi nuntios et verba amicitiæ pignora miserunt. Tum viri inter Olavum et Eilivum intercedebant, petentibus colonis, ut conventum condicerent, et pacem aliquo pacto inter se facerent, dicentibus, nisi regis postulatis pareretur, gravissimas ab eo conditiones timendas esse, se vero facturos, dum hic conventus ageretur, ut Eilivo præsidium non deesset. Tum rex Olavus Thorerum Longum, præfectum speculatorum, aliosque sex viros ad Brynjolvum Ulvaldium misit; hi loricas sub sagis, et galeas sub pileis gestabant. Posthac eodem die coloni frequentes cum Eilivo descenderunt, aderat quoque Brynjolvus ac sui, quibus Thorer ac comites ejus se adjunxerant. Rex naves appulit ad locum quendam, ubi altiores erant petræ in

[1]) Hic iterum incipit *E*. [2]) erat in pago superiore, *K*,*S*.

mare procurrentes, quibus conscensis rex ac sui in rupe sedebant, supra vero planities erat, in qua multitudo rusticorum constiterat; Eilivum vero sui stantes corona clypeata cinxerunt. Björn, orator regius, surrexit et verba regis nomine fecit, longa atque diserta oratione usus. Qui cum consedisset, surrexit Eilivus ac fari incepit. Eodem momento Thorer Longus surrexit, gladium destrinxit et collum Eilivi feriit, ut caput præcideretur. Subito exsiliit rusticorum turba, Gothi vero aufugerunt, quorum nonnullos Thoreriani occiderunt. Ut vero posuit tumultus, rex Olavus surrexit, et rusticos considere jussit. Quo facto, multa disputata sunt, eo tandem exitu, ut coloni se regi dederent eique obsequium pollicerentur; illo vicissim pollicente, se ibi mansurum, donec simultates inter se atque Svionum regem compositæ essent. Post hæc rex Olavus tota boreali provincia subacta,orientem versus adAlbim usque contendit, atque omnes reditus per tractus maritimos et insulas exegit. Procedente vero æstate in Vikam reversus, Albi Römorum ad cataraetam, Sarpum dictam, subvectus est; a boreali cataractæ parte lingula procucurrit, quam rex aggere, lapidibus, cæspite, ac lignis exstructo interclusam fossa extra ducta muniivit; hic ingens castellum educi jussit, in quo emporium instituendum, domum regiam ædificandam, et ædem sanctæ Mariæ exstruendam curavit: aliis quoque ædificiis areas difinivit, hasque ædificantibus distribuit. Huc eodem autumno omnem commeatum hiemando necessarium deportari jussit, et ibidem hiemem transegit, multis stipatus; suos vero per omnes præfecturas distribuit. Omnem commeatum alecum et salis in Gothiam supportari vetuit, quibus rebus Gothi carere non potuerunt. Magnum instauravit convivium Jolense, ad quod multos colonos potentiores

ex provinciis invitavit. [Ferunt, regem Olavum, cum in Vika moraretur, Geirstados venisse ad tumulum, antea in hac historia memoratum. Tum Olavum amicorum aliquis, qui tum eum comitabatur, interrogavit: dic age, inquit, an hic sepultus fuisti? Olavus respondet: nunquam anima mea duo habuit corpora, neque unquam habebit, sed eam nunc unum corpus habere, idemque ipsam die judicii, quando deus veniet ad omne genus humanum judicandum, habituram credo. Idem vir regem iterum sic allocutus est: tradunt, te olim, cum in hunc locum venisses, sic dixisse: erat, quando hic fuerimus et hinc venerimus; rex Olavus respondet: non dixi, neque unquam dicam, et si aliud, quam modo locutus sum, affirmo, mea religio vera non est. Quo dicto equum calcaribus concitavit et discessit. Rex Olavus elegantiæ adeo studiosus erat, ut præstantissimos quosque in numerum satellitum et sibi addictorum legeret; duos apud se habuit eximios clericos, episcopumGrimkelem et episcopumSigurdum,sapientia et eruditione insignes, in religione constantes et fideles, intrepidos et fortes in omnibus periculis, disertos et placidos ingenio, et justos in judiciis sui sacerdotalis muneris.

Cap. 64. Vir erat nomine Eyvindus Uricornis, ex Agdis oriundus, amplo genere et probatæ virtutis, piraticæ studiosus, cujus exercendæ gratia varia loca quavis æstate adiit, interdum in terras orientales, interdum austrum versus in Frisiam navigans. Celocem duxit vigintitranstram, bene instructam. Interfuerat prælio Nesico cum rege Olavo, eique digredienti rex amicitiam suam, ipse vicissim regi suam operam, quandocunque deposceret, pollicitus erat. Invitatus a rege convivio Jolensi hac hieme intererat, et eximia munera ab rege accepit. Tum apud regem versabatur Bryn-

jolvus Ulvaldius, qui ab eo Jolense donum accepit, gladium auro ornatum, et præterea prædium Vættalandum[1] dictum, optimæ notæ villam primariam. Brynjolvus stropham unam de muneribus composuit, cujus finis est talis:

Rex mihi dedit,
Ensem et Vættalandum.

Tum quoque rex ei dedit jus præfecti, ex quo tempore Brynjolvus regi Olavo semper amicissimus fuit. Eadem hieme Thrandus Albus ex Thrandheimo orientem versus in Jamtiam profectus est, ut tributa nomine regis Olavi exigeret. Qui cum tributa coëgerat, emissi ab rege Svionum, necopinato supervenientes, Thrandum ac suos, duodecim omnino, interfecerunt, tributa abstulerunt et regi Svionum retulerunt. Quo cognito, rex Olavus ægerrime hanc rem tulit. Rex Olavus religionem christianam legesque ad eam pertinentes in Vika promulgari fecit, eodem modo atque in regni parte boreali. Quæ res bene succedebat; leges enim christianæ Vikensibus multo notiores, quam incolis borealibus, fuerunt, in hac enim regni parte magna erat, tam hieme, quam æstate, frequentia mercatorum, et Danorum et Saxonum, ipsi quoque Vikenses sæpe mercandi causa ad terras christianas, Angliam, Saxoniam, Flæmingiam, et Daniam commeabant, quidam piraticæ operam dantes in terris christianis hiemare consveverant. Sequenti vere rex Olavus Eyvindo Uricorni nuntium misit, ut ad se veniret; ille ita fecit, ut regem statim conveniret. Duo soli inter se collocuti sunt. Post ea Eyvindus sese paravit, in piraticam pro more solito excursurus. Dein austrum versus Vika enavigata, navem ad Ekreyas[2] extra Hysingam appulit; hic cognoscit,

[1]) Prædium Bahusiæ, Index Geogr. Hkr. Tom. 6. [2]) Akreyas, *G,I*; Eitreyas, *C,E*; Sikreyas.

Roium Strabonem boream versus in Ordostam[1] profectum, ibi classica vestigalia et reditus regios exegisse. Quo cognito Eyvindus in Högasunda[2] remigavit. Eodem tempore Roius a borea remigavit; qui in freto congressi, statim conflixerunt; hic cecidit Roius Strabo et cum eo ferme triginta viri. Eyvindus vero omni pecunia, qvæ Roio ac suis fuerat, potitus, in Orientem navigavit, ibique per æstatem piraticam fecit[3].

Cap. 65. Vir erat nomine Gudleikus[4] Gardicus, oriundus Agdis Norvegiæ, vir dives opibus, et insignis navigator: ille ad varias terras mercaturæ causa iter fecit, sæpeque regnum Gardorum visitavit, quam ob causam vocatus est Gudleikus Gardicus. Eodem vere Gudleikus navem suam paravit, æstate orientem versus in regnum Gardorum navigaturus. Tum ei rex Olavus nuntium misit, ut eum convenire vellet. Ut vero Gudleikus regem convenit, rex ei significat, se cum eo facere societatem velle, et rogavit, ut res pretiosas, in Norvegia raras, sibi coëmeret. Gudleiko hoc ejus arbitrio permittenti rex pecunias, quibus cimelia emeret, tradidit. Hac æstate Gudleikus in Orientem profectus, aliquantum temporis ad Gotlandiam in ancoris stetit. Hic accidit, quod sæpe solet usu venire, ut omnes promissum silentium non servent; nam incolæ resciverunt, eum socium esse regis Olavi Crassi. Gudleikus cum, quo contenderat, pervenisset, multa cimelia regi sibique emit, et sericum, quod ornatui regio destinavit, et alias vestes electiores, ut et pelles pretiosas, et eximiam mensæ supellectilem conciliavit. Sequenti autumno, cum Gudleikus ab oriente rediret, adversam nactus tempestatem,

[1]) Sic *C,E,G;* insula Bahusiæ, apud Undalinum *Orost,* Descr. Norv. p. 23. Ostram, cet. [2]) Ögasunda, *C,E,L,S;* Agdasunda, *A.* [3]) Hic lacuna incipit in *E.* [4]) Gudleivus, *G,I.*

valde diu ad Eylandum hærebat. Thorgötus Skardius itinera Gudleiki ab oriente venturi per exploratores speculatus fuerat, et ad Eylandum hærentes necopinato oppressit, et cum eis conflixit. Gudleikus ac sui fortiter et diu se tutabantur, cum vero numero multo inferiores, et ab hoste imparati essent oppressi, Gudleikus omnesque socii navales ceciderunt, Thorgötus vero omni ejus pecunia et cimeliis Olavi regis potitus est. Thorgötus ac comites prædam omnem inter se ex æquo diviserunt, cimelia vero, inquit, cedent Olavo Svionum regi; ea enim pars aliquanta sunt tributorum, qvæ ei ex Norvegia debentur. His gestis Thorgötus in Sveciam revertitur. Harum rerum fama cito percrebuit. Eyvindus Uricornis brevi post ad Eylandum appulit, ubi vero has res cognovit, statim orientem versus navigavit, Thorgötum insequens, qui cum inter scopulos svecicos convenirent, confestim prælium commiserunt, in quo Thorgötus Skardius et plurima suorum pars cecidit, pars e navi in mare desilivit. Hic Eyvindus omnem pecuniam, quam Gudleiko Gardico abstulerat, multamque aliam, omniaque Olavi regis cimelia recepit; et eodem autumno in Norvegiam reversus, regi Olavo Crasso cimelia sua reddidit. Rex ei ingentes pro ea expeditione gratias egit, et de novo ei amicitiam suam pollicitus est. Tum Olavus tres hiemes Norvegiæ rex imperaverat.

Cap. 66. Eadem æstate rex Olavus classe instructa orientem versus ad Albim contendit; tum nuntii inter regem Olavum, atque Rögnvaldum dynastam et Ingibiargam Tryggvii filiam, uxorem dynastæ, intercedebant. Hæc omni studio rebus Olavi Norvegiæ regis favebat, atque hanc rem summa contentione urgebat; cujus rei duplex fuit causa, primo, quod regem Olavum propinqua

cognatione attingebat, deinde, quod memoriam fratris Olavi Tryggvii filii, opera Olavi Svionum regis peremti, nunquam deponere poterat, ipsaque regnum Norvegiæ jure ad se pertinere judicabat. Hujus persvasionibus permotus dynasta, quamvis Olavo sveco obsequium deberet, valde ad amicitiam regis Olavi Crassi inclinabat. Quibus rebus factum est, ut rex Olavus et dynasta loco et tempore conveniendi præstituto, ad Albim congrederentur. Hic multis de rebus, maximeque de his, quæ intercesserant inter Olavum Svionum regem et regem Norvegiæ, disputarunt, utrisque dicentibus, quod verum erat, tam Vikensium quam Gothorum rebus summo esse detrimento, quod nulla inter eos mercaturæ commercia essent. Tandem inter se et suos pacem et securitatem ad proximam æstatem duraturam pacti sunt; mutuoque datis muneribus digredientes amicitiam invicem sanciverunt. Post hæc rex boream versus in Vikam reversus est, et etiam tum integros regios reditus ad Albim usque reportavit, omnemque populum sibi subjectum habuit. Olavus Svionum rex regem Olavum Haraldi filium tanto odio prosequebatur, ut nemini impune licitum esset eum, rege præsente, suo nomine appellare, quare ibi (in Svecia) dictus est homo crassus, et quotiescunque aliqua ejus mentio fieret, gravi vituperatione afficiebatur.

Cap. 67. Coloni Vikenses inter se loquebantur, hoc solum esse malorum remedium, ut reges pacem et reconciliationem inter se facerent, se magno in periculo versari querentes, si a regibus bello peterentur. Qvas querelas cum nemo libere loqui auderet, a Björne aulæmagistro petiverunt, hanc rem coram rege exponere, ut ad regem Svionum mitteret, qui ei suo nomine pacem offerrent. Björn invitus erat, et hæc facere diu detrectavit.

Multorum autem amicorum precibus victus, tandem pollicitus est, hanc rem ad regem deferre; animo tamen præsagire, regem invitum eo descensurum, ut regi Svionum ulla re gratificaretur. Hac æstate Hialtius Skeggii filius, jussu regis Olavi ab Islandia advenit. Hic statim regem Olavum adiit, qui eum bene excepit et commorari apud se jussit, eique sedem juxta Björnem aulæmagistrum designavit; qui convictores facti intimam societatem inter se fecerunt. Aliquo tempore cum rex conventum cum colonis ageret, et de republica consultaret, Björn aulæmagister sic locutus est: quid cogitas, domine rex, de bello, quod cum rege Svionum geris; vos utrique longo jam tempore mutuis cædibus grassamini, necdum melius, quam antea, novit quisquam, quantum quisque vestrum ditionis jure possideat. Jam tu hic in Vika unam hiemem et duas æstates consedisti, et totam terram, quæ ad boream vergit, a tergo tuo relinquis. Illos autem, quibus possessiones et hæredia sunt in regni parte boreali, tædet hic commorari. Quare ea est sententia et voluntas tam præfectorum quam ceterorum incolarum et colonorum, ut hæc res aliquo pacto expediatur. Cum vero pax jam facta sit cum Rögnvaldo dynasta, et Gothis occidentalibus, qui huic provinciæ proximi sunt, id consultissimum esse videtur, legatos ad Svionum regem mittere, qui tuo nomine pacem offerant; quam rem multi eorum suo consensu confirmabunt, qvi apud regem Svionum sunt, nam utrisque magnæ utilitati est, pacem inter te ac Sviones fieri. Oratio Björnis omnium consensu accepta est. Tum rex sero et moderate locutus est: hoc consilium, quod nunc proposuisti, Björn, æquum est, ut de te ipse ceperis, nam hanc ipse legationem obibis, et hujus consilii, si bene succedet, fructum capies, sin vero contra, tu ipse potissimum in causa eris. Eam

vero legationem nonnulli quidem capitalem vocabunt, qvæ minus habeat periculi, quam hæc, sed tui officii est, mandata regia perferre, et quæcunque proponi velim, in hominum frequentia exponere. His dictis rex surrexit et ædem sacram adiit, et sibi missam meridianam cani fecit; deinde accubitum ivit. Postridie Hialtius Björni loquitur; cur tam tristis es, amice? num quis est, cui succenseas? Tum Björn ei de colloquio cum rege aperit, hanc esse legationem re vera capitalem significans. Cui Hjaltius: Ita est regibus apparere, ut tales homines magno in honore sint, plurisque, quam ceteri homines, æstimentur, sæpe vero in periculis versari debeant, quod utrumque probe callendum est. Sed his in rebus, cum fortuna regis multum valet, tum ex hac legatione, si prospere successerit, magnus in te honor redundabit. Björn loquitur: ita facilem hanc esse legationem existimas, ut hujus itineris societatem expetere videaris, rex enim me jussit, ex consessoribus meis socios itineris deligere. Cui Hjaltius: ego vero tecum proficiscar, si vis; si enim sejungimur, haud facile parem consessorem nacturus videor.

Cap. 68. Paucis post diebus, cum rex Olavus in conventu esset, duodecim legati, duce Björne, advenerunt; hic regi significat, se paratum esse ad suscipiendam legationem, et equos foris ad curiam stare, ephippiis stratos. Jam scire velim, ait Björn, cum quibus mandatis nobis eundum sit, quidve consilii nobis suppedites. Rex respondet; hæc mea verba regi Svionum nuntiate, me pacem statuisse inter regna nostra ponere usque ad eos terminos, quos ante me rex Olavus Tryggvii filius agnovit, hancque pacem debere sanctis promissis confirmari, ut neuter hos fines transsiliat; quod vero attinet ad cædes, quibus

alteri alteros affecimus, non opus est, ut harum ulla fiat mentio, si pax facienda est: nam Svionum rex tot cædes, nobis ab Svionibus illatas, nulla poterit pecuniæ summa expiare. His dictis surgit rex et foras cum Björne et ceteris legatis egreditur; tum ensem ornatum et annulum aureum sumit et Björni tradit, dicens: hunc ensem tibi do, eundem mihi hac æstate dedit Rögnvaldus dynasta, quem vos primo adite eique hæc mea verba afferte, ut te consiliis et ope adjuvet, quo possis mea mandata perficere; tum vero te mandatis bene perfunctum existimabo, si audis verba Svionum regis sive affirmantis, sive negantis; annulum vero aureum tradas Rögnvaldo dynastæ: is hanc tesseram agnoscet. Tum Hjaltius regem adiit, eum salutavit, et locutus est: magnopere nobis opus est, domine, ut huic profectioni tuam addas fortunam; incolumes iterum congrediamur! Rex quærit, an cum Björne proficisci cogitet. Ille affirmat. Rex iterum: hoc certo scias, Hjalti! me toto animo eo inclinaturum, ut res prospere vobis succedat, et meam sane fortunam additurum, si quid momenti habitura sit; et tua, Hjalti, societas aliquid commodi huic legationi afferet, nam fortuna tua sæpe comperta est. Posthæc Björn aulæmagister ac sui iter equites ingrediuntur, de quorum itinere non proditum est priusquam ad aulam Rögnvaldi dynastæ pevenerunt, ubi bene excepti sunt. Björn celebritate nominis inclytus erat, multisque de facie et sermone notus, nempe his omnibus, qvi regem Olavum viderant; quovis enim conventu surgere et regia mandata explicare Björn consveverat. Ingibiarga, uxor dynastæ, Hjaltium adiit et eum osculata est; nam probe eum cognovit, quod ille apud fratrem regem Olavum Tryggvii filium versatus erat, quo tempore ipsa domi (innupta) se continebat; eadem Vilbor-

gam, uxorem Hjaltii, cognatione attingebat: nam Eirikus Bjodaskallius (Cranipeta), pater Astridæ, matris regis Olavi Tryggvii filii et Ingibiargæ, atque Bödvar, pater Olavæ, matris Gissuris Albi, patris Vilborgæ, fratres erant, nati Vikinga-Kario (Kario Pirata), viri Norvegi præfecti dignitate. Hic Björn ac sui liberaliter habiti commorabantur.

Cap. 69. Die quodam Björn et Hjaltius ad colloquium accesserunt dynastæ atque Ingibiargæ; hæc enim omnium consiliorum particeps erat. Hic Björn injuncta sibi mandata coram eis exponit, et tesseras ostendit. Dynasta respondet: quid ita tibi accidit, Björn, ut rex te mori velit? Tu mandata ista sine periculo hoc minus perferre poteris, quod esse puto neminem, qui, si hæc verba coram rege Svionum eloquetur, impune sit abiturus, modo regi pro lubitu agere liceat. Olavus enim Svionum rex multo est superbior, quam ut vobis fas sit, ipso coram verba facere, qvæ ipsius ingenio valde repugnent. Tum respondet Björn: nihil tale meis negotiis intervenit, ut rex me quapiam in re reprehendere queat, aut ob ullam rem mihi succensuerit. Sed multa sunt consilia regis, ad salutem ipsius ac subditorum spectantia, quorum exitus dubius et periculosus videri possit his, qui vitæ suæ plus justo timeant. Verum omnibus regis consiliis ad hoc usque tempus adspiravit fortuna, quod et in posterum fore speramus. Ut tibi jam, domine dynasta, vera fatear, statui regem Svionum adire, neque prius reverti, quam omnia verba, quæ coram rege Svionum proferre jussus sum, ipso audiente, aperuerim, nisi mors aut vincula impediant, quo minus, quo constituerim, perveniam. Hujus rei periculum facere, in animo est, sive mihi aliquam, sive nullam opem, regis causa, præstiteris. Tum Ingibiarga: ego confestim meam mentem aperiam, quamquam vera esse

videantur, quæ de nostro genere vulgo dici soleant, nos res incidentes festinantius, nulla vero prudentia, aut circumspectione intueri. Volo te, dynasta, toto animo incumbere, ut mandatum regis Olavi confiat, et hoc negotium ita expediatur, ut Björni placeat, quæquæ tandem responsa rex Svionum protulerit. Quinimo etsi ira Svionum regis immineat, omnesque fortunæ nostræ in discrimen vertantur, tamen multo magis hujus periculum faciendum existimo, quam ut in alias terras fama exeat, te, metu Svionum regis, mandatum regis Olavi Haraldi filii sub pulvinum subjecisse (neglexisse). Tu quoque generis antiquitate et cognatorum frequentia tantum vales, ut hic in regno Sveciæ liberum tibi esse debeat, causam agere tam honestam, quam omnes æquam justamque æstimabunt, sive multi sive pauci audient, sive divites sive pauperes, et si vel ipse audiet rex. Dynasta respondet: haud obscurum est, quorsum tua ista incitamenta spectent. Quare lubens hoc tibi dedero, ut regiis legatis meam operam pollicear, quo magis regis sui mandata coram rege Svionum exponere possint, modo ea aperire audeant, sive gratum erit regi, sive minus. Sed meam valere volo auctoritatem, qua ratione res instituenda sit, neque in re tam difficili, quam hæc esse videtur, Björnis aut aliorum hominum fervori temere obtemperandum censeo. Hinc volo, ut apud me commoremini ad illud tempus, quod[1] ad vestrum negotium promovendum opportunissimum videatur. Cum vero dynasta significavisset, se eos hac in re consilio et opibus adjuturum, Björn ei prolixe gratias egit et se consiliis ejus libenter obsecuturum ostendit. Björn et Hjaltius diu apud dynastam commorati sunt, et eximio Ingibiargæ favore utebantur. Björn sæpe de nego-

[1]) *Hic iterum incipit E.*

tiis suis cum ea collocutus est, et ægre se ferre, rem tam diu differri, significavit. De his sæpe omnes una, præsente quoque Hjaltio, disserebant, et aliquando cum de hac re sermonem haberent, Hjaltius locutus est: regem, si vultis, adibo: ego enim non sum Norvegus, et plerisque hominibus, qui ibi sunt, ignotus, quare Sviones nulla mihi crimina inferre possunt. Cognovi autem, apud regem Svionum magno in honore Islandos esse, mihi cognatos, nempe poëtas regis, Gissurem Nigrum et Ottarem Nigrum. Hinc facile expiscari potero regis Svionum sententiam, utrum hujus negotii exitus tam desperatus esse videatur, quam omnes nunc jactant, an aliæ subsint rationes, quam vulgo compertæ sint. Ego vero, quod visum fuerit negotium, prætendam. Hoc callidissimum inventum esse Björn et Ingibiarga judicabant, quare hanc ineundam rationem certo decreverunt. Jam Ingibiarga iter Hjaltii comparavit, eique comites tradidit duos homines Gothos, quos jussit eum comitari eique strenue operam dare, tam ministeria obeundo, quam si quo eos mittere vellet. Ingibiarga dedit eis viaticum viginti selibras bene ponderatas, et cum eo mandata ac tesseras Ingigerdæ, filiæ Olavi Svionum regis, misit, ut negotium ejus omni studio adjuvaret, quamcunque rem ab ea petere necessum haberet. Hjaltius, ut primum paratus erat, iter ingressus est. Cum vero ad regem Olavum pervenit, convenit poëtas, Gissurem et Ottarem; qui adventu ejus gavisi, eum statim ad regem duxerunt, eique significarunt, adesse virum, popularem suum, et in patria unum in honoratissimis, petentes, ut rex eum benigne exciperet. Ille sic fecit. Poëtæ et Hjaltius, qui omnes magna fandi libertate utebantur, sæpe cum rege coram collocuti sunt. Hjaltius regi visus est vir prudens, et multarum rerum sciens, quare

multum cum eo colloquebatur, et ab eo multa de rebus Islandicis quærebat.

Cap. 70. Björn, cum domo proficisceretur, Sigvatum poëtam rogavit, ut hujus itineris socius esset. Hic tum apud regem Olavum versabatur; plurimi vero hujus profectionis societatem ideo minime cupiebant [quod summum habere periculum videbatur[1]. Björnem autem ac Sigvatum bona intercedebat amicitia; tum hic hos versus pepigit:

Hactenus mihi convenit bene
cum omnibus regis bellicosi
aulæmagistris, qui domini
nostri ante genua versantur.
Soles, Björn, sæpe apud regem
bene pro me intercedere;
tu, rubefactor gladii, cum sis
prudens, bene consulere potes[2].

Sigvatus se Björni socium itineris adjunxit; cum vero in Gothiam equitarent, hos versus composuit Sigvatus:

Sæpe licet perfusus udore,
hilaris fui, quando vehemens
tempestas vela regia, vento
perflata, concussit in Strindæ sinibus.
Equus gurgitis tolutim vasit
(carinæ mare Listicum secabant),
cum naves fecimus bellicas

---

[1]) Hanc sententiam ignorant *K,S.*

[2]) Constructio: *Aðr hefi ek átt gott við alla góða stallara ógndjarfs grams, þá er hvarfa fur knè orum drottni. Björn! [þu átt a) opt at árna góðs b) fur mèr at vísa c); gunn-iss d) -rióðr! meguð of-ráða gott, þvi at kunnið vel.*

a) fáztu (rectius *faztu*, 2. impf. v. *fet, fat*), *C,D,E,F,G,H;* quod nescio an optima lectio sit. *b) gjóðs*, *I,L;* prave. *c)* Ita dedi sec. Hkr.; *at vísu*, certe quidem, cet. *d)* Ceteri scribunt *is*, quod metrum postulare videtur.

vento secundo in fretum ruere[1].

Fecimus naves regis animosi,
tentoriis velatas, nova
æstate ad insulam natare
ante terram eximiam.
Hoc vero autumno, cum rates
calcant æquora, trita
piratæ, mihi equitandum est;
variis studiis operam navo[2].

Cum vero per Gothiam equitarent, Sigvatus hos versus composuit.

Esuriens equus currit longas
semitas ad aulam crepusculo
vespertino; terit ungula campum;
pars exigua restat diei.
Nunc est, ut me ferat equus
per rivulos procul a Danis;
meus equus demisit in paludem
pedem: adsunt lucis et noctis confinia[3].

---

[1]) Constructio: *Opt var ek kâtr úti i vâsi, þá er örðigt veðr skók a) vindblásin visa segl á Strindar b) fjörðum. Kafs hestr óð á kostum c), kilir ristu Lista haf, þá er lètum skeiðr eisa undan út á sundi.*

a) skóf, radebat, verrebat, *E,F,L,S.* *b)* Ita ceteri; *innan, A.* *c)* Sic dedi, sec. Hkr.; *á köstu, A; af köstum,* ceteri. *Kostir,* proprie dicitur de artificioso gressu equorum sagmariorum Islandicorum, quæ vox h. l. ad cursum navis *(kafs hestr)* transfertur.

[2]) Constructio: *Lètum tjöldut skip snjalls skjöldúngs skolla öndvert sumar við ey, úti fur ágætu a) landi. En i haust, þá er hagþorns b) hestar sporna á ekkils c) mó, hlýt ek at riða; fèkk d) ýmissar iðir e).*

a) Ita ceteri; *ágætum, A.* *b)* Sic *C,D,G,I; hafþorns, cet.* *c)* Ita Hkr.; *ekkjur, A* et *cet.*, ɔ: feminæ! tum junge: *þá er hestar sp. á hagþ. mó,* calcant virgulta cornea. *d)* lego *fækk; tæ ek,* ostendo (forte rectius *tekk*), *B,C,D,E,G,I.* *e)* Sic *D,K,S; iðnir,* id., *B,C,E,F,H,L; iðil,* prave, ut puto, *G,I.*

[3]) Constructio: *Allsvángr jór rennr lángar götur til hallar*

Mox emporium Skaras ingressi, per plateam equitarunt ad domum Rögnvaldi dynastæ; tum Sigvatus hos versus pronuntiavit.

Elegantes feminæ ex tectis
prospectabunt; mulieres pulverem
conspiciunt, celeriter nobis
per oppidum Rögnvaldi equitantibus.
Verberemus equos, ut exaudiat
ex ædibus femina generosa
rapidos cursus equorum,
e longinquo ad domum festinantium[1].

Cap. 71. Die quodam Hjaltius unacum poëtis regem adiit; tum Hjaltius ita fatus est: ita res se habet, domine rex, quem ad modum tibi notum est, ut huc venerim[2] ad te, longo et difficili, ut mihi quidem videtur, itinere confecto. Postquam autem oceanum transjeceram, atque fama de vestra gloria ad aures meas pervenit, nimiæ socordiæ (homine sciendi cupido indignum) esse duxi, cum tot tantaque de te relata audissem, ita in patriam reverti, ut te non vidissem. Cum vero lege inter Islandos et Norvegos sancitum sit, ut nos Islandi, in Norvegiam venientes, portorium pendamus, trajecto oceano omnium meorum convectorum nomine hoc vectigal recepi; quod cum tibi, qui regnum Norvegiæ possideas, jurę deberi nossem, maxime ea de causa te adii, ut portorium

---

(um) aptanskæru a); hófr kná slita völl: höfum litinn dag. Nú er þat er blakkr berr mik um bekki, ferri Dönum; fákr drengs laust fæti í díki; nú mætast dægr.

a) Ita ceteri; *Skærur*, in pl., *A*. De oppido Skara non est h. l. cogitandum.

[1]) Constructio: *Prúðar ekkjur munu líta út; fljóð sjá reyk, hvar ríðum allsnúðula ígegnum Rögnvalds bý. Keyrum hross a), svá at hugsvinn konan heyri innan or húsum harða hesta rás lángt at garði.*

a) hest, equum, *B; hvatt*, cito, *A; hross*, ceteri.

[2]) Hoc loco desunt aliquot folia in *G*.

tibi traderem. Hic dictis regi argentum monstrat, et decem argenti selibras in sinum pallii Gissuris Nigri infundit. Rex loquitur: Longo jam tempore pauci nobis talia e Norvegia attulerunt; quare jam tibi, Hjalti, gratiam et benevolentiam referre volo, quod tanto studio id egisti, ut mihi potius, quam inimicis nostris, portorium solveres: volo, ut has pecunias dono accipias, et insuper nostram amicitiam. Hjaltius regi multis speciosis verbis gratias referens: non falso, inquit, de te prædicatur, quod nullum regem tui similem habeas liberalitate, munificentia et magnificentia. Hinc Hjaltius in intimam regis amicitiam pervenit, et sæpe cum eo sermones serebat, et vir prudens et disertus, ut revera erat, ab rege habitus est. Hjaltius poëtis significat, se cum tesseris missum esse ad Ingigerdam regis filiam, hujusque tutelæ et amicitiæ commendatum, quare petere, ut se ad eam ducant. Illi rem parvi negotii esse dixerunt, et die quodam ad domum ejus ambularunt, ubi ea multis præsentibus viris potabat. Poëtas, utpote sibi notos, benigne salutavit. Hjaltius eam ab Ingibiarga, uxore Rögnvaldi dynastæ, salvere jussit, seque ab illa eo missum, ejusque tutelæ et amicitiæ commendatum, prolatis tesseris testatus est. Regis filia eum bene excepit, eique amicitiam suam benigne pollicita est. Hic multum diei sedebant et potabant. Regis filia Hjaltium de multis rebus interrogavit, rogans, ut sæpius in sui colloquium veniret. Ille sic fecit, et sæpe eo venit, atque cum regis filia colloquebatur; huic secreto de sua ac Björnis profectione et mandatis exposuit, et sententiam ejus quæsivit, quomodo rex Svionum hanc rem excepturus foret, si pax inter regem utrumque proponeretur. Ea respondet, dicens, putare se, frustra futurum, patrem suum cum Olavo Crasso in gratiam reducere ten-

tare, tantas enim in eum iras concepisse, ut nemini eum regem aut Olavum, sed hominem Crassum appellare licuerit. Neque tibi svadeo, Hjalti, ut hanc rem patri meo proponas.

Cap. 72. Die quodam Hjaltius regem adiit et cum eo collocutus est. Rex erat admodum hilaris, quare poculis large indulgebant. Tum regem Olavum compellans: hic insignem conspicere licet varii generis magnificentiam, inquit, neque vero exspectari poterat, falsa esse, quæ de te omnes per terras, ubicunque tui fiat mentio, fama ferantur; nunc enim præstantiam tuam, solis auribus ante cognitam, ipse oculis novi, scilicet te regum in toto septemtrione præstantiorem esse neminem. Quare profecto magnopere dolendum est, huc profecturis tam longum tamque periculosum iter faciendum esse, primo immensum mare pernavigandum, deinde peragranda loca Norvegiæ minus tuta his, qui huc ad te amicitiæ gratia proficisci velint. Nonne, quæso, tentant homines, pacem inter te et Olavum Crassum componere? multa de ea re disputata sunt in Norvegia et Gothia occidentali, omnes optare, pacem inter regna componi; atque verba regis Olavi Haraldi filii audivi vera referentes, eum pacis esse cupidum, quod haud sine ratione facere videtur, dubium enim non est, quin hoc perspicere queat, se multo, quam te, minus opibus valere, ideoque tuam iram ferre non posse; ita sapit scilicet, ut hoc dispicere possit. Ferebat quoque fama, eum conjugem petere velle Ingigerdam filiam tuam, et audivi, qui dicerent, hoc ad firmam pacem conciliandam maximi fore momenti; est enim, ut plurimorum sermo fert, vir excellentissimus. Tum respondet rex: desine, desine, Hjalti! inquit, noli crassi hominis, me præsente, mentionem inferre, cumve regem intra meam aulam appellare; hujus

enim consilia multo minoris sunt æstimanda, quam vulgo jactant: quod ipse facile intelliges, si te rem, ut est, docuero; neque me dignum existimabis, homini crasso affinitate jungi: ego enim decimus rex Uppsalis impero, quam regiam dignitatem majores mei per manus traditam acceperunt, et totum Svecicum imperium multasque alias amplas regiones singulari potestate tenuerunt, ceterosque Septemtrionis reges auctoritate præstiterunt. Sunt autem in Norvegia exigui tractus et sparsim habitati, populus vero pauper: ibidem multi fuere reguli; ista in terra maximus rex erat Haraldus Pulcricomus, qui cum regulis provincialibus contendit atque hos sub potestatem suam redegit; qui cum e re sua esse intelligeret, imperium Svionum regis non appetere, Svionum reges permiserunt, ut pace frueretur, cujus quoque ea causa erat, quod propinqua cognatione juncti erant. Cum vero Hakon Adalsteinis-alumnus Norvegiæ imperaret, pacate se gessit, donec Gothiam et Daniam armis infestaret, quo facto, exercitu contra eum collecto, regno et vita spoliatus est. Gunnhildæ quoque filii, cum obsequium regi Danorum non præstarent, e medio sublati sunt, tumque Haraldus Gormi filius regnum Norvegiæ sibi subjecit et vectigale reddidit; et tamen nostro judicio Haraldus Gormi filius regibus Uppsalensibus multum auctoritate cedebat; nam Styrbjörn, cognatus meus, Haraldum vi coactum sibi subjectum et vectigalem reddidit; et tamen rex Eirikus victoriosus Styrbjörnem superavit, quando inter se de principatu contendebant. Cumque Olavus Tryggvii filius in Norvegiam venisset et se regem appellaret, ei hoc minime permisimus, sed ivimus cum rege Sveine et eum regno spoliavimus; ex quo tempore Norvegiam possideo, non minori auctoritate, quam jam audivisti, neque

minori jure potitus, quam ut regem, huic terræ antea imperantem, prælio adortus devicerim. Hinc facile intelligere poteris, me nequaquam hoc regnum homini isti crasso cessurum; atque miror, eum non meminisse, quam difficulter ex Lacu evaserit, quando ego et Sviones eum in Lacu incluseramus; equidem putaverim, eum tum aliud animo agitasse, si salvus evasisset, quam vi adversum nos contendere. Quare, Hjalti, cave, ne sæpius has res, me audiente, in ore habeas. Hjaltius sentiens, spem non esse, ut rex ullis pacis conditionibus aures præberet, hoc sermone omisso, aliam colloquii materiam sumsit. Paulo post, cum ad colloquium Ingigerdæ regis filiæ admissus esset, ei exponit de suo cum rege colloquio. Ea se ejusmodi responsa ab eo exspectare dixit. Ille rogavit, ut pro se apud regem verbis intercederet, hoc enim maximum momentum habiturum. Ea regem aures non præbiturum, quicquid loqueretur, dixit: possum tamen, inquit, si vis, mentionem de hac re inferre. Ille se gratias agere significavit. Ingigerda, regis filia, die quodam cum patre colloquebatur; cum vero sentiret, eum remissiore animo esse, ita infit: quid cogitas, pater! de lite, quæ te et Olavum Crassum intercedit? multi homines de hoc incommodo queruntur; alii amissa bona, alii cæsos ab Norvegis cognatos, omnes vero nostrates amissam terram, in qua tuto commercia exercere liceat, dolent, nec ulli ex subditis tuis tuto in Norvegiam venire licet, rebus sic comparatis. Et sane tu fecisti imprudenter, qui Norvegiam, terram inopem, transitu difficilem, incolas habentem infidos, qui quemlibet alium regem, quam te, optaverint, tuæ ditioni vindicare studueris. Qvare, si quid mea valeat auctoritas, tibi svaserim, a postulando Norvegiæ imperio desistere, potius vero

ditionem, quam in Oriente priores Sveciæ reges tenuerunt, pauloque abhinc tempore Styrbjörn, cognatus noster, sibi subjecit, armis repetere, sed pacem cum Olavo Crasso facere, eique permittere, ut avita sua hæreditate potiatur. Rex magna incensus ira reponit: hoccine svades, Ingigerda, ut ego cedam Norvegiæ imperium, et nuptui dem te Olavo Crasso? absit, inquit; aliud prius erit; aliud potius in comitiis Uppsalensibus confiet, ubi palam faciam omnibus Svionibus, me imperatis universis regni militibus et navibus, quam primum aquæ glacie fuerint solutæ, in Norvegiam profecturum, et hanc terram ferro et armis vastaturum, omnia loca incensurum et deusturum, atque sic perfidiam eorum repensurum. Heic rex tam vehementem et furiosum se præbuit, ut illa ne verbo quidem respondere posset; quare abiit. Hjaltius tempus observavit, quando diremto colloquio abiret, et extemplo eam adiit et quæsivit, quem exitum habuisset ejus cum rege colloquium. Ea rem, ut opinata fuisset, cessisse, neque regem ullis adire verbis posse, nonnisi minas jactantem, asseruit, petens, ut postea nunquam hujus rei mentionem coram rege injiciat, alias non impune abiturum. Sæpe hac de re Ingigerda et Hjaltius collocuti sunt, atque de Olavo Crasso disserebant; ille sæpe ei de rege ejusque moribus retulit, hunc quantum potuit, et tamen quam maxime ad veritatem accommodate, laudavit. Illa rem suo assensu probavit. Et aliquo tempore, cum inter se colloquerentur, Hjaltius infit: an pace tua, regis filia! dicere licet, quod in animo est? cui illa: loquere, ita ut sola audiam. Tum ille: quale datura fores responsum, si rex Olavus Haraldi filius ad te mitteret, ut nuptias tuas peteret. Ea nonnihil rubuit, et moderate respondit: non animo perpendi, Hjalti, quid ad hæc respondeam, non enim usum mihi

fore cogito his responsis; si vero Olavus in omnibus rebus tam excellit, quam de eo prædicas, haud equidem possum aliter meum maritum optare, nisi hoc sit, Hjalti, ut eum nimiis laudibus extuleris. Hjaltius respondet, se nulla re regem magis, quam pro ut res erat, laudasse. De hac re sæpius inter se colloquebantur. Ingigerda eum cavere jussit, ne cum aliis hominibus hanc rem communicaret: rex enim nobis irascetur, si hos sermones resciverit. Hjaltius rem aperit poëtis, Ottari et Gissuri; dicunt fortunatissimum consilium esse, si perfici queat. Ottar, qui magna fandi libertate coram viris principibus utebatur, mox hujus rei mentionem apud regis filiam intulit; sæpius omnes conjunctim de hoc inter se loquuntur, Ottare eodem modo, quo Hjaltius, virtutes regis Olavi prædicante. Ubi vero Hjaltius certo habuit exploratum, quem exitum habitura res esset, homines Gothos, qui eum illuc comitati fuerant, remisit, ut sua et Ingigerdæ regis filiæ mandata referrent; idem dynastæ et Ingibiargæ de sermonibus, quos cum Ingigerda habuisset, et de responsis ejus circa petitionem uxoriam, qualia fuissent, leviter significavit. Missi ad dynastam paulo ante festum Jolense pervenerunt.

Cap. 73. Rex Olavus Haraldi filius, cum Björnem ac ceteros legatos in Gothiam miserat, alios præterea in Upplanda misit, ut convivia imperarent, statuit enim ea hieme convivia per Upplanda obire, nam mos fuerat priorum regum, convivia tertia quaque hieme per Upplanda frequentare. Itaque autumno iter ingressus, primo Vingulmarkam obiit, iterque properavit. Convivia sibi apparari fecit prope a territoriis sylvestribus, omnesque pagorum incolas, in primis eos, qui remotissimi erant a provinciis frequentioribus, ad se vocavit; quo facto de observatione religionis

christianæ inquirebat, et si quos hac in re minus diligentes animadverteret, hos veram fidem et christianam religionem docuit, si qui vero nollent paganismo renuntiare, hoc tam severe punivit, ut quosdam regno expelleret, quosdam decollari aut suspendi juberet, neminem dimittens impunitum, qui deum colere nollet. Sic totum hunc tractum et provinciam obiit: potentes æque ac humiles punivit, dedit eis sacerdotes, quos frequentes, prout aptissimum esse judicavit, disposuit. Trecentos habuit viros armis idoneos, quando in Römarikium proficiscebatur; etsi vero brevi animadvertebat, quo longius in mediterranea ventum esset, eo negligentius coli christianam religionem, tamen eundem morem tenuit, ut universum populum ad veram fidem converteret, hos autem, qui ei dicto audientes non essent, gravibus pœnis afficeret. Quo cognito rex, qui Römarikio præfuit, hæc objecta incommoda magnum adferre discrimen judicavit, quotidie enim veniebant ad eum homines, multique amicorum, partim divites, partim pauperes, qui de his incommodis quererentur. Quare rex hoc consilii cepit, ut in Heidmarkam ascenderet ad regem Rærekum, utpote regem prudentissimum; qui reges cum colloqui cœpissent, convenit inter eos, ut nuntios mitterent boream versus in Dalos ad regem Gudrödum, atque in Hadalandum ad regem, ei provinciæ præfectum, petentes, ut se ac Rærekum regem in Heidmarka convenirent. Quam profectionem cum reges non negligerent, hi quinque reges (quorum quintus erat Ringus, frater regis Ræreki) in loco Heidmarkæ, Ringisakro[1] dicto, convenerunt. Hic omnes isti reges soli inter se collocuti sunt. Qui ex Römarikio venerat, primus verba fecit, eisque de profectione regis Olavi narrat, et de hostilitatibus,

[1]) *Hringsakri* (agro Ringi), *D,E,I.*

quas fecisset, homines partim interficiendo, partim mutilando: „alios regno expellit, alios mutilat, omnium autem bona, qui ei aliquid obloquantur, confiscat; obit autem regnum cum immenso hominum numero, contra normam legibus nostris præscriptam." Propter has turbas se multosque alios potentes viros, relictis possessionibus et herediis, ex Römarikio profugisse ait. „Quamvis autem hoc incommodum mihi nunc proximum sit, tamen prope aderit, cum vos eidem calamitati subjecti eritis; quamobrem consultissimum arbitror, ut quid consilii capiendum sit nos omnes una in medium proferamus." Qui cum finem dicendi fecerat, ceteri reges rem ad arbitrium Rærekí regis, qui eorum prudentissimus erat, rejecerunt. Hic ita fatus est: nunc id evenit, quod futurum suspicabar, quando conventum in Hadalando habuimus, vosque omnes summo studio contendistis, ut Olavum supra nos eveheremus, neque ullam aliam rem audire voluistis; mihi vero hoc idem in mentem venit, dura in nos cornua versurum, ut primum rerum summa potitus esset. Jam duas præsto esse conditiones video, unam, ut nos omnes regem Olavum adeamus, ejusque solius arbitrio rem transigendam et decidendam permittamus, quam conditionem iniquiorem quidem vobis visum iri non dubito, utilissimam vero nobis existimo: alteram, ut nunc contra insurgamus, dum non plura regni loca obivit. Etsi vero tres aut quatuor hominum centurias habeat, hæc quidem manus vires nostras superare non videtur, si unum omnes consilium sequamur; sæpius vero accidit, ut hi iniquiore fortuna utantur, qui plures sint, si omnes pari sunt potestate, quam ii, quibus unus est dux exercitus; et verum esse probatur vetus dictum, ubi in discrimem veniatur, suum quemque capere consilium. Ita enim fere usu venit,

cum omnes pari sunt potestate, nemoque potestate aut imperio præstat alteri, ut tum suum quisque capiat consilium, cum res in angustias et discrimen adducta est, neque curet, quid cuique expediat, quidve factu optimum sit. Quare potius mea sententia est, adversus regem Olavum Haraldi filium belli fortunam non periclitari. Hic dictis, quisque regum, quod cuique visum esset, in medium protulit, aliis rebellionem svadentibus, aliis dissvadentibus; quare cum utramque conditionem suis laborare vitiis ostenderent, nihil certi decretum est. Heic Gudrödus[1], Dalorum rex, sermonem orsus: mirum, inquit, mihi videtur, vos hanc rem adeo impeditam reddere, et jam nunc Olavum istum pertimescere, cui nos copias suppeditaverimus, cum quibus adversus Sveinem dynastam ante Nesias dimicaret, quique nostris opibus adjutus hoc regno potitus sit. Qui si unicuique nostrum hoc exiguum regnum, quod jam satis diu tenuimus, invideat, nobisque vexationes et vim adferre velit, hoc de me dicere habeo, quod servitutem regis a me depellere volo, eumque vestrum nullius pretii hominem existimo, qui Olavum istum, si exercitum contra nos huc in Heidmarkam ducat, e medio tollere formidet; hoc enim persvasum habeatis, nos, quoad Olavus iste vixerit, nunquam liberum caput demulsuros. His adhortationibus moti, omnes in unam sententiam eunt. Tum Rærekus: si consilium hocce, quod nunc inter nos decretum est, confiet, opus esse judico, cum res semel in discrimen adducta sit, ut firmo fœdere jungamur, ne quis in fide erga alterum vacillet. Ergo regem Olavum, cum huc in Heidmarkam venerit, condicto loco aggredi statuistis. At non fidei vestræ tantum tribue-

[1]) Sic *D,E,F,H,I*; *Gudbrandr*, *A* et *cet.*

rim, ut vobis liceat aliis in Dalis, aliis[1] in Heidmarka versari; mea potius sententia est, si hæc res omnium consensu ad effectum est perducenda, ut omnes una simus noctu interdiuque, donec hoc consilium fortuna adspirante confectum fuerit. Hoc probato, omnes una socii eunt, convivia in Ringisakro imperant, ibi circulatim compotationes obeunt, exploratoribus in Römarikium dimissis, interdiu noctuque iter Olavi regis et copias speculantur, alios dimittentes exploratores, ubi alii rediissent. Rex Olavus per Römarikium iter fecit, ut constituerat, convivia obiens, eodem prorsus[2] modo, quo supra diximus. Cum vero destinata convivia, propter multitudinem, quam secum habuit, non sufficerent, eos, qui prædia (regia) incolebant, convivia instaurare jussit, necesse enim duxit, ibi morari et mores hominum corrigere; cum vero aliis in locis brevius, quam constitutum fuerat, moraretur, ad Lacum celerius, quam statuerat, pervenit. Cum vero reges hoc consilium sancivissent, missis nuntiis, præfectos et potentes colonos ex omnibus provinciis, qui sub eorum ditione erant, ad se vocarunt. Qui cum jussi advenissent, hos solos in consilium adhibent reges, aperiunt illis suum consilium, et diem, quo res perficienda sit, præstituunt; hoc quoque decernunt, ut quisque regum tres[3] hominum centurias habeat. His actis præfectos remittunt, ut copias ex decreto contrahant, et reges tempore præstituto in loco condicto conveniant. Hocce consilium cum plurimis probaretur, evenit hic quoque, quod vulgo dicitur, quemque habere in inimicis amicum. Intererat huic consilio Ketil ab Ringuneso; qui cum vespere ex consilio rediisset, cibum sumsit, ipse ac domestici

[1]) Hic iterum incipit *C.* [2]) Lego *allt* pro *aptr*, secundum Hkr. [3]) Sic ceteri; quatuor, *A.*

vestes induunt, descendunt ad lacum, celocem ab rege Olavo donatam capiunt et in aquam deducunt; omnia navis armamenta in navali erant; deinde ad remos ordine consident et per lacum remigant. Comitabantur Ketilem quadraginta viri, bene armati et vestiti. Ketil ad locum, ubi rex Olavus convivabatur, eo tempore pervenit, quo ab cantu antelucano redibat. Ille adiit regem et salutavit. Rex bene eum excepit. Ketil declarat, se cum eo velle cito colloqui, eunt una ambo in colloquium duo soli; hic Ketil quid consilii ceperint reges, totamque instituti rationem, quam compererat, aperit. Quo cognito rex suos advocat, alios in pagos dimittit, et equos, quotquot comparari possent, adducere jubet, alios ad lacum ablegat, ut quas possent actuarias caperent et in usum regis paratas haberent; ipse vero templum adiit, et missam sibi cani fecit, deinde accubitum ivit. Cum cibum sumserat, quam celerrime se paravit et ad lacum adscendit; hic sui ei occurrerunt, naves adducentes; ipse cum Ketile celocem conscendit, tot adsumtis viris, quot capere poterat navis, ceteri vero, quæ nancisci poterant navigia, sibi comparaverunt. Adulto vespere solvunt, aëre tranquillo: noctu remigant per lacum. Rex tres[1] fere centurias militum habens, antequam dies illucesceret, ad Ringisakrum pervenit, excubitoribus copiarum adventum non animadvertentibus, priusquam ad villam pervenissent. Ketil ac sui, cum priori vespere inde abiissent, probe noverunt, in quibus cubiculis reges dormiebant. Rex omnia cubicula corona militum cingi jussit, ne quis elabi posset; atque sic, donec elucesceret, exspectabant. Reges cum nullas haberent copias ad resistendum, omnes vivi capti et ad regem Olavum ducti sunt; eos enim

[1]) quatuor, C,E.

armis lædere vetuerat. Rærekum, quod visus est prudentia et fortitudine insignis, dubiæ vero fidei, etsi pax aliqua cum eo fieret, ambobus oculis privavit, et eum deinde secum duxit; Gudrödo Dalorum regi lingvam exsecari jussit, Ringum vero et duo reliquos jurare coëgit, se e Norvegia excessuros, neque postea unquam redituros; præfectos et colonos, hujus conjurationis manifestos, alios regno expulit, alios manibus aut pedibus truncavit, alios pace donavit. De his commemorat Ottar Niger[1]:

Rex aurum liberaliter
distribuens rependit
malis terræ rectoribus
omnia sua conamina.
Imperator exercitus! olim
solvisti digna præmia
regibus Heidmarkæ, qui tibi,
rex inclyte, fraudem intentabant[2].
  Rex bellicose! principes
ex regno expulisti;
rubefactor ensis! tu illos
fortitudine superasti.
Quisque procul a te, rex!
fugit, ut populo notum est;
Ei vero, qui ad boream proxime
regnavit, lingvam præcidisti[3].

---

[1]) Sigvatus poëta, *H,I.*

[2]) Constructio: *lýtandi a) ifla folds b) branda hefir um goldit ljótum c) landráðandum allar umstillingar. Herskorðandi! þú lèzt forðum Heiðska d) jöfra hafa mundángslaun, þá er sættu munum við e) þik, mætr gramr!* Ignorat hanc stropham *H.*

a) h. l. lacuna incipit in *E.* *b) fold, C,F,L.* *c) ljótu,* fœde, male, *B,D,I,K,L; ljótan,* id., *cet.* *d) heimska, B,D,F,L; hætzka, I,S;* utrumque prave. *e)* Sic ceteri; *um, A.*

[3]) Constructio: *Böðvar þreytir! hafið rekna braut döglinga*

Nunc imperas terræ, quam
quinque reges antea
tenuerunt; te deus
magna roborat victoria.
Late atavorum terræ,
orientem versus ad Eidos usque,
tibi parent; nemo bellator
tantum possedit olim imperium[1].

Post hæc rex Olavus totum regnum, quod hi quinque reges possederant, sibi subjecit, a præfectis vero et colonis obsides accepit; pecunias conviviales et stipendia ex Dalis et multis Heidmarkæ locis exegit, quo facto in Römarikium revertitur indeque occidentem versus in Hadalandum deflectit. Hac hieme rex Sigurdus Porca, vitricus regis Olavi, in Ringarikio obiit. [Tum rex Olavus in Ringarikium rediit[2], quem venientem Asta mater opiparo convivio excepit. Hic tum unus in tota Norvegia regio nomine utebatur.

Cap. 74. Dicitur Asta, mater regis Olavi, quando filium convivio excipiebat, productos liberos suos ei monstrasse. Rex alteri genu fratrem Guthormum, alteri fratrem Halvdanem imposuit; quos cum aliquantum temporis intuitus esset, truci vultu et iratis oculis eos adspexit. Pueri animos desponderunt et abierunt. Tum

---

or landi; branda rjóðr! þinn þrekr fannst meirr enn þeirra. Hverr stökk ferri þèr, konúngr, sem þjóð of þekti; en eptir heptuð jer orðreyr þess, er sat norðast.

1) Constructio: *Nú ræðr þú fur þeirri fold, er fimm bragningar héldu forðum: guð remmir þik miklu gagni. Breið a) ættlönd austr til Eiða eru b) und þèr c); aungr göndlar d) elda slöngvir e) sat áðr at slíku láði f).*

a) Ita ceteri; *breidr*, prave, *A.* *b)* Ita ceteri; *er, A.* *c) und sik*, sub se, *A*; *viðr þik*, contra te, *I.* *d)* Ita ceteri; *randa*, clypeorum, eodem sensu, *A.* *e) þraungvir*, protrudens (enses), eod. sensu, *B,D,F,I,L,S.* *f) ráði*, potentiam, *C.*

2) Hanc sententiam, in omn. codd. omissam, ex Hkr. restitui.

Asta filium natu minimum, nomine Haraldum, tum trimulum, adduxit; quem rex genu impositum vultu ad minas composito adspexit, Haraldus vero contra suspectans, regem constanti vultu intuebatur; tum rex arreptos pueri capillos vehementius vellicavit, puer vero prehensam regis barbam, quantum potuit, attraxit. Hic rex: vindictæ, inquit, cupidus eris, cognate, ubi adoleveris. Postridie rex et Asta, mater ejus, cum foris circa villam ambularent, ad lacum aliquem venerunt, ubi pueri, filii Astæ, Guthormus et Halvdan ludebant; hic pueri prædia et horrea, magna bovum et ovium armenta, more junioribus usitato, ludicri ergo simulaverant; sed brevi inde spatio juxta lacum Haraldus solus ad sinum quendam lutosum constitit, multas habens assulas, quæ ante ripam aquis innatabant. Interrogat rex, quid hoc sibi velit. Haraldus naves suas esse respondit. Tum rex ridens: fieri potest, cognate! ut eo ætatis pervenias, ut dux navium fias. Dein rex Guthormum et Halvdanem advocavit, et Guthormum interrogat: quarum rerum maximam copiam habere vis, cognate? Agrorum, inquit. Rex: quam latos agros possidere cupis? Ille: vellem, hæc lingula, quæ procurrit in lacum, quavis æstate (frumento) consita esset; in ea vero lingula decem prædia erant. Rex: hoc magnum profecto arvum esset. Dein Halvdanem interrogat, quarum rerum maximam copiam cuperet? Vaccarum, inquit. Rex: quot possidere cupis? Halvdan: vellem, aquatum exeuntes, quam confertissime lacum circumstarent. Rex: amplam rem domesticam possidere cupitis, qua in re patri vestro similes estis; et sane non aspernanda esset conditio, si tales essetis, qualis ille fuit. Denique rex Haraldum interrogat: quarum rerum maximam copiam optas? Domesticorum, inquit.

Rex: quot habere velles domesticos? Ille: vellem ita fere multi essent, ut una cœna vaccas comederent fratris Halvdanis. Tum risit rex, et Astam matrem allocutus: in hoc, inquit, regem educas, mater. De verbis eorum hac vice non plura sunt memoriæ prodita.

Cap. 75. In Svionia, dum pagana religio invaluit, antiquitus fuerat institutum, ut mense hiemali Goa primarium sacrificium Uppsalis celebraretur, quo bona annona, pax et victoria regi exposceretur; huc totius Sveciæ incolæ convenirent, hic comitia essent omnium Svionum, hic mercatus et nundinæ, hebdomadam durantes. Postea vero quam religio christiana publice recepta erat, et reges sedem Uppsalis habere neglexerant, mercatus translatus et festo purificationis Mariæ celebratus est; qui mos exinde tenuit: et nunc per tres tantum dies celebratur, eodemque loco conventus Svionum est, quem omnes totius regni incolæ concelebrant. Imperium Svecicum multis partibus constat: una Sveciæ pars est Gothia Occidentalis et Vermalandum et Marklandum et partes adjacentes, quæ provinciæ tam late patent, ut sedi episcopali, quæ ibi est, duodecim[1] templorum centuriæ subsint. Altera terræ pars est Gothia Orientalis[2], cui diœcesi Gotlandia et Eylandia annexa est; quæ omnes provinciæ multo majorem diœcesin efficiunt. In ipsa Svionia una pars terræ est, quæ Sudurmannalandum vocatur, unam constituens diœcesin; deinde Vestmannalandum sive Fjadrundalandum[3]; tum Tiundalandum[4]; quarta Attundalandum[5]; denique Sjalandum et partes huic annexæ, ad orientem juxta mare jacentes. Tiundalandum est pars totius Sve-

[1]) Undecim, *C,F,I,K,S*; decem, *L.* [2]) Sic *C,D,F,I,K,L,S*; *Eystraland, A.* [3]) *Fjórðúngaland, D.* [4]) tertia pars Sveciæ, add. *cet.* [5]) *Áttjándaland*, *C,D,F.*

ciæ amplissima et incolis frequentissima, eo vero totum regnum inclinat: ibi sunt Uppsali, ubi sedes est regia, et archiepiscopalis, ex quibus opes Uppsalenses denominatæ sunt, huc omnia totius regni tributa Uppsalos conferenda sunt. Cuique terræ parti prætor præpositus est, summæ apud colonos auctoritatis, nam quæ dicit aut promulgat, leges sunt; si vero rex aut dynasta aut episcopus regnum obeunt, et conventus colonorum agunt, prætor nomine colonorum respondet et omnes eorum causas in se recipit, coloni vero ei tanto studio adhærent, ut viri præpotentes, invitis colonis aut prætore, comitia prætorum frequentare vix audeant. Si vero leges inter se distentiunt, ceteræ omnes inclinare debent ad leges Uppsalenses. Omnes ceteri prætores subjecti esse debent prætori, qui Tiundalando præest.

Cap. 76. Hoc tempore in Tiundalando jus dicebat prætor, nomine Thorgnyr, cujus pater nominatus est Thorgnyr Thorgnyris filius; hujus majores[1] per multorum regum ætatem supremi prætores in Tiundalando fuerant. Hic Thorgnyr totius Svecici imperii incolarum prudentissimus vulgo existimatus est; cognatus erat Rögnvaldo dynastæ ejusque educator. Nunc eo, unde deflexit narratio, revertendum. Viri, ex oriente cum epistolis ab Ingigerda regis filia et Hjaltio missi, ad Rögnvaldum dynastam pervenerunt, et mandata sua dynastæ hujusque uxori Ingibiargæ exposuerunt, dicentes, regis filiam sæpius cum Svionum rege de componenda pace inter ipsum et regem Norvegiæ collocutam, re ita comparata dubiam spem pacis existimare. Jam dynasta Björni refert, quid ex oriente rescivisset, eumque hortatur, ut re sic gesta reverteretur, neque rem ulterius tentaret. Björn declaravit, se certo sta-

[1]) Hic lacuna incipit in *I*.

tuisse nisi quid objiceretur impedimenti, perseverare, donec regem Svionum convenisset: tunc vero nosti, dynasta, quod pollicitus es, me ad regem deducere? Dynasta affirmavit. Jam procedit hiems, statim vero exeunte festi Jolensis tempore iter parat dynasta, sexaginta[1] adsciscit comites, in quibus Björn aulæmagister ejusque socii. Cum his orientem versus in Svioniam contendit, cum vero in interiora terræ penetraret, præmisit Uppsalos ad Ingigerdam regis filiam, ut obviam sibi veniret in Agrum Ulli[2] ubi magna prædia habuit. Regis filia, cognito dynastæ mandato, hujus itineris minime negligens, multis comitata in viam se dedit. Erat in ejus comitatu Hjaltius Skeggii filius, qui ante quam domo abiret, regem adiit et eum his verbis salutavit: sede omnium regum fortunatissimus: vere possum prædicare, quocunque venerim, nusquam mihi visum splendorem,qui omni nomine æquiparet tuum, quam laudem, quocumque venero, divulgabo: te precor, rex, ut mihi amicus esse velis. Cui rex: cur tantam festinationem præfers, Hjalti? Ille: Ego primo cum Ingigerda, filia tua, in Ulli Agrum equitaturus sum. Rex: ave valeque, Hjalti! vir prudens et bene moratus es, et bene calles cum viris illustrioribus versari. Inde Hjaltius in viam se dedit, et cum Ingigerda regis filia in Ulli Agrum equitavit. Ea ad villam suam se contulit, ibique Rögnvaldo dynastæ splendidum convivium apparari fecit. Deinde dynasta eo venit et liberaliter exceptus est. Hic aliquot noctes commorabatur. Is ac regis filia multa inter se colloquebantur maximeque de rege Norvegiæ et rege Sveciæ; ea significat, se de pace inter hos reges componenda desperare. Heic dynasta: quomodo animo tuo arridebit, cognata, si Olavus Norvegiæ

[1]) quadraginta, C. [2]) pro *Ullarakr* habet C *Aullarakr.*

rex nuptias tuas petet; hoc plurimum ad pacem restituendam facere, tutissimamque viam esse arbitror, si regibus affinitate jungi contingat: hic enim vir, Olavus, plerisque hominibus dissimilis esse videtur; nullo autem pacto hanc rem agere volo[1]. Ea respondet: pater meus meæ conditioni prospiciet, tu vero ex consangvineis meis secundus es, cui maxime rem tanti momenti commendare velim; tibi vero quomodo ista probantur? Ego magnopere probo, ait dynasta; atque multas eximias regis Olavi virtutes enumeravit, et de rebus, quæ nuper acciderant, quas modo ex Norvegia resciverat, ei retulit, nempe regem Olavum, uno mane quinque reges, qui ei insidiati fuissent, vivos cepisse, hos omnes ex provinciis suis ejecisse, possessiones eorum in suam potestatem redegisse, atque sic ditionem et potestatem suam amplificavisse. Multa de hac re disserebant et de omnibus rebus bene consentiebant. Dynasta ut paratus erat, abiit; quem Hjaltius comitatus est.

Cap. 77. Diei cujusdam vespera Rögnvaldus ad villam prætoris Thorgnyris pervenit; hoc prædium erat ingens et magnificum; ubi advenerunt, multi homines foris aderant, qui dynastam benigne exceperunt, et equos ceterumque viæ apparatum curarunt. Intrant cœnaculum; hic vir ætate provectus in sede primaria sedebat, cui magnitudine parem Björn et comites neminem viderant: barba erat magna, et lata et promissa, ut in gremio cubaret et per totum pectus se extenderet; species pulcra et dignitatis plena. Hunc dynasta adiens salutavit. Thorgnyr eum benigne exceptum jussit loco suo considere, quo sedere consvevisset. Tum dynasta ab altero domus latere e regione Thorgnyris in sede primaria conse-

[1]) Secundum Hkr. addendum: si contra voluntatem tuam est.

dit. Hic aliquot noctes commoratus est, antequam negotium palam faceret; et die quodam Thorgnyrem rogavit, ut in ædem consultatoriam secederent. Huc Björn et comites cum dynasta se contulerunt. Tum dynasta exorsus retulit, regem Olavum legatos eo misisse, his mandatis, quod pacem cum Olavo rege Svionum facere vellet; dynasta multis verbis persecutus est, quantum incommodi Gothis occidentalibus lites et discordia regum afferrent; idem retulit, se pollicitum esse, legatos Olavi, Norvegiæ regis, ad regem Svionum deducere, ut eatenus tuto possent negotia sua exponere; retulit etiam, regem Svionum hanc rem adeo graviter accepisse, ut nemini tuto permiserit hanc rem agere. Nunc ita est, educator, uti sæpius, ut meæ solæ vires ad hanc rem perficiendam minime sufficiant, quare ideo ad te veni, quod abs te utilia consilia, auxilium et operam exspecto. Ut vero dynasta finem dicendi fecerat, Thorgnyr diu tacuit; ut vero fari incepit, ita locutus est: miro modo variat ratio vestra, nomen dignitatis gerere cupitis, consilio vero et prudentia deficitis, si qua obvenerit difficultas. Cur animum non advertisti, antequam hanc profectionem in te suscepisti, tuæ non esse potentiæ, Olavo regi Svionum ne verbo quidem contra dicere? mihi quidem non minor videtur ad gloriam commendatio, in numero rusticorum esse, et libertatem habere loquendi quæ velis. Dynasta ei pro monitis gratias egit, et cum aliquantum temporis ibi commoratus esset, unacum Thorgnyre ad comitia Uppsalensia equitavit. Huc magna confluxerat hominum multitudo; eo rex Olavus cum aulicis suis aderat.

Cap. 78. Primo die, cum comitia constituebantur, rex Olavus in sella sedebat, aulicis suis circumstipatus; sed e regione ejus in loco comi-

tiali una sella Rögnvaldus dynasta et Thorgnyr prætor sedebant; pone vero hanc sellam multitudo colonorum stabat et totum circumcirca spatium occupabat; nonnulli colles et tumulos ascendebant, ut, quæ agerentur, audirent. Cum vero regia negotia, quæ in comitiis agi solent, perorata et ad finem perducta essent, Björn aulæmagister juxta sellam dynastæ surrexit et alta claraque voce locutus est: Rex Olavus me huc misit eo cum mandato, ut pacem et regnorum terminos, quales ab antiquis inde temporibus inter Norvegiam et Sveciam constituti sunt, ejus nomine offerrem. Björn tam alta voce locutus est, ut rex Svionum verba ejus probe exaudiret. Primo autem rex Svionum, cum audiret regem Olavum nominari, suum negotium a quopiam tractari ratus, audientiam fieri jussit; cum vero audiret, agi de pace et de Norvegiæ Sveciæque finibus, unde hæc proficiscerentur intelligens, exsiliit et alta voce exclamavit, et hunc hominem quam celerrime tacere jussit, rem omnino frustra fore significans. Björn itaque resedit. Facto iterum silentio, dynasta surrexit et verba fecit: primo de legatione Olavi Crassi commemoravit et pacis conditionibus, quas regi Svionum obtulisset, Gothosque occidentales missis nuntiis regem Olavum enixe orare, ut pax cum rege Norvegiæ et Nordmannis fieret: deinde demonstravit, quantum damnum facerent Gothi occidentales, dum omnibus rebus ex Norvegia exportatis, quæ ad vitam sustentandam maxime essent necessaria, carerent, contra ea incursionibus et depopulationibus Vikensium expositi essent, si rex Norvegiæ exercitum collegisset et contra eos movisset; denique docuit: legatos ab rege Norvegiæ eo missos cum mandatis, dignis quæ populo palam fierent, quod nempe Ingigerdam filiam ejus uxorem petere vellet. Ut

vero dynasta finem dicendi fecerat, surrexit Olavus Svionum rex, vultu perquam irato; de pace graviter respondit, dynastam magnopere ac vehementer reprehendit, quod pacem et amicitiam cum homine crasso facere sustinuisset, quam ob rem eum proditionis esse manifestum et dignum, qui regno expelleretur; hæc omnia proficisci[1] cohortationibus uxoris ejus Ingibiargæ, summæque imprudentiæ fuisse, quod feminam tantis natalibus tantique spiritus deperiisset et uxorem duxisset. Multa verba fecit, et tandem orationem ad vituperandum crassum hominem convertit. Ubi vero consederat, primo aliquantum temporis silentium erat, deinde Thorgnyr prætor surrexit; quo surgente, tota multitudo colonorum, quæ antea sederat, consurrexit, quique aliis locis sederant, omnes eo confluxerunt, audire cupientes, quæ Thorgnyr loqueretur; tum primum ingens exstitit turba et armorum fremitus, facto autem silentio, Thorgnyr hunc in modum verba fecit:

Cap. 79. Aliud nunc est ingenium hominum[2], atque olim fuit. Thorgnyr, avus meus paternus, probe recordatus est memoriam Eiriki Eymundi filii, Uppsalorum regis, atque hoc de ejus vitæ instituto retulit, solitum fuisse, dum in viridissimo esset flore ætatis, quavis æstate piraticam exercere, classem in expeditionem educere, variasque terras adire; eundem terram Finnorum, Kirialorum, Estonum et Kurorum[3], multasque Orientis partes subegisse. Et ad hoc usque tempus visuntur terrena munimenta, aliaque amplissima, quæ facienda curavit, monumenta: neque tamen adeo erat fastu inflatus aut ferox, ut aures non præberet hominibus, si de rebus necessariis cum eo colloqui vellent. Thorgnyr, pater meus,

[1]) ad eum redundare; ceteri. [2]) regum Svecorum, *D,F,H,L.* [3]) *Kyrjálaland] Kyrjáli, C.*

diu cum rege Björne versatus est, quare hujus mores ei cogniti erant: quo imperante respublica magno robore stetit, nullo vitio aut defectu laborans; suis tamen bonum sese et facilem præbuit. Ego reminiscor regem Eirikum victoriosum, cum quo in multis expeditionibus fui; hic imperium Svecicum amplificavit, defenditque fortiter, si ab aliis infestaretur: neque tamen eo minus sermonibus nostris facilem aditum præbuit. Iste vero rex, qui nunc huic terræ imperat, nemini potestatem facit secum colloquendi, nisi solummodo de his, quæ ipsi placeant, atque hoc summa contentione urget. Provinciis vero se spoliari propter inertiam et ignaviam patitur; Norvegiæ regnum sub sua potestate tenere cupit, quod nemo ex regibus Svionum appetivit, qua re multis hominibus noxam et negotium facessit. Jam nostra colonorum voluntas est, ut tu, rex Olave, pacem cum rege Olavo Crasso facias, et hoc insuper, ut Ingigerdam filiam tuam ei nuptum des. Qvodsi provincias Orientis, quos cognati majoresque tui possederunt, recuperare cupis, te omnes sequi nostroque auxilio adjuvare volumus. Si vero postulata nostra facere nolueris, te statim his in comitiis adorti interficiemus: neque has, quas agitas et moliris, turbas et iniquitates æquo animo patiemur. Sic priores cognati et majores nostri fecerunt, qui, ut profecto audivisti, quinque reges, non minus, quam tu, fastu inflatos, in comitiis Mulensibus in unam paludem præcipitarunt. Dic age, utra conditione uti velis. Hæc cum dixisset, multitudo rusticorum magnum strepitum et armorum fremitum excitavit. Tum rex Olavus surrexit et verba fecit, dicens, se omnia facturum, quæ coloni postulassent, ita enim priores reges fecisse, qui rerum, quas voluissent, arbitrium cum colonis communicassent. Sic fremitus ru-

sticorum sedabatur. Post hæc colloquium ineunt principes, rex, dynasta ac Thorgnyr, pacemque componunt nomine Svionum regis, qualem rex Norvegiæ missis nuntiis petierat. Iisdem comitiis constitutum est, ut rex Olavus Haraldi filius Ingigerdam, regis Svionum filiam, conjugem duceret; tum Rögnvaldus dynasta stipulationem regis Svionum accepit atque hoc modo res confecta est. His actis concionem dimiserunt. Dynasta domum rediens filiam regis convenit, cum qua hac de re diu collocutus est. Illa regi Olavo syrma sericum, multo auro picturatum[1], et fascias bombycinas dono misit. Re ita gesta dynasta domum rediit, Björne ac suis comitatus; qui cum apud dynastam paullum temporis moratus esset, in Norvegiam cum suis reversus est. Ut vero regem Olavum convenit, legationem renuntiavit. Rex Olavus ei pro administrata legatione benigne gratias egit, dicens, quod verum erat, Björnem in tantis motibus magna in perficienda legatione fortuna usum esse. Incipiente vere, rex Olavus ad mare profectus, naves adornari jussit, convocatisque copiis hoc vere per Vikam ad Lidandisnesum navigavit, indeque septemtrionem versus in Hördalandum usque contendit, ubi missis nuntiis præfectos et potentissimos quosque provinciarum colonos evocavit; hanc enim profectionem omnibus rebus quam magnificentissime adornavit, cum obviam sponsæ suæ proficisci statuisset. Constitutum erat, ut nuptiæ proximo autumno, in regno orientali ad Albim juxta regnorum confinia, celebrarentur.

Cap. 80. Rex Olavus Ræreknm cæcum secum duxit. Huic, ut ex vulneribus convaluerat, duo famulos, qui eum comitarentur et officia præstarent, dedit, locum juxta se in celsa sede de-

[1]) intextum, C.

signavit, vestitum et potum suppeditavit non viliorem, quam quo ipse uti consveverat. Rex Rærekus erat verborum parcus, si quis vero eum compellaret, in respondendo asper. Hac quotidiana utebatur consvetudine, ut se interdiu seorsim ab aliis duci faceret; cum vero esset secreto, puerum verberavit, ut aufugeret, et coram rege questus est, hunc famulum operam sibi dare nolle, quare rex alios ei famulos dedit, res vero ut antea cecidit, ut nemo in famulatu ejus maneret. Tandem rex ei comitem et custodem addidit virum, nomine Sveinem, qui Ræreko cognatus erat, ejusque aulicus fuerat. Rærekus more quidem superioris asperitatis et secessus utebatur, cum vero soli duo secreti essent, hilarem et multiloquum se præbuit, tumque de multis rebus injecit mentionem, quæ olim acciderant quæque ejus memoria gestæ fuerant; sermone quoque tangebat eum, qui se regno et bonis spoliatum ad misserrimum vitæ statum redegisset: Unum tamen ægerrime fero, inquit, te aliosque cognatos meos adeo esse ignavos et degeneres, ut nullam contumeliam genti nostræ illatam vindicare audeatis. Ejusmodi querelas coram Sveine cognato suo semper in ore habebat. Svein, ipsis vires exiguas', cum præpotenti viro certamen esse demonstrat. Cui Rærekus: Cur nos ignominia et mutilationibus affecti diu vivemus, nisi eveniat, ut cæci superemus eum, qui nos dormientes superavit: ita simus salvi, si Olavum Crassum interficiemus; nunc nihil sibi metuit, fieri potest, ut inglorius occumbat. Ipse consilia struam, neque manibus, si adhiberi possint, parsurus sum; hoc vero cum propter cæcitatem facere non possim, tu eum ferro petas. Nam divinatione mea præsagio, regnum interfecto Olavo ad adversarios ejus perventurum; quo facto, si,

ut fieri potest, rex creatus fuero, te dynastam meum constituam. Tandem cohortando efficere potuit, ut Svein hoc facinus in se susciperet. Ea autem instituta est consilii ratio, ut cum rex ad cantum vespertinum iret, Svein in vestibulo, strictum gladium sub pallio gestans, regem exeuntem observaret. Cum vero rex, cœnaculo egressus, opinione citius adpropinquaret, Svein vultu regis exeuntis conspecto palluit, et funeris instar luridus evasit, unde manus ei (quod fortunato accidit) ceciderunt. Rex confestim animadvertens, eum facinus aliquod mente agitare, quæsivit: quid nunc est, Svein? mene dolo opprimere paras? Svein, pallio gladioque abjecto, se ad pedes regis prostravit, dicens: omnes res meas dei tuæque fidei committo, domine! Rex suos eum comprehendere et in vincula conjicere jussit. Post hæc rex Olavus sedem Rærekí in aliud scamnum transferri jussit, Sveini vero pacem dedit, qui exilio patriam mutavit; (Rærеko) autem aliud cubiculum, quam in quo (ipse) dormiebat, designavit, et duos ex aulicis suis, spectatæ fidei viros, qui diu regi apparuerant, constituit, ut Rærеko noctes diesque comites hærerent. Jam Rærekus alternis fecit, ut nunc solidum præferret gaudium, adeoque esset lætus et hilaris, ut (præ lætitia) digitis luderet et materiam oblectationis ex quaque re sumeret, nunc per multos continuos dies taceret, ita ut cum nemine colloqueretur, interdum multa, nec nisi mala verba jactaret; erat, ubi quemlibet hominem poculis deponeret, et proximos consessores ita inebriaret, ut sui compotes non essent; sæpissime vero parum bibit. Rex Olavus ei ad quotidianos sumtus abunde pecuniarum dedit. Sæpe Rærekus, cubiculum adiens, priusquam somno se daret, aliquot mulsi capulas inferri jussit, omnibusque contubernalibus

potum præbuit, unde apud eos gratia multum valuit.

Cap. 81. Vir quidam nominatus est Finnus Parvus, genere Upplandus, (alii Finnica familia ortum dicunt), minimæ corporis staturæ, tanta vero pedum pernicitate, ut nullus equus eum cursu assequi posset, artis peritissimus xylosoleis labendi et arcu jaculandi. Hic diu regi Ræreko apparuerat, sæpeque mandata, ad quæ exsequenda summa fide opus erat, pertulerat; omnes vias per Upplandum ferentes cognovit, ipse omnibus viris illustrioribus colloquio notus. Ræreko autem capto, pueris et famulis se adjunxit, et quacunque data occasione se in colloquium et famulitium Ræreki insinuavit, et sæpe cum eo sermones habuit. Noluit Rærekus uno tempore diu colloquium cum eo habere, hoc modo consilia sua magis celari putans. Ubi vero processit ver et per Vikam contendebant, Finnus per aliquot dies ab agmine aberat, brevique post rediens aliquantum temporis in comitatu morabatur. Sic sæpius accidit, ut Finnus discederet iterumque reveniret, sine omni suspicione, propter multitudinem circulatorum apud exercitum morantium. Ante festum paschatos haud ita multo rex Olavus Tunsbergum venit, magnamque veris partem ibi transegit. Interea frequentes ad oppidum venerunt Dani et Saxones, et orientalis Vikæ borealisque Norvegiæ incolæ, qui magnam multitudinem effecerunt; cumque eo tempore læta esset annona, compotationibus liberius indulgebant homines. Accidit vespera aliqva sero, cum Rærekus cubiculum, in quo dormire solebat, adiisset, valdeque hilaris esset (nam multum potatum fuerat), ut Finnus Parvus eo veniret, duas ferens capulas mulsi medicati, potus validissimi, plenas. Rex Rærekus omnibus qui intus erant, mulsum dari jussit,

donec singuli in sedibus suis somno oppressi essent. Interea Finnus discesserat. Lumen quaque nocte in cubiculo accensum erat. Rærekus custodes, qui eum comitari solebant[1], excitavit, se in aream secedere velle significans. Accensam laternam secum portabant, densæ enim erant tenebræ. Erat in area latrina. Ibi audiunt dicentem aliquem: feri dæmonem! Mox ingentem fragorem et sonitum, quasi cecidisset aliquid, audiunt. Latrina columnis nitebatur, ad cujus fores gradibus erat ascendendum. Verba modo memorata in latrina sedentes audiebant. Tum Rærekus: minime quidem potatio opinioni nostræ respondet, sed verum est, hos satis bibisse, qui istic contendant; exite et pugnantes dirimite! Aulici se quam celerrime ad exeundum parant, cum vero exissent, supervenerunt amici Rære̋ki regis, Sigurdus Hita (Pera), qui aulicus ejus fuerat, quatuordecim hominibus comitatus; aderat quoque in hoc globo Finnus Parvus. Cum vero aulici exissent, prius cædebatur, qui posterior ivit, et tamen ambo sunt interfecti. Corporibus cæsorum in interstitium domuum tractis, illi Rærekum secum duxerunt, in navem, quæ eis erat, excurrerunt, et a terra quam celerrime remigarunt. Sigvatus poëta, qui in cubiculo regis Olavi dormiebat, hac nocte surrexit, et famulo, qui ei a calceis erat, comitatus ad magnam areæ domum exiit. Cum vero redirent et per gradus descenderent, Sigvatus vestigio in lubrico fallente, prolapsus in genu, cum terram manibus tangeret, udam esse sensit. Tum Sigvatus ridens: credo regem heri vespere multis ex nobis pedem cyprini (vacillantem) conciliasse. Cum in cubiculum, ubi lumen accensum erat, rediissent, puer interrogavit: cur totus cruore

[1]) Hic iterum incipit *E.*

mades? an es vulneratus? Ille contra: non quidem vulneratus sum, hanc tamen rem majora portendere arbitror. His dictis Thordum Folii filium, lecti sodalem, regis Olavi signiferum, excitavit. Deinde exierunt, accensam laternam portantes; sangvinem et cadavera mox invenerunt, et homines, qui necati fuerant, agnoverunt. Viderunt ibi jacentem ingentem truncum ligneum, impressumque gravis ictus vestigium. Postea vero compertum est, ictum ad rem simulandam trunco inflictum fuisse, ut, qui intus erant, elicerentur; quæ omnis ratio Rærekо auctore instituta fuerat. Jam Sigvatus et Thordus inter se colloquuntur, necesse esse, regem quam primum de his rebus certiorem facere. Mittunt puerum ad cubiculum, in quo Rærekus dormire debuisset, ut quid rei esset, exploraret: hic ceteri omnes dormiebant, rex vero Rærekus aberat. Puer omnes, qui intus erant, excitat, eisque quid accidisset, refert. Surgunt lectis, et in aream, ubi cadavera erant, exeunt. Etsi vero postulabat necessitas, excitare regem eumque de his facere certiorem, tamen hoc facere nemo ausus est. Tum Sigvatus: multum adhuc noctis restat, quare fieri potest, ut Rærekus antequam illuxerit, eam sibi comparaverit latebram, ubi postea haud facile inveniri possit; nunc vero eos haud longe abesse credo, cum nondum friguerint cadavera. Nunquam id flagitium in nos admittamus, ut regem de his certiorem non faciamus. Tum Sigvatus Thordo: utrum præoptas, sodalis, expergefacere regem, an ei rem nuntiare? cui Thordus: nequaquam regem audeo somno excitare, rem vero ei nuntiare, si vis, possum, modo eum expergefacias. Sigvatus: jam in cubiculum redi, et ibi me opperire. Thordus, ut præceperat, fecit. Tum Sigvatus templum adiit, campanarium excitat, rogat, ut

campanas pulsando regiorum animabus justa perficiat, cæsos aulicos nominans. Campanarius postulata facit. Rex ad campanarum sonitum expergefactus, surrexit, et num tempus adesset cantus antelucani quæsivit. Tum excipit Thordus: pejores acciderunt res, domine: aufugit Rærekus, duo aulici tui, qui eum custodire debebant, interfecti. Ibi rex diligenter de his rebus, quæ acciderant, inquisivit. Thordus, quæ compererat, retulit. Surrexit rex, et, aulicis tuba ad concionem convocatis, cum cohors convenerat, viros constituit, qui in omnes partes dimissi Rærekum quærerent. Thorer[1] Longus cursoriam sumsit, et cum cohorte sua ab oppido excurrit ad quærendum Rærekum, triginta hominibus stipatus. Ubi vero illucescere cœpit, viderunt duas parvas cursorias præcurrentes, et cum alteri alteros conspexissent, utrique summa qua poterant alacritate remigarunt. Hic erat rex Rærekus, triginta habens viros. Ut autem persequentes appropinquarunt, Rærekiani cursum ad litus direxerunt, et omnes in terram excurrerunt, præter Rærekum, qui in celsa puppi considens, suos allocutus, salvos abire salvosque redire jussit. Mox Thorer litori adremigavit. Tum Finnus Parvus sagittam emisit, quæ medium Thorerem ita feriit, ut confestim mortem oppeteret; Sigurdus vero Pera atque sui e vestigio sese abripuerunt et sylvæ latibulis se commiserunt; Thoreris vero comites funus ejus, nec non regem Rærekum Tunsbergum revexerunt. Rex Olavus Rærekum regem denuo custodiendum suscepit, eumque diligenter servari jussit, sedulo sibi ab ejus insidiis cavens, et quod videbat eum noctu interdiuque dolos machinari, viros designavit, qui eum noctu

[1]) Thordus, *C,E,F,L.*

dieque asservarent. Rærekus nunc adeo lætus erat, ut digitis luderet (lætitia gestiret), nec aliud animadvertit quisquam, quam ei omnia optime placere. Accidit festo ascensionis, cum rex Olavus ad missam meridianam celebrandam iret, ut episcopus magna pompa ædem sacram circumiens regem deduceret, et rediens in templum ad sedem suam a boreali chori parte reduceret. Qui cum consedisset, rex Rærekus, axillam regis Olavi contrectans et nonnihil premens: sericis, inquit, nunc uteris, domine. Cui Olavus: hodie insigne festum celebratur, ut tibi haud dubie notum est, in memoriam Jesu Christi e terra in cœlum ascensionis. Imo, ait Rærekus, recte quidem, verum non intelligo, ut probe teneam animo, quæ de Christo vestro refertis; multa quæ de eo narratis, fidem excedere videntur, quamquam plurima (rerum incredibilium) exempla vetustas prodidit. Ut vero missa cani cœpta est, rex Olavus surrexit et manus supra caput tenuit, et ad altare se inclinavit, quare toga ex humeris procumbentis rejecta est. Tum Rærekus raptim ac subito exsiliens, regem Olavum cultro majori (sica), quem Ritningum vocant, pupugit; puncta, togæ procumbentis juxta humeros impressa, vestes dissecuit, regem vero non vulneravit. Ut vero rex se ferro peti sensit, in pavimentum prosiliit. Rærekus eum iterum cultro petivit ac frustratus est, tumque locutus est: mene fugis cæcum, Olave Crasse[1]. Rex Olavus suos jussit eum comprehendere et e templo educere. Factum. Post hæc eventa regem hortati sunt, ut Rærekum interfici juberet: hæc enim, inquiunt, summa fortunæ tentatio est, hominem assiduum habere comitem, qui tanta facinora inceptet, hoc enim noctu interdiuque agit, ut mortem tibi inferat. Etsi vero eum aliquo able-

[1]) Hic iterum lacuna incipit in *E*.

ges, nullum hominem idoneum novimus qui eum sic custodiat, ut non elabatur; si vero elabitur et liber evadit, factionem comparabit, multaque mala perpetrabit. Rex respondit: recte quidem dicitis, multis vita stetisse minora facinora, quam quæ Rærekus patravit: invitus autem facio, ut abutar victoria, quam ex Upplandorum regibus reportavi, quando uno mane quinque reges vivos cepi, quorum regno ita sum potitus, ut neminem eorum interficere necessum habuerim, cum omnes mihi cognati essent; neque tamen prævidere possum, utrum me Rærekus cogere queat, ut se interfici jubeam, an non. Ideo vero Rærekus axillam regis contrectaverat, quod scire voluit, an lorica indutus esset, noluit enim facinus aggredi, nisi rem certo sciret successuram.

Cap. 82. Vir erat nomine Thorarin Nevjolvi filius, Islandus, ex insulæ parte boreali oriundus: hic non amplo erat genere, sed prudentia et libertate coram viris illustrioribus verba faciendi excellens, insignis navigator, sæpeque alteram hiemem in Islandia, alteram in Norvegia transigebat. Idem ceteros homines deformitate corporis superabat, quæ maxime conspicua erat informi membrorum structura, cum manus haberet enormes ac turpes, pedes vero multo fœdiores. Thorarin Tunsbergi versabatur, cum hæ res gestæ sunt, de quibus modo commemoravimus, et regi Olavo erat colloquio notus; hoc tempore navem mercatoriam, quæ ei erat, paravit, sequenti æstate in Islandiam trajecturus: dies aliquot convivio interfuerat, a rege invitatus, qui cum eo de multis rebus sermonem habuit. Thorarin in cubiculo regis dormiebat. Accidit die quodam mane, ut rex vigilaret, ceteris, qui in cubiculo erant, dormientibus: sol nuper ortus totam domum intus collustrabat; rex animadver-

tit Thorarinis dormientis alterum pedem extra stragulas extensum, quem cum aliquantisper intuitus esset, ceteri homines in cubiculo evigilabant. Rex infit: Thorarin, inquit, aliquantum temporis vigilavi et perpendi animo spectaculum, quod oculis meis objectum magnam mihi facit admirationem, nempe pedem hominis, cui similem nullum vidi; et puto hoc in emporio turpiorem pedem non inveniri. Et jam rogat ceteros homines animum advertere, an ipsis sic videatur, omnes vero, qui inspexerunt, rem ita esse, ut rex dixisset, affirmabant. Thorarin intelligens, quorsum verba regis spectarent, respondet: ex singulis rebus paucæ sunt tales, ut desperari possit, harum similes inveniri; quod hoc loco usu venire, credibile est. Rex: illud potius affirmaverim, si vel pignore contendendum esset, pedem pari deformitate non inveniri. Hic Thorarin: paratus sum, tecum, domine! sponsionem facere, ni inveniam hoc in oppido pedem turpiorem. Rex: ita esto, atque is nostrum, qui verius dicit, optionem habeto ab altero impetrandi quod velit. Sic esto, ait Thorarin, et alterum pedem detegit, qui quidem nulla parte pulcrior erat, maximo vero digito mancus. Tum Thorarin ecce, domine, alium pedem, hoc quidem turpiorem, quod uno digito careat, ergo pignore vici. Rex respondet: at vero alter ille hoc multo est deformior, quod quinque habeat fœdos digitos, hic vero tantum quatuor, quare abs te impetrandi optionem habeo. At convenit inter omnes, reponit Thorarin, eam rem esse deformiorem, quæ formam non retineat, qua primitus a Christo creata est; hic vero verum esse probatur vetus proverbium, dictum domini multum valere; tu vero quam petitionem a me optare aut accipere vis? Rex: hanc, ut regem Rærekum in Grænlandiam

deportes, et Leivo Brattahlidensi tradas. Thorarin: Ego vero nunquam in Grænlandiam navigavi. Rex contra: adeo tempus est, ut in Grænlandiam naviges, si non antea eo venisti, cum navigationibus tantam operam dederis. Faciam (ait Thorarin), ut audias, domine, quid abs te fuissem petiturus, si pignore vicissem. Imo, ait rex, facias velim. Petere volo, ut inter aulicos tuos recipiar, quod si abs te impetravero, multo magis teneor, hanc profectionem, aliudve, quod a me postulare volueris, non negligere. Quod cum rex affirmasset, Thorarin inter aulicos regis Olavi receptus est, et Rærekum ad se recipere annuit, quo facto navem paravit, et cum omnino esset paratus, regem Rærekum ad se recepit; ante vero quam a rege digrederetur, Thorarin ait: si fors ita tulerit, domine rex, quemadmodum sæpe usu venit, ut Grænlandiam adire mihi non contingat, et ad Islandiam aut alias terras deferar, quomodo regem Rærekum ita dimittam, ut tibi placeat. Rex respondet: si in Islandiam venis, eum tradito Gudmundo Eyolvi filio, aut Skaptio prætori, aut aliis principibus, qui ob meam amicitiam eum recipere velint, et in eam rem meas tesseras afferto, quocunque terrarum appuleris. Si vero ad alias terras propiores delatus fueris, rem ita institue, ut certo scias, Rærekum nunquam in Norvegiam[1] rediturum, hoc vero ita tantum facias, si nulla alia aderit ratio. Secundos ventos nactus, procul a terra extra omnes insulas vectus, boream versus ad Lidandisnesum contendit, deindeque in oceanum cursum direxit, ventis usus minus commodis, maximeque cavens, ne quo ad Norvegiam appelleret. Islandiam a meridie ita adpropinquavit, ut terram

[1]) vivum add. C,D.

in vicinia esse animadverteret, eandemque ab occidente prætervectus, cum oceano Grænlandico se commisisset, pelago sæviente et magna jactatione usus est, procedente vero autumno in Breidafjördum Islandiæ appulit. Thorgils Arii filius ex viris illustrioribus primus fuit, qui eos viseret; huic Thorarin regis Olavi mandata et oblatam amicitiam aperuit, tesseris prolatis, quæ recipiendum Rærekum testificarentur. Quibus Thorgils benigne acceptis, regem Rærekum statim ad se recepit, et ita apud Thorgilsem Arii filium sequentem hiemem Reykjaholis transegit. Qua hieme elapsa cum eum diutius ibi manere tæderet, petiit a Thorgilse, ut se Mödruvallos ad Gudmundum deducendum curaret. Thorgils ita fecit. Gudmundus regio mandato permotus eum recepit, apud quem alteram hiemem degit. Cum vero hic diutius manere nollet, Gudmundus ei mansionem prospexit in parvo prædio, dicto Kalvskinno, exiguam habente familiam. Hic Rærekus tres hiemes degit, atque sic testatus est, ex quo regiam dignitatem deposuisset, mansionem Kalvskinni optime sibi placuisse, quod hic ab omnibus maxime æstimatus fuisset. Deinde rex Rærekus morbum nactus est, quo mortem obiit; memoriæ proditum est, hunc solum regem in Islandia jacere sepultum. Thorarin Nevjolvi filius post hæc diu in profectionibus mercatoriis tempus consumsit, interdum vero apud regem Olavum versabatur. Eadem æstate, qua Thorarin Nevjolvi filius Rærekum in Islandiam devexit, Hjaltius Skeggii filius eodem trajecit, quem rex Olavus digredientem amicis donatum muneribus dimisit. Eadem æstate Eyvindus Uricornis piraticæ exercendæ causa in Occidentem navigavit, et autumno in Hiberniam delatus, ministerio Konofögri, Hibernorum regis, se addixit. Hoc

autumno rex Hibernorum et Einar dynasta Orcadensis in Ulvreksfjördo[1] congressi magnum prælium commiserunt, in quo Konofögrus, Hibernorum rex, numero copiarum longe superior, victoria potitus est. Einar dynasta una vectus nave e prælio aufugit, et autumno domum in Orcadas revenit, amissa plurima suorum parte omnique præda, qua præcedente æstate potitus fuerat, infaustum expeditionis eventum ægre ferens, adversamque fortunam maxime imputans Nordmannis, qui cum Konofögro Hibernorum rege adversus se pugnavissent, in quibus erat Eyvindus Uricornis et ejus commilitones.

Cap. 83. Sed illuc narratio revertatur: rex Olavus Haraldi filius ad nuptias celebrandas profectus est, domum ducturus Ingigerdam, filiam Olavi Svionum regis, sibi desponsam. Habuit magnas copias adeoque lectas, ut omnes viri illustriores, quorum quidem copia esset, eum comitarentur; delegerat milites et generis et corporis præstantia excellentes; quæ manus exquisitissimo apparatu, navibus, armis, vestitu, instructa erat. Jam orientem versus Konungahellam contenderunt; quo cum venissent, rex Olavus de rege Svionum nihil audivit, neque ejus nomine ulli advenerant legati. Rex Olavus ibi multum æstatis commoratus, quærendo et explorando diligenter inquisivit, quæ de profectione aut consilio Svionum regis nuntiari possent[2], nemo vero ei hac de re quicquam referre habuit: Itaque misit in Gothiam ad Rögnvaldum dynastam, qui quærerent, quid causæ esset, cur rex Svionum in congressum Olavi regis ex pacto non venisset. Dynasta se nescire significavit: si vero rescivero, statim ad regem Olavum mittam eumque certio-

[1]) Ulvkelsfjördo, *B,D,K,S.* [2]) Hic iterum incipit *G.*

rem faciam, quid causæ subsit, si hæc mora aliunde venit, quam ab negotiorum multitudine, quæ profectionem Svionum regis sæpe diutius, quam constituerit, retardare solet.

Cap. 84. Olavus Svionum rex primo pellicem habuit nomine Edlam, Vindlandiæ dynastæ filiam: horum liberi erant Emundus, Astrida et Holmfrida. Edla in Vindlandia capta fuerat, et regis ancilla appellata est. Præterea filium procrearuut, festo Jacobi[1] natum; qui cum aqua lustraretur, mater ei nomen dedit Jacobi, quod nomen Svionibus minus bene placuit, dictitantibus, nullum ex Svionum regibus unquam fuisse Jacobum appellatum. Omnes liberi Svionum regis eximiæ erant spei et oris venustate bonaque intelligentia præditi. Regina erat superbi ingenii, animi vero in liberos privignos minus æqui. Rex filium Emundum in Vindlandiam misit, ubi apud cognatos maternos educatus est, et longo tempore christianam religionem bene[2] coluit; Astrida vero regis filia in Gothia occidentali educata est apud virum illustrem, nomine Egilem; hæc oris venustate et facundia ceteris feminis præstabat, erat in sermone hilaris et modesta, pecuniis liberalis, quibus rebus omnium gratiam sibi conciliavit; cum vero matura erat ætate, apud regem Olavum, patrem suum, versata est, omnibusque bene probata est. Rex Olavus erat elati ingenii, et asper, tam in sermone quam ingenio. Iniquissime ferebat, quod populus regni in comitiis Uppsalensibus adversum se tumultuatus esset, et ad iniquas conditiones coëgisset, quam rem in primis Rögnvaldo dynastæ imputavit. Hinc nullum ex pacto fecit apparatum, ad sponsam deducendam, ut filiam Ingigerdam Olavo Norvegiæ regi nuptum

[1]) in vigilia festi S. Jacobi, ceteri. [2]) non, *F,C.*

daret, neque ut hac æstate ad regnorum fines proficisceretur ad conveniendum regem Norvegiæ. Cum vero processerat æstas, neque spes amplius erat, fore, ut condictum congressum rex Svionum frequentaret, multos sciendi cupido incessit, quid rex animo statuisset, utrum pacem cum rege Norvegiæ esset servaturus, an violaturus. Hac de re multi solliciti tenebantur, nemo vero regem quærere de ea re ausus est; sed multi rem apud Ingigerdam regis filiam questi rogarunt, ut, quid in animo haberet rex, exploraret. Invita facio, inquit illa, ut mentionem injiciam de rebus, quæ inter patrem et Olavo Crassum intercedunt. Hæc res ei magnam afferebat sollicitudinem, et diutinam animi ægritudinem et tristitiam, magnopere enim scire avebat, quæ esset mens regis, quidve facere aggrederetur; potius tamen suspicata est, eum fidem cum rege Norvegiæ non servaturum, nam rex Svionum, quotiescunque Olavus Crassus rex vocatus esset, iram haud obscure prodebat.

Cap. 85. Accidit die quodam, cum rex Svionum multis comitatus, cum accipitribus et canibus venatum equitasset, ut emissis accipitribus, regius accipiter uno impetu duos, moxque altero tres tetraones conficeret. Eodem momento canes solo decurrentes, singulas aves, ut humi decidebant, exceptas regi attulerunt. Quibus acceptis rex captura valde glorians: plerisqve vestrum multum abest, inquit, ut sic capiatis. Illi ita esse affirmarunt, dicentes, nullum regem pari fortuna in venando uti. Posthæc rex domum cum ceteris omnibus revertitur. Hoc tempore filia regis ex cubiculo suo exierat, magnam præferens lætitiam; quæ regem videns ad domum equitantem, protinus ad eum se convertit et salutavit. Ille eam resalutavit ridens, capturam protulit et aves ei ostendit, dicens: an regem nosti, filia, qui brevi tempore

tantam capturam fecerit? Sane quidem, ait illa, bona hæc est captura matutina, cum quinque tetraones ceperis; majorem vero laudem habet Olavus Norvegiæ rex, qui uno mane quinque cepit reges, atque ita toto eorum regno potitus est. Quod cum audiret rex, desiliit equo, et ad eam conversus: scito, Ingigerda, inquit, quantocunque[1] amore complexa et prosecuta sis crassum illum hominem, te nunquam ejus connubio usuram, neque illum tuo. Ego vero te potius viro alicui, qui mea amicitia dignus sit, nuptum dabo; nunquam enim amicus esse potero huic homini, qui meum regnum sic prædæ loco habuit et in potestatem suam redegit, meque cædibus et rapinis tanto affecit damno et ignominia. Ita finito colloquio, ut summa ira flagrabant utrique, diversi discesserunt. Ingigerda regis filia jam de consilio Svionum regis certior facta, legatos in Gothiam occidentalem ad Rögnvaldum dynastam misit, eique nuntiavit, quo in statu res apud regem Svionum esset, dynastam aliosque Gothos occidentales sibi cavere jubens, pacem enim cum incolis Norvegiæ incertam esse. Quibus rebus cognitis, dynasta nuntios et mandata per totum suum regnum misit, publice cautionem imperans, si forte rex Norvegiæ infesto exercitu irrumperet; regi quoque Olavo Crasso misit, se pacem et amicitiam[2] optimasque, de quibus inter eos convenisset, conditiones servaturum, petens, ne regnum suum infestaret. Qui nuntius cum ad regem Olavum pervenit, tantam concepit iram et animi ægritudinem, ut per aliquot dies nulla daret responsa adeuntibus. Postea vero concionem militum habuit, quærens, quid consilii capiendum esset, an Gothi occidentales, qui proximi essent, et regnum Rögnvaldi dynastæ

[1]) Hic iterum incipit *B*. [2]) Hic lacuna incipit in *D*.

statim bello peteretur. Tum Björn aulæmagister surrexit et verba fecit; primo egit de pacificatione, ad quam perficiendam proxima hieme ipse profectus esset, deinde ostendit, quam benigne ab dynasta exceptus esset, quamque gravate eam rem rex Svionum accepisset[1]: pax vero, quæ facta est, inquit, magis inita est cogente multitudine et auctoritate Thorgnyris et auxilio Rögnvaldi dynastæ, quam voluntate Olavi Svionum regis; quare persvasum mihi est, per regem stare, ut pax violata sit, dynastæ vero minime imputandum esse, hunc enim expertus sum verum tuum, rex, amicum esse. Deinde multi homines verba fecerunt, quorum oratio eodem tandem recidit, omnes enim bellum disvadebant, dicentes: magnas quidem et speciosas copias habemus, viris vero constantes potentia et dignitate conspicuis; sed militiæ aptissimi sunt juvenes, pecuniæ gloriæque parandæ cupidi. Hæc quoque consvetudo est potentioribus, in bellum aut prælia ituris, ut multos comites pugnandi et præsidii causa habeant; neque pugnant segnius quibus exigua res est, quam qui potentes sunt et divites educati. Quibus hortantibus, ea sententia stetit, ut imperatæ copiæ dimitterentur. Tum rex omnibus domum redeundi veniam concessit, declarans, se proxima æstate totius regni copias evocaturum, et adversus regem Svionum ducturum et pacta violata armis vindicaturum. Quæ res omnibus principibus probata est. His actis rex Olavus boream versus per Vikam contendit et autumno Borgæ consedit, quo omnem commeatum ad hiemandum necessarium deportari jussit, ibique per hiemem magna stipatus frequentia se continebat.

Cap. 86. Varia de Rögnvaldo dynasta ju-

[1]) Hic iterum incipit *I*.

dicia fiebant, aliis dicentibus, eum verum esse amicum regis Olavi, aliis hoc minus credibile esse affirmantibus, cum apud regem Svionum facile efficere potuisset, ut promissa et pacem cum rege Norvegiæ factam servaret. Dicunt, Sigvatum poëtam Rögnvaldo dynastæ in sermone fuisse amicissimum, et sæpius cum rege de amicitia dynastæ disseruisse, et pollicitum esse, se orientem versus ad Rögnvaldum dynastam iter facturum, et exploraturum, ecquid certi posset de consiliis regis Svionum expiscari, aut tentaturum pacem aliquam cum eo facere. Hæc res Olavo regi bene placuit, magnæ enim voluptati ei erat, sermones de Ingigerda regis filia cum fidis amicis habere. Inita hieme Sigvatus poëta tertius[1] ipse Borga profectus, orientem versus per Markas indeque in Gothiam contendit. Ante vero quam ab rege Olavo digrederetur, Sigvatus hos versus pronuntiavit:

Nunc sede salvis rebus, rex
Olave! donec hic iterum
congrediemur: nam reveniam
aulam tuam visurus.
Hoc poëta precatur, ut
bellator vitam et hoc regnum
retineat; ejus maneat gloria!
sic hos versus concludo[2].

---

[1]) Vide initium sequentis capitis, ubi comites Sigvati nominantur.

[2]) Constructio: *Sit þú nú heill mála, Olafr konúngr! unds finnumst hèr meirr: en ek kem aptr a) vitja þinnar hallar b). Skáld biðr hins, at hjálmdrifu c) stafr d) haldi e) lífi ok f) þvisa landi; endist leyfð: ek lýk nú visu.*

a) atti (num *attr*, pro *aptr?*), *C; at*, nota infinit.; *E,G,L,S. b)* Sic *C,E,G,K,L,S; hallir I; hollir, A. c) hjálmdrifr, C,E, S; hringdrifr, G,H,I;* qui galeas (annulos) spargit. *d) viðr,* eod. sensu, *B,E,K,S; þú, C;* tum ante scribendum erat *haldir; frömu, G,I;* celebrem (vitam). *e)* Sic *C,E,G,I,L; halda, A* et cet. *f)* Sic *C,E,G,I,S; i, L; or, A.*

Nunc dicta sunt verba,
rex! quorum omnium
nostra maxime refert;
sed plura novimus amplius.
Animose rex! faxit deus,
ut regnum conserves tuum,
ad hoc enim natus es;
certe hoc mibi in votis est[1].

Deinde profecti sunt ad sylvam Eidensem, et non sine magna difficultate amnem trajecerunt, malo navigio, pontone aliquo, vecti. Sic Sigvatus:

Udus instabilem lembum
feci ad Eidum propelli;
de reditu metuebam, quod tanto
periculo nos objecimus in navicula.
Habeat turba tumulorum navem
ridiculam; non vidi pejus navigium.
Objeci me periculo, vectus cymba;
sed res mea opinione cessit melius[2].

Deinde per sylvam Eidensem iter fecerunt. Sic Sigvatus:

Primo nullum dabatur hospitium,
quando duodecim et unum

---

1) Constructio: *Nú eru mælt a) þau orð, konúngr! er oss ofvarða alls mest flestra mála b): en c) kunnum meir fleiri skil. Geðharðr konúngr! guð láti þik gæta þinnar jarðar, því at þú ert til borinn; víst hefig þann vilja.* Nescit hanc stropham *H.*

a) Ita ceteri; *mál, A.* *b)* Ita ceteri; *mæla, A.* *c)* Ita ceteri; *er*, præmisso *þau, A.*

2) Constructio: *Ek lèt vátr dreginn valtan karfa til Eiðs; óðumst aptrhvarf, þvíat vèr stiltum svá til glæps á báti. Taki hauga herr a) hlægi-skip: sákat ek verra far. Ek lèt hætt til á hafs b) hrúti; betr fór, en ek vætta.* Ignorat hanc stropham *H.*

a) i. e. malii genii. *Hörga*, delubrorum, i. e. dii Ethnici, *B.* *b) heims*, ceteri et omnes Hkr. codd., pro quo Olavius restituit *Húms*, sec. Edd. Sed nonne *heimr* mare appellari potest ob vastitatem, ut *geimi?*

milliare ab Eidis percurrebam;
notum est, me incidisse incommodis.
Puto, nos cito eo die
pedibus viam emensos esse;
sed accepere lata vulnera
utraque planta regii satellites[1].

Deinde Gothiam peragrantes, venerunt ad prædium Hofum dictum, ubi clausa janua nullus in ædes aditus dabatur, dicentibus (incolis), festam esse diem, neque ullum in ædes admitti. Quare inde discesserunt. Sic Sigvatus:

Strenue iter faciens Hofum
perveni; clausa erat janua.
capite demisso admovi nasum
foribus, extra quærens hospitem.
Ex incolis domus pauca retuli
responsa; me pagani repulerunt,
dicentes festam esse diem;
jussi gigantes cum illis contendere[2].

Posthæc ad aliam domum venit, ubi stans in foribus materfamilias rogavit, ne intrarent, se enim et maritum geniis sacrificare. Sic Sigvatus:

---

[1]) Constructio: *Var-a furst reiðr, er ek rann tôlf rastir ok eina um skóg frá Eiðum; maðr a) (veit, at ek mæti b) meini. Hykk, (gengum þó hvatt c) á fót þingat d) þann dag; en sár féll flekkum á hvára il konúngs manna.*

a) Sic Hkr.; *menn*, in plur., *cet.* *b) veita för mætum*, prave, *I.* *c)* Ita ceteri; *hvat gegnir þat*, adversante metro, *A.* *d)* Ita ceteri; *þángat*, id., *A.*

[2]) Constructio: *Ek réð nenninn a) at hæfa til Hofs; hurð var aptr: ek setta niðr b) -lútr ïnn nef, en ek spurðumst fur utan. Ek gat fæst c) orð af firðum d) heiðnir rekkar hnektumst e), en þau sögðu f) heilagt, ek bað flögð deila við þau.*

a) nætinn, sine sensu, *I.* *b) mjök*, add. *C.* *c)* Sic *C,S*; *föst, B,G*; *furst, A*; *flest, I.* *d)* Sic ceteri; *at furstum, A.* *e)* Ita *B,E,K,S*; *hnektust, A*; *hnækþumk* (rect. *hnekðumk*), *C,G.* *f)* Sic *E,F,L*; *þögðu*, tacebant, *cet.*

Mulier dixit: ne propius
accedas, juvenis miselle!
nos pagani sumus; ego
iram Odinis metuo.
Inamabilis femina, quæ
me lupi instar inhumane
repulit, se dixit suo in prædio
sacrificare penatibus[1].

Proxima vespera ad tres rusticos venit, quorum quisque Ölver nominatus est, qui omnes ei domo interdixerunt. Tum Sigvatus[2]:

Jam tres cognomines
domo me repulerunt;
viri, qui obvertere mihi
cervicem, honori non student.
Hoc certe vereor, ne quisquis,
qui Ölveris gaudeat nomine,
posthac omnium maxime
advenas excludat domo[3].

Inde eadem vespera abeuntes, quartum rusticum convenerunt, qui ceteros hospitalitate præstabat; hic quoque Sigvatum expulit; tum hos versus pepigit:

---

[1]) Constructio: *Ekkja kvað: gákkattu inn lengra, [hinn armi drengr a)! við erum heiðin, ek hræðumst við reiði Oðins. Oþekk rýgr, sú er ótvin b) hnekkði mér sem úlfi c), kvaðst eiga álfa blót inni á d) bæ sinum.*

a) Rectius: *armi drengrinn!* haud enim facile articulus *hinn* substantivo aut adjectivo postponitur. *b)* Sic *G,S,I; óttvin, B, C; utvin, E,K,L; at vins, A. c) Ulfr, G. d) í,* id., *B,C,E,I,K,L.*

[2]) Hic incipit lacuna in *E.*

[3]) Constructio: *Nú hafa þrir samnafnar hnekt (mèr); þeigi bella þeir heinflets þollar tiri, er settu hnakka við mèr. Sjámst a) þó hitt, at hverr hafskiðs hlæðir b), er heitir Ölver, muni síðan alls mest reka út gesti.*

a) sjáamk, C, haud recte. Hkr., Tom. 6, legit h. l. *sjám at,* non videmus, non certo scimus; sed citra necessitatem. *b)* Ita ceteri; *hlæði, A.*

Deinde ivi ad visendum
hominem, qui vulgo multo
præstantissimus dicebatur,
sperans benigne excipi.
Verissimus ille rutri possessor
me leviter adspexit; si optimus hic,
pessimus certe malus; (talium)
hominum laudes parum divulgo[1]
Desideravi Astæ filium,
in itinere ab oriente
sylvæ Eidensis, quando hospitium
ab homine pagano poposci.
Non inveni gnatum potentis Saxii;
uno vespere sum quater
expulsus domo; nulla ibi
colebatur hospitalitas[2].

Cumque ad Rögnvaldum dynastam pervenerant, hic eos difficili itinere usos testatus est. Hic Sigvatus carmen fudit:

Legati regis Sogniorum,
qui pertulerunt regia

---

[1]) Constructio: *Síðan fór ek at finna þann báru bliks brjót, er bragnar lètu miklu vildastan: ek vætta mèr friðs. Gerstr*) grefs a) gætir leit laust b) við mèr; þá er hinn versti *) illr, ef sjá er hinn bazti; ek reiði c) litt lof d) lýða.*

*) Ita dedi pro *gestr*, *vesti*, admonitus a Celeb. Raskio (*Litteraturbladet*, 2 *Quart.* p. 167-168). *a) greps*, perp., *I.* *b)* Ita Hkr., quæ lectio latere videtur in *löst*, *B,C,G,I,K,S*; *last*, *A*, vide *d.* *c) reifi*, recito, promulgo, *F.* *d)* Ita Hkr., *þó*, ceteri, ɔ: *ek reiði þó last lýða*, vituperium horum hominum effero, tum *litt* referendum ad *leit*, unde idem sensus emergit.

[2]) Constructio: *Ek mista Astu burs á leiðum fur austan Eiðaskóg, þá er æstag ókristin hal vistar. Ek fanka san riks Saxa a); ek var eitt kveld heitinn út fjórum sinnum; þaðra var aungr saðr fur inni b).*

a) Slikan, B; intelligitur Rögnvaldus Ulvi filius. Itaque *Saxi* aut cognomen fuit Ulvi, aut lupum designat (*qs.* lanium, a *saxa*, minutim dissecare). *b) innan*, intus, *G,I,S.*

mandata, difficilem sibi
ingressi sunt profectionem.
Minime nobis pepercimus,
sed sustinuimus iter strenue.
Bonus Norvegiæ rex fecit,
ut huc a borea iremus[1].
Longo tempore permensi sunt juvenes
Eidensem sylvam, iter facientes
orientem versus ad dynastam;
amplificat laudes vir quisque principis.
Domo non debueram expelli
a subditis præstantissimi
principis, convenire volens
meum liberalem dominum[2].

Rögnvaldus Sigvato annulum aureum dedit; tum femina quædam Sigvatum compellans, dixit eum haud frustra cum nigris illis oculis iter fecisse. Hic ille carmen lusit:

Femina! hi nigri oculi
Islandici mihi viam
monstrarunt ad splendidum annulum
longe per semitam arduam.

---

[1]) Constructio: *Sendimenn Sygna grams, þeir er sóttu með sagnir siklinga, hafa átt sèr mikla för fur hendi. Spörðumst a) fæst b), en c) faung firða d) eru stór við gaungu; nýtr vörðr Noregs rèð e) því, er fórum þinnig norðan.*

a) Ita *B,G,L*; *spörðust*, 3 pers., *C*; *spurðist*, auditum est, *A*; *spurðumst*, percontati sumus, *cet.* *b) flest*, plurimum, *C,F,I, L*; *færst*, *A*; *fæst*, *cet.* *c) er*, *I*; *nè*, *B.* *d) furða*, *A.* *e) veldr*, in causa est, *A.*

[2]) Constructio: *Drengjum varð drjúg-gengit á leiðum Eiðaskógs austr a) til jöfra þrýstis; drengr magnar lof þengils. (Skyldit mèr b) hnekkt c) af hlunns bekkjar runnum (ens) dýrliga d) hilmis, áðr ek kom e) finna minn mildan drottinn.*

a) Sic ceteri; *æztr*, *A.* *b)* Ita ceteri; *seldir mest*, *A.* *c) hnekkr*, *C,F.* *d) dýrloga*, *G* et Hkr., ɔ: *hlunns dyr*, animal phalangæ, navis, ejus *bekkr* (rivus), mare, ej. *logi*, aurum, hujus *runnr*, vir. *e)* Ita *B,F,L*; *kem*, *cet.*

Mulsi nympha! meus hicce pes
satis ambulavit strenue
per tramites antiquos,
tuo viro incognitos[1].

Cum vero Sigvatus ad regem Olavum reversus, aulam intraret, parietes aulæ intuens, hæc lusit:

Satellites, qui dant prædam aliti
sangvineo, instruunt ædem principis
galeis et loricis, quarum amplam
in parietibus conspicio copiam.
Nullus enim rex juvenis
præstantiori gloriari potest
suppellectili; quod dubio caret;
aulæ apparatus est eximius[2].

Deinde de itinere suo exposuit, et carmen subdidit:

Alacer princeps! oro animosos
satellites, ut audiant, quomodo
labores itineris pertuli;
hos versus feci de profectione.
Autumno missus sum a navibus
orientem versus in Svioniam,
longum facturus iter;
dein raro somnum capiebam[3].

---

[1]) Constructio: *Konan! þessi hin svörtu íslenzk augun hafa vísat oss brattan stig lángt at björtum baugi. Mjöðnannan! sá minn a) fótr b) hefir fulldrengila gengit á fornar brautir, ókunnar þínum manni.*

a) min, B,C,F,I,L,S. b) fætr, B,C,F,L,S.

[2]) Constructio: *Hirðmenn, þeir er grenna bens svan a), búa hilmis sal hjálmum [ok brynjum b); hèr sè ek beggja kost á veggjum. Því at eingi úngr konúngr [á hrósa c) dyggra d) húsbúnaði; höll er dýr með öllu.*

a) Ita ceteri; *val*, accipitrem, *A.* *b)* Sic Hkr.; *ok brynju*, in sing., ceteri; *á búnum*, *A.* *c)* Ita *C*; *hrósar*, gloriatur, *H,I*; *at hrösa*, cet.; sed tum ante cum Hkr. legendum *því á* pro *því at*. *d)* Sic Hkr.; *byggva*, *A*; *dyggva*, ceteri.

[3]) Constructio: *Hresslyndr a) jöfr b)! ek bið hugstóra c)*

Cumque sermonem haberet cum rege Olavo, hos versus composuit:

Præclare Olave! negotia
tua exacte et fideliter
sum exsecutus; conveni,
rex, Rögnvaldum potentem.
Exposui valde multa
negotia liberalis principis,
cum disertos audivissem
sermones Gardici satellitis[1].
Liberalis princeps! dynastarum
cognatus te oravit, ut exciperes
benigne quemque domesticum
suum, huc proficiscentem.
Hoc vero æque certum est,

---

verðúng heyra, hve d) ek þolda vds; gerðag þessar visur um för. Ek var sendr i hausti upp af e) svanfángs f) öndrum i lánga för austr til Sviþjóðar; siðan svaf ek fátt. Hanc stropham ignorat *H.*

a) hvers först, A; hvers fors, B; hress fors, S; hress för, I; hresslynds, G, vide *b; hresslyndr,* ceteri. *b) jöfurs, B,C, I,K,S;* bene! ɔ: *ek bið hugstóra verðúng hresslynds jöfurs,* etc. *c)* Ita ceteri; *hugstóran (jöfur), A;* tum *verðúng* in vocat. sumendum. *d) en, G; ok, A. e) frá,* id., *B. f) svanvángs,* id., *G,I.*

[1]) Constructio: *Hinn itri Olafr: ek lèt haldit málum við yðr hugat a) ok rètt; hittag rikan Rögnvald, konúngr! Ek deilda [harða mörg *) mál b) hins milda málma vörðs c), er d) ek heyrða *) greiðar e) tölur heiðmanns i Görðum f).*

a) hugar, B,C; hygg at (málum), perpende (negotia), *L;* sed displicet sequens vocula *ok,* ita posita. Vide Hkr., quæ meliores lectiones exhibere videtur. *) h. l. *A* habet: *mögr nè ek heyrði heðra,* contra metrum. *Hörða mögr (mágr) nè ek heyrða, B,C;* sed appellatio *Hörða mögr (mágr)* in regem Olavum non quadrat. *b)* Sic Hkr.; *máls,* ceteri. *c)* Ita *B* et Hkr.; *vörð, C,G,H,I,K,L; vörðu, A. d)* Sic Hkr.; *nè,* ceteri. *e)* Ita Hkr.; *greiðri,* ceteri, in comparat.; utraque vero lectio, siglarum ratione, ad alteram reduci potest. *f)* Ita ceteri; *Hörða, A.*

quod quisque tuorum, rex præclare,
orientem versus proficiscentium,
Rögnvaldi præsidio fruetur[1].

Et hos addidit:

Rex! cum ab occidente veni,
Eiriki filius, qui antea hos dolos
svaserat, plurimam populi
partem adversus se incitaverat.
Ego vero dixi, auxilium
Ulvi fratris ita tibi prodesse,
si terram, cognato dynastarum
Sveinique ereptam, retinere liceret[2].
Prudens Ulvus probavit,
pacem inter vos fieri;
ea tulimus responsa:
lites deponite vestras.
Rögnvaldus, oppressor furum,
te facile dixit efficere posse,
ut nulla pacti violati
expeteretur ultio[3].

---

[1]) Constructio: *Rînar [sólar sökkvir a)! jarla nefi bað þik halda vel hvern sinn b) húskarl, þann er hingat árnar. En þat er jafnvist, (at) hver þinna drengja, lista þengill! er vill sinna austr, á þar hald und Rögnvaldi.*

a) Ita ceteri; *stála stökkvir, A;* proba quidem per se appellatio, nam jungi possunt *stökkvir stála rînar,* profusor sangvinis, præliator; sed obstare videtur sequens litera metrica domina. *b) inn* (præmisso *halda*), *C,F,L.*

[2]) Constructio: *Fylkir! er ek kom vestan, rèð Eiríks ætt, sem [áðr um hvatti a) þeirra b) svika c), flest fólk við d) sik. En ek kvað e) yðr því stóðust lið Ulfs bróður, at f) (þèr) þá náðut jörð g) jarla frænda, eins þat er tókt h) af Sveini.*

a) Sic ceteri; *yðr of hittag, A.* *b)* Sic ceteri; *fleiri, A.* *c)* Ita *H,I,K,S;* *Svía, cet.* *d)* Ita Hkr.; *um, cet.* *e)* Sec. Hkr.; *kveð, cet.* *f) er,* add. *B.* *g) Orð, I.* *h) rètt, A.*

[3]) Constructio: *Spakr a) Ulfr b) lèt c) tekit d) sætta e) málum meðal ykkar f) beggja g); fengum h) þau i) svör k): [leggit þit sakar l). Rögnvaldr, rýrir þjófa m) aldar, lèt þèr n)*

Inita hieme Sigvatus Borga profectus, ut ante commemoratum est, duobus comitatus orientem versus per Markas, indeque in Gothiam iter fecit, in quo itinere inhospitalitatem incolarum sæpius expertus est. Sigvatus poëta ad Rögnvaldum dynastam pervenit, et apud eum diu commoratus est, liberaliter habitus. Hic de Ingigerda, filia Olavi Svionum regis, resciscit, venisse ad patrem ejus ob oriente ex Holmgardo legatos regis Jarizleivi, qui Ingigerdam regi Jarizleivo peterent, et hoc insuper, Olavum Svionum regem hanc rem bene excepisse. Tum quoque, cum Sigvatus ibi commorabatur, ad dynastam venit Astrida, Olavi Svionum regis filia, cujus adventus splendido convivio celebratus est. Mox Sigvatus sermone in notitiam regis filiæ pervenit, quæ illum cito agnovit: nam Ottar Niger, Sigvati ex sorore nepos, apud patrem ejus, Olavum Svionum regem, diu commoratus eique carissimus fuerat. Hinc de multis rebus sermones inter se conserebant. Dynasta sententiam Sigvati exquirebat, velletne Olavus Norvegiæ rex Astridam conjugem ducere; si enim hoc voluerit, inquit, non quæremus hac de re sententiam Svionum regis, sive ei bene placeat, sive minus. Hoc idem Astrida regis filia asseruit. Posthæc Sigvatus ac sui domum redierunt, et paulo ante festum Jolense Borgam ad regem Olavum pervenerunt. Mox Sigvatus regi Olavo res, quas resciverat, nuntiavit; hic primo tacitus et tristis evasit, cum Sigvatus ei retulisset petitionem (uxoriam)

---

gefit, sem þar væri reknar eingar heiptir riptar.

a) A scribit *Spakkr.* *b) Ulf, C.* *c)* Ita ceteri; *lèzt, A.* *d)* Ita *B,C,H,I,L; rekit, cet.* *e)* Sic ceteri; *A* om. *sætta.* *f)* Sic Hkr.; *okkar, K; ykkar, cet.* *g) gerva, A.* *h) fengu,* id., *A.* *i)* rectius videtur Hkr. *þètt,* gravia. *k) vèr, A.* *l) þat eru svör, konungr, A.* *m)* Sic *C,G,H,I,K,L,S; jöfra, cet.* *n) þar, F,L; þá er, A.*

Jarizleivi, dicens, se pessima quæque ab rege Svionum exspectare, modo ut posset hæc aliquando aliquo modo ei rependere. Ubi autem processit tempus, rex de multis rebus, quæ in Gothia accidissent, percontatus est. Sigvatus ei multis verbis retulit de pulcritudine et facundia Astridæ regis filiæ; quæ res auribus regis pergrata erat. Quare Sigvatus ei omnes aperuit sermones, quos ipse et Rögnvaldus dynasta, nec non Astrida regis filia inter se habuissent. Rex hanc rem magni esse momenti sentiens, ita locutus est: haud in mentem venerit Svionum regi, audere me, ipso invito filiam ejus ducere. Hæc autem res, quo tum erat loco, in vulgus edita non est; sæpius vero rex Olavus et Sigvatus, cum soli essent, de ea re inter se disserebant. Rex Olavus diligenter ex Sigvato quæsivit, quid de Rögnvaldo dynasta cognovisset, an amicus suus esset. Sigvatus dixit, ut res erat, dynastam regi Olavo esse amicissimum. Tum Sigvatus hos versus fecit:

Rex potens! constanter pacem
serves cum Rögnvaldo potente;
hic enim tuo commodo lubens
interdiu noctuque inservit.
Perite rex comitiorum!
hunc optimum tibi esse amicum
novi, toto in Oriente, qua
mare purpureum alluit oras[1].

Cap. 87. Post festum Jolense Thordus Skotakollus, filius[2] Sigvati, et alius quidam, qui huic[3] a calceis erat, aula clam relicta, orientem versus in Gothiam contenderunt. Hi ambo proximo ante autumno Sigvatum eodem comitati fue-

[1]) Constructio: *Rîkr konúngr! skaltu halda fast sáttum við ríkan Rögnvald; hann er þýðr af þinni þörf dag ok nátt. Þinga-kennir! ek veit þik eiga þann vin miklu beztan á Austrvegu alt með rauða salti.* [2]) Sororius, *C,F,G,I,L.* [3]) Sigvato, *L.*

rant. Hi ad aulam dynastæ pervenientes, tesseras, de quibus inter dynastam et Sigvatum digredientes convenerat, protulerunt. Et confestim sine mora dynasta iter parat, ducta secum Astrida regis filia et fere centum militibus, quæ manus armis, vestitu et equis lecta erat. Deinde viam ingressi in Norvegiam equitarunt, et Sarpsborgam festo purificationis Mariæ pervenerunt. Rex Olavus convivium ante præparaverat: aderat omne genus potus exquisitissimi, et ceterus apparatus omnis erat lectissimus; tum quoque magnum numerum amplissimorum virorum ex provinciis ad se invitaverat. Dynastam cum comitatu eo delatum rex benigne excepit; ei data sunt cubicula ampla, lecta et diligenter adornata, item famuli, et qui providerent, ne quid ornamenti convivio deesset. Cum vero hoc convivium aliquot dies duraverat, rex et dynasta regisque filia in secretum colloquium coierunt. Hic Astrida regis filia multis modis prudenter studuit, pacem inter patrem et regem Olavum conciliare; rex vero se libenter pacem facturum ostendit, si Svionum rex promissis staret et sibi filiam Ingigerdam nuptui collocaret. Astrida respondet: hæc sola res est, quam facere pater meus pernegat, ut tibi nuptum det Ingigerdam, causans, hoc connubium tibi et illi exoptatum esse. Meum quidem non est, de ejus conditione decernere, quod autem ad meam conditionem attinet, haud, credo, impedimento est, quod hæc (utrique nostrum) exoptata sit. Rex respondet: amplam esse conditionem existimo, te ducere uxorem, sed alteram illam mihi cogitaveram. Totum hunc diem rex et Astrida colloquendo consumserunt; vespere Astrida, comite dynasta, ad cubiculum suum rediit. Sequenti die Astrida cum rege collocutum ivit, atque iterum pacem inter reges constituere studuit, nihil autem

potuit efficere. Tertio die regem Olavum convenit, pacem petens, seque arbitrari dicens, patrem ei hanc conditionem, ut se duceret, concessurum. Rex vero sibi hanc rem minus placere significavit. Cum vero Astrida multis modis prudenter studuisset, pacem inter reges conciliare, et intelligeret, Olavum hac sola conditione pacem facere velle, si Ingigerdam nactus esset, regi loquitur: haud sæpius te, domine, eo consilio adibo, ut pacem petam; omnia enim, quæ ratio suppeditavit, argumenta proposui, neque rem tanto studio egissem, nisi, quanti intersit, intellexissem. Jam res tuas fidei tuæ committo, sed animum advertas velim, quæ omnium judicio tua prudentia est, quantum discrimen facias duarum sororum, quæ quorundam judicio inter se non adeo dissimiles sunt, cum altera velis ferro et armis potiri, alteram, quamvis prope oblatam tibi, deneges; atque hoc quidem vero esse similius putaverim, permultorum christianorum vita tuam tibi stare pertinaciam. Quibus dictis suo cum comitatu avecta equo dicitur. Tum rex in tumulum quendam, qui prope ab eo loco erat, secessit et hos versus pronuntiavit:

Stabam feminam intuens
e tumulo, dum virginem equus
avehebat. Pulcris oculis femina
nos carere voluptate fecit.
Strenua, benevola mulier,
domo abiens, concitavit
jumentum; at quemque principem
suæ, femina! afficiunt curæ[1].

[1]) Constructio: *Ek a) stóð ok ság á sprakka af haugi, meðan blakkr bar brúði. Augfögr kona lèt oss missa yndis. Góðlát sparlig konan keyrði b) eyk c) or garði; en eitt mein sækir hvern jarl, vala slóðar d) gefn e)!*

a) A inserit *fjögr*, quo versus et sententia carere posse vi-

Verum est ait rex, quod Astrida dixit, grave crimen esse, alteram ex duobus sororibus multorum christianorum vita conciliare velle, cum tamen incertum sit, an potiamur ea, quam magis cupimus. Quare Astridam reduci jubebo, volo enim iterum cum ea colloqui. Sic factum: rediit ad regem Astrida. Tum utrique unacum dynasta inter se consultarunt, in quo consilio hoc tandem decretum est, ut Rögnvaldus dynasta regi Olavo Astridam, Olavi Svionum regis filiam, desponderet, cum omni ea dote, qua Ingigerda soror ejus elocari debuerat. Hinc convivio denuo instaurato, nuptiæ regis Olavi et Astridæ reginæ magno splendore celebratæ sunt. His peractis Rögnvaldus dynasta in Gothiam rediit; quem digredientem rex Olavus eximiis muneribus donavit. Hi humanissime digressi sunt et amicitiam, quoad vixerunt, constanter coluerunt.

Cap. 88. Proxime sequenti vere in Svioniam venerunt ex Holmgardo legati regis Jarizleivi, rem confecturi, quam rex Olavus proxima æstate pollicitus fuerat, ut filiam Ingigerdam regi Jarizleivo nuptum daret. Quam rem cum rex Olavus ad eam deferret, hanc suam esse voluntatem significans, ea sic respondit: si regi Jarizleivo nubam, inquit, dotalem posco urbem Aldegjam[1], quæque eo pertinet præfecturam, cui pro lubitu imperare, et quem libuerit præficere volo. Legati hoc consenserunt, nomine Gardorum regis.

detur. *b) þey var, L.* *c)* Post hanc vocem *A* addit *ek;* forte librarius *eyk* pro verbo accepit; omisi voculam, quæ h. l. ferri non potest. *d) slóðir*, per vias, *I*; sed *vala slód* est manus, ejus *gefn* femina. *e) gefit, L.*

[1]) Nomen veterum *Aldeja* absque dubio idem est, ac recentiorum *Ladoga;* et idcirco urbs *Aldejoborg* in eodem posita fuerit loco, in quo postea sita fuit urbs et castellum *Noteborg. G. Schöning.*

Tum Ingigerda patri Olavo: si orientem versus in regnum Gardorum proficiscar, tuæ, pater, voluntati obtemperans, deligere volo ex Svionum regno virum, quem libeat, quique maxime idoneus videatur, ut mihi se adjungat comitem, et hoc a vobis omnibus paciscor, ut hic vir non minori utatur dignitatis titulo in Oriente, quam hic, neque minores honores jurave adipiscatur, quam quibus heic in Svionia usus est. Rex omnesque legati, fide interposita, consenserunt. Tum rex ab Ingigerda quærit, quem virum e regno suo sibi comitem legere vellet. Ea respondet: Rögnvaldum dynastam Ulvi filium, cognatum meum. Rex contra: aliter ei rependere perduellionem cogitaveram, qua filiam meam hac hieme in Norvegiam duxit, eamque crasso illi homini, quem mihi novit inimicissimum, pellicis loco tradidit; quam ob rem potius dignus est, qui hac æstate sublimis pendeat. Heic Ingigerda patrem obsecravit, ut staret promissis, et datam fidem servaret. Tandem rex ejus adhortationibus et precibus victus, Rögnvaldum data securitate e regno Svionum excedere, neque in Sveciam, quoad rex ibi esset Olavus, redire jussit. Tum Ingigerda, missis ad Rögnvaldum dynastam nuntiis, ei has res aperuit, tempusque et locum, quo convenirent, constituit. Dynasta statim itineri se accinxit, et in Gothiam orientalem vectus, comparatis ibi navibus, cum suis obviam Ingigerdæ regis filiæ contendit. Deinde omnes una orientem versus in regnum Gardorum profecti sunt, ubi Rögnvaldus dynasta diu se continuit et vir celeber habitus est. Ejus filii fuere Ulvus et Eilivus dynasta.

Cap. 89. Vir erat nomine Emundus[1] de Skaris, Gothiæ occidentalis prætor, vir prudens, disertus, cognatis ac divitiis plurimum valens, exi-

[1]) Eymundus, *F,G,K,L,S;* Eyvindr, *C.*

stimatus astuti esse ingenii et mediocris fidei; hic, ex quo Rögnvaldus dynasta discesserat, in Gothia occidentali maximæ erat auctoritatis. Eodem vere, quo Rögnvaldus dynasta Gothiam reliquit, Gothi frequentes conventus agitarunt et sæpius inter se disputabant, quid rex Svionum incepturus esset; certo edocti, regem ipsis iratum esse, quod potius amicitiam cum Olavo Norvegiæ rege facere, quam armis cum eo contendere voluissent, crimina quoque in eos intendere, qui Astridam filiam ejus in Norvegiam deduxissent. Quare multi hortati sunt, ut fidem regis Norvegiæ implorarent eique operam suam offerrent; alii disvadebant, dicentes, Gothis occidentalibus non tantas esse opes, ut possent cum Svionibus contendere et bellum gerere: rex vero Norvegiæ longe nobis aberit, inquiunt, cum præcipua ipsius imperii pars procul a nobis distet, quare hoc primo agendum, mittere ad Svionum regem, et tentare, an pax cum eo convenire queat; quæ si impetrari non potest, ratio est, auxilium ab Norvegiæ rege petere. Petentibus ab Emundo, ut hanc legationem susciperet, ille annuit, et ut paratus erat, cum triginta comitibus profectus, in Gothiam orientalem pervenit, ubi cum multi versarentur amici et cognati ejus, benigne exceptus est. Hic cum viris prudentissimis de hac re et instante periculo deliberat; qui omnes inter se consenserunt, querentes, quæ rex agere instituisset, exemplo carere, vixque ferendum esse. Hinc Emundus in Svioniam pergit, et cum multis viris auctoritate pollentibus colloquium habuit, eodem prorsus eventu, ut omnes cum eo consentirent. Deinde ire perseverat, donec vespere Uppsalos, ubi sedes regia erat, pervenit; hic bono conducto hospitio pernoctant. Postero die Emundus regem, in frequenti conventu sedentem, conventum ivit.

Adit regem et inclinato corpore honorifice salutavit. Rex contra intuitus, eum resalutat, et quid novarum rerum quærit. Emundus: parvi momenti res apud nos Gothos accidunt, hæc autem nova nobis videntur, quod Attius[1] Arrogans Vermalandus hac hieme in sylvas iter fecit, perticas cursorias et arcum habens, quem nos earum regionum summum venatorem judicamus. Hic cum in montanis tantam nactus esset pellium cinerearum copiam, ut traham, quantum post se trahere poterat, onerasset, ex sylva domum revertens, die quodam sciurum videt [in sylva; quem cum sagitta frustra petiisset[2], tanta incensus est ira, ut relicta traha, sciurum cursu persequeretur; sciurus vero, qua denssissima erat sylva aditusque difficillimus, penetravit, nunc deorsum ad radices arborum, nunc in summos ramos, jam ab uno ramo in alterum, jam ab arbore in arborem transsiliens; cum vero Attius eum sagitta peteret, telum semper supra aut infra volavit, sciuro nunquam tam longe aufugiente, quin eum semper Attius conspiceret. Hanc venationem tanto studio urgebat, ut toto die capturam labendo persequeretur, neque tamen hunc sciurum capere potuit. Ingruentibus nocturnis tenebris, [prostravit se in glaciem, ubi noctu consveverat[3], cœlo[4] algente et nives fundente; mane vero ubi diluxerat, Attius rediit traham quæsiturus, quam nunquam invenit, atque re sic comparata domum rediit. Hæc nova affero, domine! Rex: exiguæ sane res, si non majora aut memoratu digniora referre habes. Emundus respondet: Præterea nuper acciderunt, quæ pro novis haberi meren-

[1]) *F,G* constanter scribunt *Atli.* [2]) Voces a signo inde, in *A* omissas, addunt ceteri. [3]) Accommodatius Hkr.: in nivem se prostravit, uti consveverat, ibique pernox cubuit. [4]) Hic lacuna incipit in *I*.

tur: Gothius Tovii filius, quinque navibus bellicis Gothalbi devectus[1], cum ad Ekreyas[2] staret, Danos quinque magnis navibus mercatoriis eo forte advenientes subito adortus est, et brevi tempore quatuor naves expugnavit, nullo suorum amisso, ingentique præda potitus est; quinta vero navis in apertum mare elapsa, ope velorum, periculum effugit. Hanc Gothius una nave persequens, primo fugientibus instabat, post autem, increbescente vento, navis mercatoria citatiore cursu ferebatur. Hic Gothius, pelago ferme pernavigato, cum reverti vellet, maxima incidente tempestate ad Hleseyam dejectus, naufragium fecit, omni præda, quæ in navi erat, plurimaque suorum parte amissa. Reliquos vero comites ejus, qui eum ad Ekreyas opperirentur, Dani quindecim navibus adorti, ad unum omnes interfecerunt, prædaque omni, quam illi ante ceperant, potiti sunt. Hunc fructum avaritiæ tulit. Rex: hæ res magnæ sunt et memoratu dignæ; quæ vero est tui huc adventus causa? Emundus[3] respondet: venio, domine, tuam expetiturus sententiam de re inter nos Gothos controversa, quæ sic comparata est, ut nostræ leges ac leges Uppsalenses inter se differant. Rex: quid postulas? Emundus: fuere duo viri nobiles, generis quidem amplitudine pares, opibus[4] vero et ingenio impares; hi de prædiis contenderunt, et longo tempore mutuis odiis certarunt, plus damni inferente, qui potentior erat. Tandem lis eorum ita composita et dijudicata est in comitiis universalibus, ut qui potentior erat, damna rependere juberetur, hic enim plus deliquisse existimatus est; ille vero rem ægre ferebat. Prima vero pensione rependit[5] pro ansere anserculum,

[1]) Subvectus, *S.* [2]) Insulas extra Hysingam sitas. Eikreyas, *B,C,G,K,S.* [3]) Eymundus, h. l. *A.* [4]) Ita ceteri; genere, *A*; prave. [5]) Hic incipit lacuna in *G.*

pro porco porcellum, pro selibra auri puri solvit dimidiam selibram auri, dimidiam argillæ et terræ, insuper pessima quæque minatus ei, ad quem pecunia pervenit, et tamen hic debitum tam male solvi passus est. Talia nobis non admodum justa videntur; quid vero, domine! de hac re judicas, tuum enim judicium de rebus quibuscunque per totum Svionum imperium valet? Rex respondet: totum pendat debitum, ex primo judicio, regi vero suo triplum; quæ pecunia si intra anni spatium non soluta fuerit, exul esto, et omnia bona amittito, quorum pars dimidia fisco regio cedat, dimidia ei, cui pecunia debebatur. Emundus de hoc regio judicio leges, quæ in comitiis Uppsalensibus valebant, clare testatus est. Posthæc Emundus regi vale dixit, eique pro lata sententia gratias egit; quo facto exiit. Tum ceteri homines causas suas agere cœperunt, quare multum diei in his dijudicandis rex consumsit. Cum vero accubitum venit, quærit, ubi Emundus prætor sit; dicunt, domi in cubiculo esse. Tum rex: is hodie conviva meus esto. Mox fercula intro lata, et dein musici intrarunt, citharas et fides aliaque musica instrumenta ferentes; rex animo erat quam maxime hilari, cum vero multos viros potentes hoc die convivio adhiberet, Emundum non notavit; reliquum diei potando consumsit, noctem vero sequentem somno transegit. Mane vero, cum somno experrectus esset, quæ Emundus pridie dixerat, in memoriam revocavit, et ut vestibus se induerat, sapientes suos arcessi jussit. Rex Olavus duodecim sapientissimos viros secum habere consvevit, qui cum eo judiciis adsidebant et res difficiles expediebant; quod haud sane facilis erat negotii, nam et irascebatur rex, si sententia a justo declinaret et ei contra dicere, frustra erat. Hoc consilio rex sermonem orsus, Emundum præ-

torem acciri jussit. Missi, cum rediissent, ita locuti sunt: domine, inquiebant, Emundus prætor heri cœnatus discessit. Tum rex: dicite, principes, quo spectabat ea de jure quæstio, quam Emundus heri proposuit? respondent: animadvertisti profecto, an alio spectaverit, quam dictum est. Rex: duo illi viri nobiles, quos inter se dissedisse narravit, unus altero potentior, mutua inter se damna inferentes: his me et Olavum Crassum significavit. Recte se habet, quod dicis, domine, inquiunt. Rex: [causa nostra in comitiis Uppsalensibus dijudicata est[1]; quo autem illud spectabat, quod dixit, solutum esse anserculum pro ansere, porcellum pro porco, argillam et terram pro singulis auri selibris? Arnvidus[2] Cæcus respondet: domine, quæ res inter se dissimiliores sunt, quam rubrum aurum et terra? magis tamen rex a servo vel mancipio distat. Pollicitus es Olavo Crasso filiam tuam Ingigerdam, regia Uppsvionum[3] gente per omnia stemmata ortam, quæ gens ab ipsis diis originem ducens, omnium, quæ in regnis septemtrionalibus sunt, gentium amplissima est. Nunc vero Olavus uxorem duxit Astridam, quæ licet regio sangvine orta sit, tamen serva, atque Vindlandica, nata est. Multum interest inter eos reges, quorum alter talia[4] æqui bonique consulit, alter rem haud hoc loco mansuram minatur; et exspectari quidem potest, nullum Nordmannum[5] posse regi Uppsalensi parem inveniri; quod ut in posterum maneat, grato animo omnes oremus, dii enim longo tempore [homines sibi dilectos[6] favore suo protexerunt, quamvis nunc multi eorum cultum negligant. Tres erant

¹) Hanc sententiam add. ceteri. ²) Arnfidus, *C.* ³) i. e. Tiundalandi incolarum, vide p. 151. Hic iterum incipit *I.* ⁴) Hic iterum incipit *E.* ⁵) Ita ceteri; hominem, *A*; prave. ⁶) Malo cum Hkr., progeniem suam.

fratres: Arnvidus Cæcus, qui visu adeo laborabat, ut militiæ[1] idoneus non esset, ceteros vero homines facundia præstabat; alteri nomen erat Thorvidus Balbus, qui adeo balbutiebat, ut haud amplius quam duo verba simul eloqui posset, erat autem ex his audacissimus summaque loquendi libertate; tertius Freyvidus Surdus, qui nisi magna voce inclamatus non audivit. Hi fratres omnes divitiis pollebant, summaque valebant auctoritate, generis amplitudine et prudentia insignes, regique cari fuerunt. Tum rex: ecquid nostis, cur Emundus Attium Arrogantem memoravit? Hic nemo fratrum responsum dedit, alter alterum intuens. Rex: dicite, quæso. Tum Thorvidus Balbus: *Attius-Attius,* contentiosus, avarus malevolus; *Arrogans,* stultus. Rex: quis hisce dicteriis petitur? Tum Freyvidus Surdus: nunc, domine, apertius res dicetur, si pace tua liceat. Rex: pace mea dic, Freyvide, quicquid dicere in animo est. Itaque Freyvidus sermonem orsus: Thorvidus frater meus, inquit, qui nostrum prudentissimus est, idem esse ait *Attium* et contentiosum, *Arrogantem* et stultum; eum ita appellat, qui a pace abhorrens, res parvi momenti appetit, neque consequitur, sed magnis commodis ob eam rem excidit, ut Attius fecit. Jam etsi adeo surdus sum, ut vix, quod coram dicatur, audiam, tamen tot homines nunc verba fecerunt, ut intelligere potuerim, tam potentioribus, quam toti populo displicere, primo quod fidem regi Norvegiæ datam non servasti, deinde quod sententiam universalem, quæ in comitiis Uppsalensibus lata est, irritam reddidisti. Hoc vero pro certo affirmare possum, si populus Svecicus tibi adesse velit, non esse, quod regem Norvegiæ aut regem

[1]) equi conscendendi, *C, E.*

Danorum aut alium quemlibet metuas; sin autem populus regni unanimi consensu contra te insurgat, non videmus amici tui ea consilia, quæ certo valitura noverimus. Rex: quinam se præbent auctores, ut me regno proditione spolient? Freyvidus: omnes hujus regni incolæ legibus et pleno jure uti volunt, hoc vero se propter tuam impotentiam et contentionem prohiberi putant. Quod vero Emundus quæstionem de jure proposuit, hoc ad te et Olavum Crassum, Norvegiæ regem, et ad res vos intercedentes spectavit, de quibus rebus ipse sententiam tulisti. Hanc eandem sententiam principes populi de te ferre et exsequi statuerunt. Jam animadverte, domine, quam multi ex principibus tuis nunc in hoc consilio tibi adsideant; puto, id quod verum est, nos non plures quam sex hic adesse, quos consiliarios tuos voces, ceteros vero omnes uno consensu abiisse et in provincias se contulisse ad conventus universi populi habendos. Et, ut vera tibi dicam, secta belli sagitta per totum regnum missa est, indictaque comitia ultricia[1], ad castigandam superbiam tuam et iniquitatem, quam nunc inceptare videris, quamque non diutius ferendam homines existimant. Ego et omnes fratres ad societatem hujus consilii invitati sumus, nemo vero ex nobis hoc nomen lucrari voluit, perduellem appellari, pater enim noster talis non erat. Tum rex locutus est: quid nunc consilii capiendum est? magnis enim premor difficultatibus. Consilium in medium proferte, carissimi principes, quo regnum et honorem, regiam dignitatem et hæreditatem paternam retinere possim, cum adversus universum Svionum exercitum contendere non valeam. Arnvidus Cæcus respondit:

[1]) Ita *C,E,I;* destinataque tibi vindicta, cet.

maxime e re tua hoc fore duco, si in Arosum cum copiis, quæ te sequi volent, descenderis, navibusque hic comparatis primo in Lacum (Mælarem), ubi tuto esse possis, provectus fueris, deinde populum, quotcunque adesse voluerint, ad te convocaveris; nunc vero non superbe te geras, sed populo leges et jura declares, ut hoc modo belli sagittam, quæ brevi tempore haud multam regni partem pervasit, supprimas. Altera vero ex parte viros, quibus maxime fidem habeas, mittas ad eos, qui huic factioni præsunt, tentatum, an forte hic tumultus aliqua ratione sedari queat. Rex se hoc consilio libenter usurum annuit: volo autem, inquit, ut tu et fratres hanc legationem suscipiatis, vobis enim ex omnibus meis potissimum fidem habeo. Tum Thorvidus Balbus: eg-ego remanebo, sed-sed Jacobus eat; hoc-hoc opus. Excipit Freyvidus Surdus: ita faciamus, domine, inquit, ut Thorvidus dicit; non enim vult hoc instante periculo a te discedere, vult vero, ut ego et Arnvidus legationem obeamus, assumto Jacobo juvene filio tuo. Hanc rationem secutus rex Olavus, ad naves se contulit et in Lacum provectus est, brevi tempore multis ad eum confluentibus, cum se comem et facilem præberet et omnibus leges atque jura decerneret. Freyvidus vero et Arnvidus in Ulli Agrum equis vecti, secum duxerunt Jacobum, regis filium, cujus tamen adventum occultarunt. Hic brevi animadverterunt collectam armatorum multitudinem concurrisse, colonosque noctu interdiuque conventus habere. Freyvidus et fratres, cognatos et amicos hic convenientes, significant, se huic globo adjungi velle; quod cum omnes læti annuissent, statim tota rerum deliberatio ad eos delata est, quare magna multitudo in eorum partes transiit, omnibus tamen adhuc uno ore dicentibus, se nunquam Ola-

vum regis loco habituros: diutius enim ferre nolumus, leges ab eo violari, ejusve pati nimiam arrogantiam, nullius enim sermoni aures præbere vult, etsi summi regni principes verum ei dicant. Freyvidus, ut impetum populi animadvertit, intelligens, rem in summum discrimen adductam esse, principibus ad concionem vocatis, hunc in modum verba fecit: mea sententia est, si tantæ molis negotium conficiendum est, ut rex Olavus regno exuatur, ejus rei administrationem ad nos Uppsviones pertinere; invaluit enim consvetudo, ut quæ consilia suo consensu Uppsviones confirmavissent, his ceteri regni incolæ obsecuti sint; haud opus erat majoribus nostris, auctoritatem Gothorum occidentalium sequi in republica constituenda, neque nos tam degeneres simus, ut Emundus de Skaris consilia nos docere opus habeat. Quare mea voluntas est, ut nos cognati et amici societate jungamur, mutua enim nos intercedet fides et constantia. Quod cum omnes probarent, pulcreque dictum esse affirmarent, plurima pars multitudinis fœderi, quod Uppsvionum principes inter se fecerant, se adsociavit; cujus factionis duces erant fratres Freyvidus et Arnvidus. Qua re animadversa Emundus, quo hæc tenderent, intelligens, fratres convenit et cum eis colloquium habuit. Tum Freyvidus Emundum interrogat: quid facere constituistis, Olavo Eiriki filio, id quod nunc agitur, interfecto? quem vobis regem præficere vultis? Cui Emundus; qui nobis tum maxime idoneus videbitur, sive regio genere ortus sit, sive non. Freyvidus: nos Uppsviones haudquaquam consentiemus, regiam dignitatem nostris temporibus ex familia priscorum regum in aliam transire, dum tam bona adsit facultas, quam nunc. Sunt regi Olavo duo filii, quorum alterutrum regem eligere

volumus; raro enim prospere res cedit, si imperio præficiuntur, qui ad hanc dignitatem non sunt nati, nec ulli fere pari se inhumanitate præbere solent. Hæc oratio et sententia communi acclamatione accepta est, omnesque Jacobum regem elegerunt. Tum Emundus de Skaris: Vos Uppsviones hac vice tantum valetis, ut hoc conficere possitis; quæ vero posthac evenient, prædicam, fore tempus, cum, qui nunc nihil aliud audire volunt, quam regiam in Svionia dignitatem perpetuo in prisca majorum familia manere: iidem ipsi superstites auctores erunt, ut regium imperium in alias familias transferatur, quod magis erit salutare. His actis fratres Freyvidus et Arnvidus Jacobum regis filium in comitiis produci, eique nomen regium imponi jusserunt, Svionibus ei nomen Önundi addentibus, quo nomine, dum vixit, apellatus est; tum undecim[1] aut duodecim annorum erat. Post hæc rex Önundus aulicos sibi comparavit et præfectos delegit, qui omnes tantum habuerunt copiarum numerum, quantus ei necessarius videbatur; quo facto multitudini colonorum domum redeundi veniam concessit. His peractis internuntii inter reges ipsos intercedebant, eo demum exitu, ut utrique convenirent et pacem inter se facerent his conditionibus, ut Olavus, dum viveret, rex Sveciæ esset, pacem et fœdus cum rege Norvegiæ omnibusque iis, qui hæc consilia communicassent, servaret, et mollis, lenis, et facilis erga omnes sibi subjectos esset; Önundus quoque rex esset, et tantum regni haberet, quantum inter patrem et filium conveniret, colonos vero sequi teneretur, si quid admisisset rex Olavus, quod pati impune coloni nollent. His confectis legati in Norvegiam mittuntur ad regem Olavum, his cum mandatis: velle Svionum regem, ut pacem inter

[1]) decem, ceteri.

se confirmarent, ipseque indicta expeditione Konungahellæ secum congrediatur. Quo nuntio cognito, rex Olavus Crassus, pacis et reconciliationis, ut antea, cupidus, uti constitutum fuerat, cum copiis proficiscitur; advenit quoque Olavus Svionum rex. Cum vero socer et gener convenissent, inter se pacem et amicitiam junxerunt. Tum rex Svionum affabilem et facili ingenio se præbuit. Memoriæ prodit [Thorstein Polyhistor[1], fuisse in Hysinga territorium[2], quod jam Norvegiæ, jam Gothiæ subjectum fuisset. Itaque colloquio habito convenit inter reges, ut sorti committerent, uter hanc possessionem teneret, talosque jacerent, ita, ut qui majorem mitteret jactum, rem possideret. Rex Svionum talos prior jecit; qui cum duo seniones misisset, non opus esse dixit, ut rex Olavus jaceret. Ille respondit, in manu jactans talos: adhuc duo seniones talis insunt, qui ut exeant, deus dominus facile efficere potest. Hoc dicto talos jecit: exierunt duo seniones. Dein rex Svionum duo seniones misit, et rem frustra fore significavit. Olavus Norvegiæ rex non eo minus talos jecit, quorum alter senionem tulit, alter in duas partes dissiliens septem puncta dedit; quare rex Olavus, cum tredecim puncta tulisset, territorio potitus est. Non proditum audivimus plura hoc conventu memoria digna accidisse. Reges his gestis gratia reconciliata discesserunt.

Cap. 90. His rebus peractis, de quibus jam nonnulla mentio facta est, rex Olavus Haraldi filius, copiis in Vikam reductis, primo Tunsbergum se contulit, ubi paulum commoratus, in boreales regni partes contendit, et autumno in Thrandheimum pervenit, ubi commeatu comparato hiemavit. Tum totum Norvegiæ regnum singulari

[1]) Frodius, *C*; Arius sacerdos, *F*; tradunt, *E*. [2]) insulam, *E*.

imperio tenuit, cum rex Haraldus Pulcricomus multos sub se regulos provinciales habuisset; jam eam regni partem, quam rex Svionum tenuerat, gratia conciliaverat, partem vero, quam tenuerat Danorum rex, vi receperat, eique parti, ut ceteris regni provinciis, imperavit. Knutus Danorum rex, hoc tempore Angliæ et Daniæ imperavit, ipse vero plurimum in Anglia sedem habuit, procuratoribus Daniæ præfectis, neque eo tempore jus possidendæ Norvegiæ prætendit.

Cap. 91. Ferunt, regnante rege Haraldo Pulcricomo Orkadas primum inhabitatas esse, cum ibi antea latebræ piratarum fuissent. Sigurdus nominatus est primus dynasta Orkadensis; is fuit filius Eysteinis Strepentis, fraterque Rögnvaldi Mæriarum dynastæ. Post Sigurdum Guthormus, filius ejus, Orkadibus unam hiemem dynasta præfuit. Post hunc dynastiam accepit Torv-Einar, filius Rögnvaldi de Mæria; qui longo tempore Orkadibus dynasta præfuit, et vir potens fuit. Halvdan Alticrus, filius Haraldi Pulcricomi, Torv-Einarem ex insperato superveniens ex Orkadibus expulit; Einar vero paulo post reversus, Halvdanem Alticrurem in Rinanseya[1] interfecit. Post ea Haraldus expeditionem in Orkadas fecit, et, cum Einar in Skotiam aufugisset, Orkadenses jussit omnia heredia, quæ in Orkadibus erant, ad expiandam cædem Halvdanis interposito jurejurando sibi tradere. Quo facto rex ac dynasta pacem inter se fecerunt, ita, ut dynasta regi se subjiceret et insularum præfecturam ab eo acciperet, nulla tamen tributa penderet, quod ea loca piratarum incursionibus valde exposita erant; dynasta regi sexaginta selibras auri dependit. Eodem tempore Haraldus[2] Skotiam bello infestavit,

[1]) i. e. insula Ronaldsa inter Orkadas. *Rinaldsey*, *I.* [2]) Ita ceteri; *hann*, ille (Einar), *A.*

quemadmodum in Glymdrapa[1] commemoratum est. Post Torv-Einarem insulis præfuerunt filii ejus Arnkel, Erlendus, et Thorfinnus Craniseca. His imperantibus Eirikus Blodaxa eo ex[2] Norvegia advenit, cui dynastæ obsequium præstitere. Arnkel et Erlendus bello ceciderunt, Thorfinnus vero terris imperavit, et diu vixit. Hujus filii fuere Arnfinnus, Lödver[3], Havardus, Ljotus et Skulius; quorum mater erat [Grelada[4], filia Dungadi dynastæ de Kataneso: ejus (Greladæ) mater erat[5] Groa, filia Thorsteinis Rufi. Vergente ætate Thorfinni dynastæ, filii Eiriki Blodaxæ, ab Hakone Adalsteinis-alumno fugati, ex Norvegia venerunt, et in Orkadibus multa impotenter fecerunt. Thorfinnus morbo[6] obiit. Post eum filii ejus imperarunt, de quibus multa memoriæ prodita sunt[7]. Ex his Lödver diutissime vixit, et tandem solus imperavit. Ejus filius erat Sigurdus Crassus, qui post patrem dynastiam accepit, et piraticæ vehementer operam dedit. Hoc imperante rex Olavus Tryggvii filius cum copiis ex piratica occidentali advenit, et appulsis in Orkades navibus, Sigurdum dynastam, qui una nave vectus in Sinu Rögnvaldi *) ad ancoras stabat, vivum cepit. Huic rex Olavus hanc vitæ redimendæ conditionem proposuit, ut baptismum et veram religio-

[1]) auctore Thorbjörne Hornklovio, vide Hkr. in historia Haraldi Pulcricomi, et Scripta Hist. Isl. Vol. 1, p. 222-3. *Glúmsdrápa*, prave, *B,C,E*. [2]) Sic *B,C,S*; *i*, ceteri, minus recte. [3]) Hoc nomen, omissum in *A*, ceteri addunt. [4]) Grelöga, *C,K*. [5]) Quæ a signo sunt, omissa in *A*, addunt ceteri. [6]) Sic ceteri; subita morte, *A*. [7]) Hic lacuna incipit in *E*.

*) Videtur legendum esse aut in insula Rögnvaldi *(Rögnvaldsey)*, vel in sinu Asmundi, vide Hkr. Hist. Ol. Trygg. c. 52 et *Fornm. S.* Vol. 1, c. 98. *Rögnvaldsey* est Orkadum una, quæ vocatur *South Ronalsha* in Tab. Geogr. Homanni 1749, distingvenda a *Rinansey*, Homanni *North Ronalsha*.

nem acciperet, sibi subjectus esset et religionem insulis imperaret; quam conditionem dynasta accepit. Rex Olavus filium dynastæ, nomine Hvelpum sive Hundium, obsidis loco abduxit, et inde in Norvegiam profectus est, ubi, ut vulgo notum est, rex fuit. Hundius aliquot hiemes apud regem Olavum commoratus obiit; ex eo vero tempore dynasta regi nullum obsequium præstitit, filiamque duxit Melkolvi[1], Skotorum regis, ex qua Thorfinnum progenuit; filii vero Sigurdi dynastæ, natu majores, erant Sumarlidius, Brusius et Einar Rangmudus (oripravus)[2]. Quatuor aut quinque[3] hiemibus post cædem Olavi Tryggvii filii Sigurdus dynasta in Hiberniam profectus est, regni custodia filiis natu majoribus tradita, Thorfinno autem ad regem Skotorum, avum maternum, misso. In hac expeditione Sigurdus dynasta prælio Brianico cecidit. Cujus fama in Orkades perlata, dynastæ constituuntur filii ejus, Sumarlidius Brusius et Einar, qui regnum inter se tripartito diviserunt. Thorfinnus Sigurdi filius quinque annorum erat, cum Sigurdus dynasta cecidit. Cum vero idem cognovisset Skotorum rex, Thorfinno cognato suo Katanesum et Sudurlandum et nomen dynastæ dedit, et virum constituit, qui ejus nomine regnum administraret. Thorfinnus dynasta tam statura, quam ceteris corporis animique virtutibus cito maturuit; erat statura viribusque magnis, ore deformi, et ubi maturior accessit ætas, facile apparuit, eum esse avarum, durum, crudelem et prudentia excellenti. Quod testatur Arnor dynastarum Poëta:

Nullus homo in terris, junior
Einaris fratre, magis strenuus

[1]) Melkolmi, *K,S.* [2]) et Rögnvaldus, *I.* [3]) Cum pugna Brjanica, secundum Njalam, facta sit anno 1014, h. l. legendum est quatuordecim aut quindecim.

ad defendendam et occupandam
terram existimatus est[1].

Fratres, Einar et Brusius, ingenio erant dispares; Brusius enim mansveti fuit ingenii, æquitatis perquam studiosus, gratiosus et oris diserti; Einar vero erat asperi ingenii, parum affabilis et comis, aliena appetens, pecuniæ cupidus, et rei bellicæ perquam studiosus. Sumarlidius ingenio Brusii erat similis; hic fratrum natu erat maximus, sed brevissime vixit, et morbo mortuus est. Post ejus mortem Thorfinnus partem Orkadum, quam suam esse putabat, postulavit. Cui Einar respondet, eum Katanesum et Sudurlandum, regnaque eo pertinentia, quæ pater Sigurdus possedisset, tenere; quam ditionem cum multo ampliorem æstimaret, quam trientem Orkadum, nullam partem Thorfinno concedere voluit; Brusius vero ex sua parte divisionem concessit: nolo enim, inquit, plus regni appetere, quam trientem, quem pleno jure possideo. Tum Einar duos insularum trientes in potestatem suam redegit, atque sic exstitit vir potens, parum vero gratiosus; neque deerat stipatorum frequentia, quavis enim æstate in piratica versabatur et prædas agebat, incolas regni magno rigore evocabat, minori vero successu pecuniarum parandarum in piratica utebatur. Hinc incolas laboris et sumtuum, quos facere hanc ob rem cogebantur, pertæsum est; dynasta vero eandem rigoris consvetudinem tenuit, neque passus est, quemquam contra dicere, cum vehementissimi ingenii esset. Qua re factum est, ut in ejus regno magna existeret annonæ caritas, propter labores incolis

---

[1]) Constructio: *aungr mann und skŷ-ranni, æri a) Einars b) hlŷra c), lèzt d) gjörr geðfrækn at verja grund ok til-sækja.* Hanc semistropham ignorat *G.*

a) orr (rect. *öri* id.), *K.* *b) annars,* perp., *I.* *c)* Sic *B,K,L; hlŷri, A.* *d)* Sic Hkr., quod constructio svadere videtur; *lèt, A.*

injunctos et sumtus necessarios, unde magna colonorum indignatio orta est. In ea vero regni parte, in qua Brusius erat, anni statu felicissimo et vitæ commoditate coloni fruebantur; unde hic omnium gratiam sibi conciliavit.

Cap. 92. Amundius nomen erat viro potenti et diviti, habitanti Sandvikæ in Löpandaneso, in Rosseya[1]. Hujus filius erat Thorkel, ex Orkadensibus corporis ingeniique dotibus instructissimus. Accidit vere quodam cum Einar dynasta more solito, copias et apparatum bellicum imperasset, ut coloni pro more graviter murmurantes rem ad Amundium deferrent, petentes, ut pro se apud dynastam verbis intercederet. Hic respondit: Dynasta iste, quem nobis præfectum habemus, aures minime præbet aliorum monitis, sed solum id, quod ipsi in mentem venerit, contendit; quare frustra erit, eum hac de re ullis precibus adire; bona vero inter me ac dynastam amicitia, quo loco res nunc sunt, intercedit; quod vero ingenium utrisque est, haud videtur periculo carere, si ab eo discedemus; quare hujus rei partes suscipere nullus volo. Itaque rem cum Thorkele, filio ejus communicant; hic primo invitus erat, sed tandem adhortationibus victus operam suam pollicitus est. Dynasta vero conventum habente, Thorkel nomine colonorum verba fecit, rogavit dynastam, ut incolis onera remitteret, qua necessitate coloni premerentur demonstrans. Dynasta moderate respondit, seque magni æstimaturum verba Thorkelis ostendit: statueram (inquit), sex naves imperare, nunc vero tres tantum impero; tu vero, Thorkel, ne posthac idem postules. Coloni ingentes gratias Thorkeli pro opera sua egerunt. Dy-

[1]) Rosseya s. Hrosseya, insula Orkadum maxima, nunc *Pomona* v. *Mainland*, vide Hist. Orkadensium. Hkr. h. l. habet *Krossey*, quam inter Orkades non invenio.

nasta in piraticam profectus est, et autumno rediit. Sequenti vere dynasta pro more classem imperavit, et conventum colonorum habuit. Hic Thorkel pro colonis verba fecit, rogans dynastam, ut iis parceret. Tum dynasta ira commotus, facturum se, ut res colonorum eo intercedente in pejorem locum deduceretur, minatus est; tumque tantam iram et furorem induit, ut significaret, se atque illum proxima æstate salvos in comitiis non adfuturos. Ita hic conventus exiit. Ut vero comperit Amundius, quid Thorkel ac dynasta inter se egissent, petiit a Thorkele, ut ex insulis migraret. Quare in Nesum[1] ad Thorfinnum dynastam trajecit, aliis amicorum in Norvegiam, aliis in alias terras diffugientibus. Thorkel diu apud dynastam versatus est, eumque intimo amore prosequebàtur, quam ob rem appellatus est Thorkel Alumnus; idem vir excellens erat. Multi potentes et clari viri, relictis herediis, ex Orkadibus aufugerunt. Cum vero Thorfinnus dynasta ad maturam ætatem pervenisset, misso ad fratrem, Einarem dynastam, pacis nuntio, regnum, quod in Orkadibus possidere sibi visus est, nempe tertiam insularum partem, postulavit. Einar dynasta se haud cupidum ostendit, regnum minuendi. Quo cognito, Thorfinnus dynasta, copiis e Kataneso evocatis, in insulas trajecit; quod ubi sensit Einar dynasta manum colligit atque eum insulis prohibere cogitat. Brusius manu quoque collecta, fratres convenit; quo reconciliationis interprete, pax facta est his conditionibus, ut Thorfinnus dynasta tertiam insularum partem, quæ jure ei erat, retineret; Brusius vero et Einar suas partes jungebant, quarum defendendarum princeps solus Einar esset: si vero uterque uno tempore non obiret,

[1]) i. e. Katanesum Skotiæ.

is, qui superstes esset, alteri in imperio succederet. Quod pactum neutiquam æquum visum est, nam Brusio gnatus erat, nomine Rögnvaldus, Einar vero dynasta filiis carebat. Thorfinnus dynasta præfectis suis regnum, quod ei in Orkadibus erat, custodiendum tradidit, ipse vero plurimum in Kataneso versatus est. Einar dynasta piraticas expeditiones facere perseveravit, nunc in Hiberniam, nunc in Skotiam aut Britanniam excurrens. Æstate quadam, cum in Hibernia piraticam exerceret, prælium cum Konofögro, Hibernorum rege, in Ulvreksfjördo[1] commisit, ut ante scriptum est, in quo Einar dynasta inferior discessit multosque suorum amisit. Sequenti æstate Eyvindus Uricornis, cum ab Hibernia in Norvegiam trajiceret, vehementi tempestate et æstu oceani abreptus, cursum in Sinum Asmundi[2] direxit; ibique aliquantum temporis detentus tempestate jacuit. Quo cognito Einar dynasta, magnis copiis eo profectus, Eyvindum Uricornem vivum cepit, et interfici jussit, omnes vero convectores ejus incolumitate donavit; qui in Norvegiam reversi, regi Olavo necem Eyvindi nuntiarunt. Rex etsi pauca respondebat, apparuit tamen, eum putare se magnum in Eyvindo damnum fecisse, gravemque sibi illatam injuriam; sed quæ ei valde displicuissent, de his plerumque pauca loqui solebat. Thorfinnus dynasta Thorkelem Alumnum in Orkades ad tributa exigenda misit. Cum vero Einar dynasta Thorkeli imputaret, quod Thorfinnus dynasta bello illato partem Orkadum suæ ditioni vindicare studuisset: Thorkel subito ex insulis Nesum reversus, Thorfinno significavit, se comperisse, Einarem vitæ suæ insidiaturum fuisse, nisi ab cognatis et amicis admonitus fuisset. Quare

[1]) Sic Hkr. et hæc historia supra p. 170; h. l. Ulvkelsfjördo, omnes. [2]) In insula *Rögnvaldsey*, vide supra p. 202 *).

alterutra conditio in promtu est, inquit, ut aut cum eo prælio decretorio decernam, aut longius ab eo, et quo ejus potentia non pertineat, me conferam. Dynasta hortatus est, ut Thorkel ad regem Olavum se conferret: magni enim, inquit, inter viros nobiles æstimaberis, quocunque venies; novi autem, quod tuum ac dynastæ ingenium est, vos brevi tempore arma invicem libraturos. Hinc factum est, ut Thorkel Alumnus eodem autumno in Norvegiam ad regem Olavum se conferret, apud quem per hiemem commoratus est, regique carissimus fuit. Rex Thorkelem sæpius ad privata consilia adhibuit, eumque prudentem et excellentem virum esse, ut re vera erat, perspexit; hoc ex sermonibus Thorkelis Alumni rex cito intellexit, quod de dynastis admodum diverse sentiebat, et Thorfinno dynastæ amicissimus erat, in Einarem vero dynastam gravius invehebatur. Itaque primo vere rex Olavus navem et legatos occidentem versus per mare misit ad Thorfinnum dynastam, ut se conveniret. Qui nuntius cum amicitiam et gratiam regis ferret, Thorfinnus iter minime negligendum putavit.

Cap. 93. Jam Thorfinnus dynasta orientem versus in Norvegiam ad regem profectus est, a quo liberaliter exceptus, multum ibi æstatis consumsit. Cum autem iter domum pararet, rex Olavus ei bonam et magnam navem longam cum omni apparatu donavit. Tum Thorkel Alumnus se socium dynastæ adjunxit, ut cum eo occidentem versus rediret, cui dynasta navem, qua hac æstate ab occidente vectus fuerat, muneri dedit. Rex ac dynasta amicissime digressi sunt. Thorfinnus dynasta hoc autumno in Orkades pervenit. Quo cognito Einar dynasta exercitu numeroso collecto, in navibus excubuit. Brusius dynasta iterum utrumque fratrem convenit, petens, ut in gratiam red-

irent; quo hortante factum est, ut pacem facerent eamque jurejurando sancirent; tum quoque Thorkel Alumnus cum Einare in gratiam reconciliatus est, et constitutum est, ut alter ab altero exciperetur convivio, et dynasta prior frequentaret convivium Thorkelis Sandvikæ. Cum vero dynasta convivium adivisset, Thorkel maximo studio epulas instruxit; dynasta vero parum hilaris erat. Potabant in æde ingenti, quæ fores in utraque extremitate habuit.

Cap. 94. Constitutum fuerat, ut die, quo abiret dynasta, Thorkel eum ad convivium frequentandum comitaretur. Tum Thorkel viros in viam, ubi semita erat, qua hoc die proficiscerentur, præmisit. Hi reversi Thorkeli significant, se insidias tripartito dispositas reperisse: et dolos subesse existimamus, inquiunt, nam hi homines omnes armati erant, ut si ad prælium instructi essent. Quo audito Thorkel tardius se ad abeundum paravit, suspicatus, se ad cerevisiam non invitari, ut simulatum erat; quare suos comites convocavit. Dynasta hortatus est, ut se pararent, tempus enim esse abeundi; Thorkel multa esse, quæ curanda haberet, causatus, jam exiit, jam intravit. Ignes in pavimento ædis erant accensi, ad quos convivæ adsidentes potabant. Tum Thorkel alias fores intravit, comitatus viro Islando[1], nomine Hallvardo, qui forem post eum clausit. Thorkel per pavimentum inter ignem et sedem dynastæ transiit. Dynasta quærit: nondumne paratus es? Cui Thorkel: jam paratus sum; et cum dicto caput dynastæ percussit, dynasta in ignem prostrato. Tum Islandus: hic omnes vidi maxima consilii inopia laborare, cum nemo dynastam ex igne extrahat; idem securi, quam manu tenebat, sub occiput dynastæ incussa, dyna-

[1]) gente Östfjördensi, add. *C.*

stam in scamnum retraxit. Thorkel ac socius aliis, quam ingressi erant, foribus exierunt, ceteris Thorkelis comitibus plena armatura instructis ad limen circumstantibus. Dynastam comites sui susceperunt, jam tum mortuum. Omnibus autem manus ceciderunt ad ulciscendum, tum, quod res subito acciderat, neque quispiam hoc factum ab Thorkele exspectarant, omnia enim, quæ inter dynastam et Thorkelem convenerant, rata putabant, tum quod plerique, qui intus erant, inermes fuere, multique aderant Thorkelis amici; accedebat, quod hunc fortuna longiori vitæ servavit, cumque egressus esset, non pauciores habuit copias, quam dynastæ comites. Hinc in navem suam regressus est, dynastæ vero comites abierunt. Thorkel confestim orientem versus mare ingressus est, post initium hiemis, et rebus salvis et integris in Norvegiam delatus, quam celerrime se ad regem Olavum recepit; qui eum benignissime excepit, et quod factum erat probavit. Hic honorificentissime habitus hiemem transegit.

Cap. 95. Post[1] cædem Einaris dynastæ Brusius dynasta partem regni, quam tenuerat, in potestatem suam redegit, multi enim noverunt, qua lege fratres inter se societatem fecerant, si alter altero prior obiisset; hoc vero Thorfinno dynastæ æquissimum visum est, ut quisque eorum dimidium insularum teneret. Brusius tamen hac hieme duos trientes regni tenuit. Sequenti vere Thorfinnus dynasta dimidiam insularum partem a fratre Brusio postulavit[2], addens, quod ingenium Brusii esset, satis esse, si trientem haberet. Equi-

[1]) Hic iterum incipit *E.* [2]) Brusio non concedente, quare conventus et congressus his de rebus habuere; tandem amici intercedebant, ut rem componerent, eoque res venit, ut Thorfinno nihil probaretur, nisi ut dimidium insularum teneret, add. celeri.

dem triente regni, ait Brusius, quem patre mortuo hæreditate acceperam, contentus fui, cum non esset quisquam, qui hunc a me postularet; nunc vero alterum trientem fratre mortuo, ex pactis legitimis, hæreditate accepi. Etsi vero vires meas superat, tecum, frater, contendere, tamen aliam rationem inibo[1], quam ut regnum illiberaliter et humiliter abdicem; neque statui, alieno patrocinio destitutus, frater, tecum contendere, qui Skotorum regis, avi tui materni, tutela nitaris. Post hæc Brusius dynasta itineri se accinxit, et terra relicta orientem versus in Norvegiam ad regem Olavum profectus est, adducto filio Rögnvaldo, decenni. Rex advenientem bene excepit. Dynasta regi causam adventus aperit, de omnibus, quæ se ac fratrem intercessissent, exponit, auxilium petit, ut regnum ab Thorfinno dynasta intactum tenere possit, et vicissim suam amicitiam pollicetur. Rex respondens primo docet, Haraldum Pulcricomum omnibus Orkadensium herediis potitum fuisse, posteaque dynastas præfecturam regni fiduciariam, nunquam jure possessionis, obtinuisse: cujus rei signo est, ait rex, quod dynastæ Eiriko Blodaxæ et filiis in Orkadibus commorantibus obsequium præstiterunt; Olavo vero Tryggvii filio, cognato meo, ad Orkneyas appulso, Sigurdus pater tuus se subjecit: cum vero totum patrimonium ad me, mortuo Olavo pervenerit, hanc conditionem tibi propono, ut mihi subjectus sis. Quod si feceris, fiduciariam insularum præfecturam tibi committam, quo facto, si auxilium tibi præstitero, experiemur, an tantum tibi utilitatis hoc auxilium præstet, quantum Thorfinno dynastæ Skotorum regis auxilium. Quam conditionem si acceptare non vis, possessiones, quæ mihi in Occidente sunt, quasque majores mei

[1]) Hic lacuna incipit in *I.*

tenuerunt, repetere in animo est. Dynasta hanc rem animo pensitavit, et coram amicis exposuit, consilium eorum quærens, quid responsi daret, an hac accepta conditione pacem cum rege faceret et ei se subjiceret: incertum vero mihi est, ait dynasta, si hoc recusavero, quæ nobis digredientibus sors me mansura sit; rex enim aperte professus est, quod jus possidendarum Orkadum habere sibi videatur. Cum vero imperiosus sit, et nos jam in manus ejus venerimus, facili negotio, ut ipsi visum fuerit, in nos consulet. Etsi vero utraque conditio suis incommodis laborare videbatur, tamen dynasta hanc præposuit, rem totam suumque regnum fidei regis committere. Itaque rex potestatem et imperium in dynastam et omnes ejus terras hereditarias suscepit. Quo facto dynasta, interposito jurejurando, regi se subjecit.

Cap. 96. Jam Thorfinnus dynasta, cognito, fratrem orientem versus in Norvegiam ad regem Olavum auxilii petendi causa trajecisse, cum olim regem Olavum conveniens, in amicitiam ejus pervenisset, et se apud eum gratia valere putaret, nossetque multos causæ suæ patrocinaturos, sperans, si ipse advenisset, plures fore: hoc consilii cepit, ut, itinere quam celerrime comparato, orientem versus in Norvegiam navigaret, quod putabat, fratrem Brusium non adeo præcurrisse suum domo abitum, ut ejus negotia conclusa et dijudicata essent, ante quam ipse regem conveniret. Sed hæc aliter, atque opinatus est, evenerunt, nam cum Thorfinnus dynasta regem convenit, pacificatio inter regem et Brusium dynastam exacta et confecta erat; neque novit, Brusium regno se abdicasse, prius quam regem Olavum convenerat. Ut vero congrediebantur rex Olavus et Thorfinnus dynasta, rex Thorfinnum dynastam de eo-

dem jure possidendarum Orkadum compellavit, de quo antea Brusium dynastam compellaverat, idem postulans, ut quam regni partem antea possedisset, hanc regi concederet. Dynasta ad postulata regis liberaliter et moderate respondit, dicens, se plurimi facere regis amicitiam: et si meum auxilium amicitia tua redimere cupis, ut hoc tibi præstem, optime de me meruisti; sed officium vetat, quo minus tibi obsequium præstare possim, cum regi Skotorum me subjecerim. Cum vero rex Olavus animadverteret, responsa ejus de hac re, quam postulare inceperat, cunctationem præferre, locutus est: si mihi subjectus esse non vis, dynasta, restat, ut quem libuerit insulis præficiam; volo autem, ut jures, te has terras nullo juris titulo postulaturum, et quos præfectos terræ custodiendæ constituero, his securitatem concessurum. Quarum conditionum si neutram acceptare vis, bellum abs te metuendum putabunt, qui tuendis terris præficientur; quare mirum tibi videri non debet, si monticulus valli occurrat (si vis vi repellatur). Dynasta respondens petiit a rege, ut tempus deliberandi sibi permitteret; annuit rex, eique satis temporis ad deliberandum, veniamque suos de hac re consulendi concessit. Dein[1] dynasta a rege petiit, ut tempus sibi concederet in sequentem æstatem, primoque domum redeundi veniam permitteret, domi enim esse optimos consiliarios suos, se vero ob puerilem ætatem consiliis immaturum. Rex eum statim utrumvis eligere jussit. Thorkel Alumnus, qui tum apud regem Olavum versabatur, homines clam ad Thorfinnum dynastam misit, rogans, ne hoc consilii capiat, quicquid tandem in animo habuerit, ut hac vice ab Olavo gratia non reconciliata digrediatur, cum manibus velut inclusus teneatur.

[1]) Hic iterum incipit *G.*

Quibus admonitionibus intellexit dynasta, hanc solam restare conditionem, quo loco res tum erat, ut rem arbitrio regis permitteret; quamquam non admodum exoptabilis conditio erat, patrimonii spem abjicere, et jurare, ut regnum quiete tenerent, ad quos ea possessio nullo jure pertinebat. Cum vero de reditu metueret, elegit, se fidei regis tradere eique subjectus esse, quemadmodum Brusius fecerat. Sensit rex, Brusium multo moderatioris ingenii esse, quam Thorfinnum dynastam, et hunc ægerrime ferre omnem dominationem intellexit; quare ei minus de præstanda fide quam Brusio dynastæ, credidit; perspexit enim, Thorfinnum dynastam, quamvis hanc iniret pacificationem, in Skotorum regis auxilio spem habere repositam. Rex ingenii sagacitate intellexit, Brusium omnia pacta invitum inire, hoc vero solum polliceri, quod præstare decrevisset; contra ea Thorfinnus dynasta, cum consilii capiendi rationem decreverat, celeriter et lubenter ad omnes pactiones accessit, quæ a rege postulata et pacta fuerant, nihil moratus. Quare suspicabatur rex, eum quædam promissa migraturum.

Cap. 97. Cum rex Olavus omnes conditiones animo perpendisset, frequentem indici conventum jussit, quo dynastas convocavit. Tum rex: nunc pactionem inter me et dynastas Orkadenses notam populo faciam: hi jam mihi jus possessionis in omnes Orkades et Hjaltlandiam concesserunt, meo dominio se subjecernnt, et hæc utrique jurejurando confirmaverunt. Itaque Brusio trientem insularum, item Thorfinno alterum trientem, quemadmodum antea habuerunt, ut præfecturam fiduciariam tradere volo; eum vero trientem, qui Einari Rangmudo, fratri eorum, fuit, meo fisco addico, eo quod hic Eyvindum Uricornem, aulicum meum et carum socium, in-

terfecit; quem trientem pro arbitrio administrare volo; hoc quoque a vobis postulo, ut cum Thorkele Alumno, Amundii filio, in gratiam redeatis de cæde Einaris, fratris vestri; cujus rei[1] arbitrium penes me esse volo, si consentire vultis. Dynastæ de his, ut aliis, regis voluntati omnino assensi sunt, et prodiens Thorkel Alumnus judicium hac de re regis arbitrio permisit. Sic hic conventus finitus est. Rex Olavus multam pro cæde Einaris dynastæ, ut pro tribus præfectis, constituit, cujus triens ob crimen (cæsi) remissus est. Quo facto Thorfinnus dynasta, venia abeundi ab rege impetrata, iter quam celerrime paravit. Qui cum esset omnino paratus, accidit die quodam, dynasta in nave poculis indulgente, ut Thorkel Amundii filius subito adveniret, et caput suum genu dynastæ imponeret, jubens eum de eo, quicquid vellet, statuere. Dynasta, cur ita ageret, quæsivit: ex regis sententia in gratiam rediimus; surge, Thorkel! Ille sic fecit. Thorkel infit: ea pactione, quam inter me ac Brusium rex fecit, contentus sum; quod vero ejus ad te spectat, tui solius arbitrio relictum esto, quicquid ante pactum fuerit. Nam etsi mihi rex possessionum et in Orkadibus manendi potestatem integram fecerit, tuum tamen ita ingenium novi, ut ibi considere mihi minime integrum sit, nisi plena tua fide adjuto; quam si non impetro, spondeo, me nunquam Orkades aditurum, quicquid rex ea de re sanciverit. Dynasta tacuit et sermonem tardius orsus infit: si potius cupis, Thorkel, me de rebus nos intercedentibus ferre sententiam, quam regis judicio stare, hoc initium faciam reconciliationis nostræ, ut nunc statim in Orkades redeas ibique maneas, neque a me, nisi mea accedat venia, discedas, atque tenearis, regnum meum

[1]) Hic iterum incipit *D*.

defendere, et omnia, quæ tibi injunxero, facere, quoad uterque nostrum in vita erit. Thorkel respondet: hæc tui sint arbitrii, velut alia, quæcunque in mea potestate sunt. Tum Thorkel iterum ad dynastam accessit, atque se, quod decreturus esset, facturum spopondit. Dynasta declaravit, se postea multam constituturum, et in hanc rem Thorkelem jurejurando adegit; quo facto se comitem dynastæ adjunxit. Thorfinnus dynasta ut primum secundum ventum nactus est, vela dedit, nec unquam postea in conspectum regis Olavi venit. Brusius dynasta aliquanto diutius moratus est, et abitum minori festinatione paravit. Ante vero quam abiret, rex Olavus eum ad se arcessi jussit, et ita locutus est: statui, tuæ, dynasta, fidei res meas in Occidente committere, quare tibi duos trientes insularum administrandos meumque insuper patrocinium decerno, ut te adversus fratrem Thorfinnum jure defendere queas. Res erat Brusio gratissima, duas imperii partes tenere. Quo facto haud diu in Norvegia moratus, eodem autumno in Orkades pervenit. Reliquerat apud regem Olavum filium Rögnvaldum, qui ceteros homines oris venustate superabat, magna coma et bombycis instar flava decorus, prima jam ætate magna statura et viribus, prudentia et animi fortitudine præstantissimus. Idem postea longo tempore cum rege Olavo versatus est[1].

Cap. 98. Cum fratres, Thorfinnus dynasta et Brusius dynasta, occidentem versus in Orkades pervenerant, Brusius duos trientes, Thorfinnus unum administrandum suscepit. Hic crebro in Kataneso aut in Skotia commoratus est, procuratorem vero insulis præfecit. Hinc regni custodia penes solum Brusium erat; eo autem tempore hæc loca

[1]) H. l. add. *C,D,E,F,G,H,I,S* unam stropham, quam vide in Hkr. hist. Ol. sancti c. 108.

rapinis erant obnoxia, quod Dani et Nordmanni piraticam in Occidente exercentes, cum occidentem versus[1] aut ab occidente proficiscerentur, ad insulas frequenter appulerunt et promontoria deprædati sunt. Brusius dynasta Thorfinnum fratrem reprehendebat, quod nullam classem expediret, neque insulas aut Hjaltlandiam defenderet, cum tamen tributa et census ex sua parte ad se redigeret. Hinc Thorfinnus dynasta fratri obtulit, ut ipse duas regni partes administraret, ille vero tertiam, tumque se solum regni custodiam acturum. Etsi vero hæc divisio non statim confieret, factam tamen esse, produnt historiæ dynastarum, ita, ut Thorfinnus duas partes teneret, Brusius vero unam; quod tamen non accidit, priusquam rex Knutus, cæso Olavo, regnum Norvegiæ in potestatem suam redegisset. Fuit Thorfinnus dynastarum Orkadensium præstantissimus et potentissimus: in potestatem suam redegit Hjaltlandiam, Orkades, Hebrides, magnamque in Skotia et Hibernia ditionem[2], et rei bellicæ studiosissimus fuit. Dynastiam quinquennis accepit, eamque per sexaginta hiemes aut amplius tenuit. Morbo mortuus est, vergente imperio regis Haraldi Sigurdi filii, Brusius vero dynasta, paulo post cædem regis Olavi Sancti, regnante Knuto Potente, obiit.

Cap. 99. Jam unde digressa est narratio, revertendum. Rex Olavus pacem cum Olavo Svionum rege fecerat, eoque facto boream versus in Thrandheimum se contulerat; tum quinque hiemes rex fuerat. Eodem autumno, comparatis rebus ad hiemandum necessariis, Nidarosi sedem habuit. Hac hieme Thorkel alumnus apud regem Olavum versabatur, ut ante scriptum est. Rex

[1]) Hic lacuna incipit in *E*. [2]) Hoc loco *C*, et qui eum sequuntur Codices, inserunt semistropham, vide Hkr. hujus Hist. c. 109.

Olavus diligenter de incolarum cultu religioso perquisivit, atque comperit, negligi omnio fere religionem in superiore Halogia, in Nömudalo autem et Thrandheimo interiore multis vitiis laborare. Vir erat nomine Harekus, filius Eyvindi Skaldaspilleris, habitans in insula Thjotta, Halogiam præjacente. Eyvindus, pater ejus, pecuniis quidem non[1] dives fuerat, sed amplo genere natus et magnanimitate insignis. Thjottam incolebant vilioris conditionis rustici, neque admodum pauci. Harekus primo prædium modicum in insula emit, ibique habitavit; sed intra pauca[2] semestria omnibus colonis, qui antea ibi habitaverant, abactis, totam solus insulam incoluit, ibique magnificam villam exstruxit. Idem brevi ditissimus et sapientissimus evasit. Multum ejus auctoritas apud reges valuerat; erat nempe regibus Norvegiæ cognatione junctus, quare in amicitiam principum Norvegicorum pervenerat. Gunnhilda, avia paterna Hareki, erat filia Halvdanis dynastæ et Ingibjargæ, filiæ Haraldi Pulcricomi. Harekus jam ætate erat provectior, quando res mox dicendæ acciderunt; in tota Halogia vir erat honoratissimus, longo tempore commercia Finnica exercuerat et negotia regia in Finnmarka obierat, quam præfecturam interdum solus gesserat, interdum cum aliis communicaverat. Harekus regem Olavum non quidem convenerat, sed amici inter eos nuntii intercesserant; et qua hieme rex Olavus Nidarosi considebat, iterum nuntii inter eos mearunt. Tum rex Olavus significavit, se sequenti æstate ad septemtrionales regni fines profecturum, quam profectionem Halogi diversis animis præcipiebant.

Cap. 100. Sequenti vere rex Olavus quin-

[1]) Negationem addunt *C,F,G,L,I*, in verbis nonnihil variantes. [2]) Sic ceteri; eodem semestri, *A*.

que naves expedivit, trecentis fere viris instructas. Ut vero sese paraverat, primo boream versus secundum litora contendit. In provinciam Nömudalensem delatus, conventus colonorum habuit, et quovis conventu rex salutatus est; hic quoque leges jussit recitari, quibus religionem totius regni populo imperaverat, vitæ, membrorum et omnium bonorum jacturam cuique interminatus, qui leges christianas observare noluisset, haud paucis gravissimas pœnas irrogans, tam potentioribus quam pauperibus, nullo discrimine. Ita e quavis provincia discessit, ut omnes incolæ se leges christianas veramque religionem observaturos polliciti sint; plerique vero viri potentes et coloni ampliores regem conviviis exceperunt. Hoc pacto boream versus usque in Halogiam pertendit. Harekus de Thjotta regem summo studio excepit, conviviumque magna hominum frequentia et ornatissimo apparatu instauravit. Tum Harekus ab Olavo rege præfecti dignitate ornatus est, tantisque auctus conviviorum commodis, quanta olim sub prioribus regibus habuerat.

Cap. 101. Vir fuit nomine Grankel sive Granketil, dives colonus, et tum temporis ætate provectior. Hic juvenili ætate piraticæ operam dederat et insignis bellator fuerat, et plerisque rebus, quæ ad artes pertinebant, excelluerat. Filio ejus nomen erat Asmundus, patri in plurimis similis aut aliquanto præstantior; et multorum sermo fert, eum plurimas ob res, prudentiam, virium magnitudinem, et artium peritiam tertium fuisse virum omnium, quos habuerit Norvegia, ab artibus instructissimum; primum quidem Hakonem Adalsteinis-alumnum, secundum vero Olavum Tryggvii filium. Grankel regem Olavum ad convivium invitavit, quod summo studio et

magnificentissime instruxit, regemque amplissimis donatum muneribus dimisit. Rex Asmundo prolixis verbis mansionem secum obtulit, cui fortunæ beneficio repugnare nolens Asmundus, se regi socium itineris adjunxit, ejusque deinde ministerio addixit, et in intimam regis amicitiam pervenit. Rex Olavus maximam æstatis partem in Halogia consumsit, et singulos tractus comitiales obiens, universos incolas ad christianismum perduxit. Hoc tempore in Bjarkeya habitavit Thorer Canis, vir in provinciis borealibus potentissimus; hic præfectus regis Olavi constitutus est. Multi potentes colonorum filii regi Olavo se socios itineris adjunxerunt. Procedente æstate a borea reversus, per sinum Thrandheimicum navigans Nidarosum contendit, ibique hiemavit. Hac hieme Thorkel Alumnus, postquam Einarem dynastam[1] interfecerat, ex Orkadibus advenit. Eo autumno magna fuit in Thrandheimo frumenti inopia, cum antea felix annonæ status fuisset, quæ inopia in boreales usque regni partes pertinebat, et hoc gravior, quo magis ad boream vergebat; sed in australi[2] regni parte, nec non in Upplandis læta erat frumenti copia. In Thrandheimo autem gravitatem annonæ valde levabat residui frumenti copia.

Cap. 102. Interea hoc novi[3] accidit, quod rex Olavus fama cognovit, colonos circa initium hiemis magna et frequentia convivia, largasque compotationes celebrare; item omnia pocula Thori et Odini, Freyæ et Asis more antiquo consecrari; nec non boves et equos mactari, horum sangvine aras deorum illini, et sacrificia palam fieri, hac adhibita formula, quod hæc ad levandam annonam fierent. Huc accessit, quod omnes

[1]) *Rångmunn*, add. *D,G,I,L,S.* [2]) Hic incipit lacuna in *I.*
[3]) In Thrandheimo Interiore, add. *C,D,G,L.*

homines persvasum habebant, deos iratos esse, quod Halogi ad religionem christianam se convertissent. Quibus rebus cognitis, rex, missis in Thrandheimum Interiorem nuntiis, colonorum quosdam nominatim arcessi jussit. Vir fuit nomine Ölver ab Eggja[1], a prædio quod incolebat denominatus, potentia et generis amplitudine valens. Hic colonorum nomine princeps legationis ad regem missus est. Qui eum ad regem pervenissent rex hæc crimina eis intentavit. Ölver pro colonis verba fecit, dicens, colonos præcedente autumno nullas epulas sacrificiales celebravisse, præter domestica convivia et compotationes circuitorias, et epulas amicis a quibusdam paratas. Quæ vero tibi, domine, relata sunt de verbis, quæ Thrandheimi Interioris incolæ faciamus, omnes homines norunt, ab talibus sermonibus abstinere, quo tamen nomine minime purgatos volo homines stultos aut nimia cerevisia furentes. Cum Ölver magna facundia et loquendi libertate insignique prudentia præditus esset, colonos horum criminum purgavit. Ad ultimum rex dixit, Interioris Thrandheimi incolas sibi ipsos testes fore, qua fide religionem colerent. Mox omnes coloni, venia redeundi ab rege impetrata, ut primum data facultas est, domum reverterunt.

Cap. 103. Post eadem hieme regi relatum est, colonos frequentem conventum Mæriæ[2] habere, ibique ingentia sacrificia media hieme celebrari, incolas nempe sacra diis facere, ad pacem et bonam hiemis tempestatem expetendam. Quæ cum certo comperisse rex sibi videretur, missis in Thrandheimum nuntiis, colonos ad oppidum (Nidarosum) excivit, quos visum est quosque pruden-

---

[1]) Nunc *Egge*, ad sinum Steinkerensem, *Geogr. Oplysn.* p. 237. [2]) Mæria, prædium Thrandheimi Interioris, splendido olim fano nobile.

tissimos existimavit, nominatim arcessens. Coloni iterum habito conventu inter se de hoc nuntio collocuti sunt, quorum quotquot antea hac hieme regem adierant, hi ad hanc suscipiendam profectionem erant invitissimi. Universorum vero colonorum preces Ölveri hanc provinciam iterum injungebant. Hic cum in oppidum venisset, mox regem adiit; initoque colloquio rex colonos, quod media hiemis sacrificia celebrarent, insimulavit. Ölver respondet, colonos omnes solere festi Jolensis tempore, multis provinciarum locis, compotationes agitare: at vero coloni convivia Jolensia haud semper adeo exacte[1] instruunt, ut non semper magnæ supersint reliquiæ. Ita quoque nunc, domine, res erat, quod has (cerevisiæ) reliquias diu post potavimus; est autem Mæriæ villa capitalis, ut nosti, multis circumdata prædiis; et multum ad delectationem facere vulgo existimatur, in frequenti consessu compotare. Rex ad hæc pauca respondit, ira vehementiore commotus, quod se veriora scire existimavit, quam quæ tum aperta erant; et colonos reverti jubens: brevi, inquit, verum comperiam, etsi rem fateri non vultis; utut autem ad hoc tempus res se habuerit, cavete, ne talia sæpius faciatis. Coloni domum reversi, de eventu itineris exposuerunt, et regem vehementer iratum esse significarunt.

Cap. 104. Sequenti vere, in festo Paschatis, rex magnum convivium instauravit, ad quod multos homines, colonos et oppidanos invitaverat. Elapso autem festi tempore, naves in mare deduci, armamenta et remos apportari, navesque tabulatis et tentoriis insterni jussit, ut omnibus adornatæ ad pontes starent. Rex Olavus post festum Paschatis nuntios in Veradalum misit. Vir erat nomine Thoraldius, procurator regius, qui

[1]) parce, *C,G,L,S.*

prædium regium, quod Högi erat, administravit; huic rex nuntium misit, ut se quam celerrime conveniret. Thoraldius, regi dicto audiens, cum legatis regiis ad oppidum confestim profectus est. Rex eum ad secretum colloquium accitum interrogavit, an verum esset, quod de cultu incolarum Thrandheimi Interioris fama accepisset, an eo immanitatis processerint, ut se totos ad sacrificia convertissent. Thoraldius respondet: hoc tibi dicam, quod huc in oppidum liberos meos, uxorem et omnia bona mobilia, quæ mecum vehere potui, deportavi; si vero narrationem de hac re a me postulas, tui hoc arbitrii erit, nam mihi meaque familiæ prospicies, quod mihi quoque erit perquam salutare. Rex: responde ad ea, quæ interrogavi; tibi nihil mali accidet. Thoraldius: vere tibi, domine, ut res est dicam, homines pagani religione sunt, quamvis nomine nonnulli sint baptizati. Apud eos more receptum est, autumno sacrificium celebrando hiemi gratulari, alterum sacrificium media hieme, tertium ineunte æstate, ut æstati gratulentur. Hanc rem administrant Eynenses et Sparbyggi, Veradalenses et Skönenses; ex his duodecim principes epulas sacrificiales curant, Ölver autem colonus ab Eggja convivii proximo vere struendi curam suscepit, et jam magnis negotiis Mæriæ distinetur, huc enim omnes res, ad convivium necessariæ, devectæ sunt. Rex, veritate rei explorata, copias tuba convocari jussit, suisque edicere, ut naves conscendant; constituit qui naves gubernarent, et quam navem singuli conscenderent. Abitus celeriter properatus est. Rex quinque ducens naves et tres[1] militum centurias, per interiora sinus contendit; ventus erat secundus, quare naves, vento incitatæ, sinum sine mora percurre-

[1]) quatuor, *G.*

bant; præter omnium autem adversariorum opinionem accidit, ut rex tam cito ipsis superveniret. Rex eadem nocte Mæriam pervenit; ædes corona militum cinctæ; Ölver vivus captus et interfectus, multique alii; rex vero totum commeatum occupavit ad naves deportari jussit, nec non omnia bona mobilia, suppellectilem, vestes, resque pretiosas eo allatas, quæ omnia inter suos divisit; suos quoque jussit, armata manu domi aggredi viros et colonos, qui his consiliis se potissimum adsociasse videbantur; quorum alii capti et in vincula conjecti sunt, alii fuga evaserunt, aliorum bona direpta; quo facto colonos ad concilium convocavit. Cum vero rex multos potentes viros captos in custodia teneret, horum consangvinei rationibus adducti obsequium regi polliciti sunt, ut mortem effugerent; unde factum, ut nulla rebellio adversus regem eo tempore in Thrandheimo existeret. Rex universos ejus provinciæ incolas ad veram religionem convertit, sacros doctores constituit, et templa consecrari jussit; Ölverem jure cæsum declaravit, omnesque pecunias, quæ ei fuerant, confiscavit; quos autem erga se maxime deliquisse existimavit, horum alios interfici, alios manibus aut pedibus truncari jussit, alios regno expulit, alios facultatibus spoliavit. His peractis rex Nidarosum reversus est.

Cap. 105. Vir erat nomine Arnius Armodi[1] filius, qui in matrimonio habuit Thoram, filiam Thorsteinis Galgii (Crucis). Horum liberi fuere: Kalvus, Finnus, Thorbergus, Amundius, Kolbjörn et Arnbjörn; Arnius nomen erat natu minimo. Filia eorum erat Ragnhilda, quam Harekus de Thjotta duxerat. Arnius erat præfecti dignitate,

[1]) Arnmodi, *S;* quod rectius videtur; hujus posteri recensentur in genealogia Arnmodidarum *(Arnmæðlingatal)* mscr.

potens et illustris regique Olavo amicissimus. Hoc tempore apud regem versabantur filii ejus, Kalvus et Finnus, et gratia multum valebant. Uxor, quæ Ölveri ab Eggia fuerat, erat juvenis et formosa, generis amplitudine et divitiis conspicua, quæ conditio eximia videbatur, ejus vero elocandæ jus penes regem tum erat; erant ei ex Ölvere duo filii juvenes. Kalvus Arnii filius a rege petiit, ut uxorem, quæ Ölveri fuerat, sibi nuptum daret: quod rex amicitiæ gratia ei tribuit, et insuper omnes possessiones, quæ Ölveri fuerant, concessit, eum præfectum suum constituit, et præfecturæ Thrandheimi Interioris præfecit. Quo facto Kalvus, qui insignis erat prudentiæ, magna auctoritate florere cœpit.

Cap. 106. Tum Olavus septem[1] hiemes rex Norvegiæ fuerat. Illa æstate dynastæ Orkadenses, Thorfinnus ac Brusius ad eum venerunt, quorum regno rex Olavus eodem tempore potitus est, ut supra demonstratum est. Eadem æstate rex Olavus utramque Mæriam, et autumno Römsdalum obiit. [Hic navibus in terram egressus est, et in Upplanda profectus, pervenit in Lesjas[2]; hic omnes summæ auctoritatis viros, tam in Lesjis quam Dovris, captivos duxit, qui coacti sunt aut religionem christianam amplecti, aut mortem pati, aut regno profugere, qui quidem hujus facultatem habebant. Qui vero religionem christianam amplexi sunt, regi filios suos obsidum loco et fidei firmandæ causa tradiderunt. Rex pernoctavit in Lesjis, in prædio Borris[3] dicto, cui sacerdotes

[1]) Quatuor, *G.* [2]) Ita ceteri; omittit *A*, prave, ut puto; nam et displicet h. l. [vocula *inn*, quæ ex bis repetito *um* orta videtur, et *þar* in hoc contextu minus conveniens est. [3]) Nomen varie scribitur: *Bærar, B; Bær, D; Lóar,* prave, *S; Bora,* in sing., *K; Borur, C; Rorar* cet.

præfecit. Hinc per Orkadalum et Ljordalum[1] profectus, devenit in locum, Stafabrekkam dictum; labitur autem per vallem amnis, Otta[2] dictus, qui utrinque tractum habitatum habet Loas dictum. Hic rex, cum per pagum, quantum in longitudinem patebat, prospectus esset, locutus est: damnum est, pagum tam amœnum incendio vastari. Hinc deductis per vallem copiis, in prædio, quod Nesum dicitur, pernoctavit, hospitio usus tabulato quodam columnis innixo, ubi ipse dormivit; quod tabulatum hodieque durat neque ab eo inde tempore refectum fuit. Hic rex quinque noctes hospitatus est, missoque belli nuntio, incolas Vagi et Loarum[3] convocavit, cui belli nuntio hoc addidit, ut aut secum prælio decertarent, aut incendiis rura sua vastari paterentur, aut christianam religionem acceptarent et filios suos obsides darent. Hi deinde regem convenerunt et ei se dediderunt, quidam vero in Dalos profugerunt.

Cap. 107. Gudbrandus Dalensis nominatus est vir, qui Dalis tanquam rex præfuisse dicitur, cum Ducis tantum titulo uteretur. Hunc Sigvatus poëta cum Erlingo Skjalgi filio comparavit his versibus:

Pugnator! unum novi
virum tibi similem; huic
Gudbrando nomen erat,
qui late terris imperavit.
Te, vir liberalis! et illum
pares vulgo existimari dico:
is vero falsum dicit, qui se
præstantiorem esse contendit[1].

---

[1]) Sic ceteri; Gaulardalum, *A.* [2]) *Orka,* perp., *S.* [3]) et Stedali, add. *C,D,G,L;* rectius Hedali.

[1]) Constructio: *Jálks a) brik-töpuðr b)! ek vissa einn annan líkan þèr: sá hèt Guðbrandr; gumna gætir rèð víðt c)*

Gudbrandus filium habuit, cujus hoc loco mentio fit. Gudbrandus, cognito, regem Olavum in Loas[1] pervenisse, et incolas ad amplectendam religionem cogere, secta belli sagitta, incolas ex universis Dalis ad villam Hunthorpum[2] dictam, convocavit; quo cum omnes convenissent, immensum effecerunt copiarum numerum: prope enim adjacuit lacus, qui Lögus[3] dicitur, unde hic conventus facile adiri navibus potuit. Gudbrandus concilium cum iis habens, ostendit, pervenisse in Loas[4] hominem, dictum Olavum: qui aliam, quam colimus, religionem nobis imperare, et deos nostros confringere vult, dicens, suum deum multo esse potentiorem et efficaciorem, quam deos nostros; et miror, eum dehiscente terra non absorberi, qui talia loqui audeat, deosque nostros pati, ut diutius incedat pedibus (incolumis vivat); mihi quidem persvasum est, si Thor, qui nobis semper in adversis rebus opem tulit, ex delubro et sacrario suo, ubi hac in villa stat, elatus Olavum et comites ejus adspexerit, fore, ut deus ejus, nec non ipse Olavus, deliquescat, in nihilum recidat, atque ad obtutum ejus elangvescat. Heic illi uno ore conclamantes declararunt, hunc Olavum, si in congressum eorum venisset, nunquam salvum aut vivum inde evasurum; neque aude-

---

landi d). Ormláðs e) hati! ek kveð ykkr báða þikkja jafnu. Hinn linnsetrs f) lægir g) lýgr, er telst betri at h) sèr.

a) Ita Hkr.; *jarls, A* et cet. Est vero *jálks brik,* tabula Odinis, clypeus. *b) töput,* in acc., *B,C,D,F,L,* ɔ: unum tantum pugnatorem. *c) vitr,* prudens, *D,F;* refer ad *gætir. d) landum,* in plur., ceteri. *e) orðláðs,* prave, *C.* Est enim osor auri, vir liberalis. *f)* Sic *G,L; láðsetrs, A; leggsetrs, B,C, D,F,S. g) leggir, K. h) er, K,L.*

[1]) Ita ceteri; Lesjas, *A.* [2]) *Gunnþorp, D; Hundþorp,* cet. [3]) Ita ceteri; *Lángr* (rect. *Laugr,* i. e. *Lavgr, Lögr), A.* [4]) Sic Hkr.; ceteri *Lesjar.*

bit, inquiebant, longius austrum versus, quam quo nunc pervenit, per Dalos procedere. Deinde septem hominum centurias constituunt, quæ boream versus in Breidam irent, quibus copiis filius Gudbrandi, octodecim annos natus, præfectus erat, multis viris illustribus eum concomitantibus. Hi tres noctes in villa, Hovo dicta, commorati sunt; huc magnus hominum numerus, qui religionem christianam aspernati ex Lesjis et Lois[1] profugerant, ad eos confluxit. Rex Olavus ac Sigurdus episcopus, constitutis in Lois ac Vago sacris doctoribus, Urgurastam transierunt, atque in Usam[2] devenerunt, ubi pernoctantes compererunt, magnas prope adesse copias, et Breidæ incolas se ad prælium adversus regem parare. Rex mane postero surgens, armaturam induit, et meridiem versus per Usudalos[3] contendit, neque destitit, priusquam in Breidam pervenisset, ubi ingentem adesse exercitum in procinctu stantem conspexit. Rex copias instruxit, et aciem ipse curavit, compellavit colonos et religionem christianam amplecti jussit. Illi responderunt: aliam hodie rationem inire, quam nobis illudere, necessum habueris. Et confestim bellicum clamarunt et armis scuta pulsaverunt. Tum regii procurrentes, hastas in colonos miserunt, qui statim terga verterunt, ut pauci essent relicti; hic filius Gudbrandi captus est, quem rex Olavus pace donatum secum duxit. Rex tribus[4] noctibus eo loco peractis, filium Gudbrandi allocutus: ad patrem, inquit, redi, eique dic, me brevi adfuturum. Ille domum redit, et patri has res narrat, se prælium cum rege Olavo commisisse: nostri autem ad unum omnes fugati sunt, ego vero captus, inquit,

[1]) *A* prave *Lóni* (pro Lóm); et Vago, add. ceteri. [2]) *Lídam*, *C,F*; Ösam, *G*; Lesjas, *L*. [3]) Suvallos, *C,G,K,S* et Hkr.; hodie *Sælsvold*. [4]) Quatuor, ceteri.

et ab rege vita donatus, jussusque te adire, et eum brevi adfuturum nuntiare; quare svadeo, pater, ne cum hoc homine manum conseras. Facile potest intelligi, ait Gudbrandus, cor totum e pectore tuo everberatum esse; sinistra fortuna domo exiisti! hæc tua profectio diu erit in memoria! et jam fidem habes perversis illis consiliis[1], quæ homo iste agitat, qui te tuasque copias gravi dedecore affecit. Sequenti nocte Gudbrandus per quietem vidit hominem ad se ambulantem, magna statura, vultu candido, qualem nunquam vidisse sibi visus est; qui, præsentia sua terrorem incutiens, sic fatus est: haud sane victricia arma filius tuus, Gudbrande, adversus regem Olavum tulit, tu vero multo majori ignominia ab eo afficeris, si cum eo pugnare cogitas, ipse enim cades, omnesque tui, vestraque cadavera lupi rapient et corvi discerpent. Hoc horrendo visu perterritus, Thordo Abdomini, qui alter erat vir in Dalis potentissimus, somnium retulit. Hic respondit: idem ipsum ego hac nocte in somnis vidi, id quod alicujus ominis esse puto. Mane sequenti omnes copias ad concionem convocant, et ostendunt, sibi videri, rationem esse, cum homine, qui a borea cum novis pæceptis venisset, colloqui, et quas rationes adferat, dispicere. Dein Gudbrandus filio: adi regem, qui tibi in prælio vitam concessit, undecim viris comitatus, eique dic, nos velle cum eo colloqui, et quid adferat, dispicere, deindeque, quid visum fuerit, decernere. Hi regem adierunt, eique hæc nuntiarunt, velle colonos primum cum eo colloqui, et in hunc congressum inducias facere. Rex sibi hæc bene probari significavit. Dein inducias ad has pactiones, donec præstitutum tempus exiisset, paciscuntur.

[1]) Deliriis, *C,D,G,S.*

His confectis redeunt, Gudbrando nuntiant, factas inducias, regemque ad villam Lidstados dictam, se contulisse, ibique pernoctare. Mox conventum adiit rex et cum colonis collocutus est. Die comitiorum cœlum erat valde pluvium. Rex surrexit et dixit, incolas Lesjarum et Loarum christianam religionem amplexos esse, sacraria sua et deorum simulacra confregisse, jamque in verum deum credere, cœli et terræ creatorem, qui res omnes noverit, tam præteritas, quam futuras. Quibus dictis rex resedit. Gudbrandus respondit: nescimus, quem deum loquare; deum vocas, quem nec tu, nec alius quisquam videt. Nobis vero deus est, quem quotidie videre est, magnæque efficaciæ, quo in comitiis præsente, terrorem pectora vestra subiturum opinor[1]. Cum vero contendatis, deum vestrum tam magnum et potentem esse, ut omnia efficere possit, cura faciat, ut cras cœlum sit nubilosum, non vero pluvium; tumque hic congrediamur. Rex in hospitium rediit, obside secum ducto filio Gudbrandi; alio vicissim viro tradito. Vespere rex filium Gudbrandi interrogavit, quomodo deus ipsorum factus esset. Ille retulit, effectum esse in speciem Thoris, malleum manu gestare, statura ingenti, nec viros esse eum magnitudine superantes; intus concavum, factumque [sub eo[2], quasi pulvinum[3], cui foris constitutus insistat; non deesse auri argentive ornatum, afferri quotidie quatuor placentas[4], et carnes pro portione, quorum nihil reliquum faciat. Dein regii cubitum ivere, rex vero pernox vigilavit, in precibus assiduus. Ubi diluxit, rex surrexit et vestes induit, templum adiit, sacra et missam sibi cani fecit, dein accu-

[1]) Hic incipit lacuna in *D*. [2]) Hic iterum incipit *E*. [3]) Intus, *C*. [4]) Suggestum, *B,C,E,G*.

bitum ivit, et denique comitia celebravit. Erat cœli status, qualem postulaverat Gudbrandus. His comitiis surrexit Sigurdus episcopus, stola indutus, mitram episcopalem capite, manu lituum gestans; colonos, ut fidem reciperent, hortatus est, multa enumerans miracula, quæ deus tam ante, quam post passionem patraverat; quibus dictis episcopus pulcre et scite peroravit. Huic reposuit Thordus Abdomen: multa loquitur cornutus iste, baculum manu gestans, superne instar cornu arietini curvum. Quoniam vero vos et vestri deum vestrum tot miracula effecisse contenditis, petite ab eo, ut cras solem et sudum reddat, solemque clare splendere faciat; tum nos iterum hoc loco congrediamur atque alterutrum faciamus, ut aut hanc rem inter nos componamus, aut prælium committamus. Hac vero vice re ita comparata digrediemur.

Cap. 108. Vir quidam apud regem Olavum versabatur, nomine Kolbein Robustus, ex Fjordis oriundus; hic ea armatura uti solebat, ut gladio cinctus esset, manu vero clavam ingentem nodosam, vulgo *Klumba* appellatam, gestaret. Rex Kolbeinem hoc die propc se, comitiis durantibus, consistere jussit. Deinde suis præcepit: hac nocte, quo loco naves colonorum sunt, concedite, has ab imo perforate, ut mari trajiciendo inutiles reddantur, jumenta vero eorum, quæ capere potestis, abigite. Totam vero noctem rex precibus dedit, deum precans, ut has difficultates benignitate et clementia sua expediret. Ut vero rex et episcopus sacra sub lucem absolverant, comitia adiit. Quo cum venisset, neminem ex colonis adesse animadvertit. Mox conspiciunt, magnam hominum multitudinem adpropinquarc, qui inter se ingens simulacrum hominis gestabant totum auro et argento splendens. Quod conspi-

cientes coloni, in comitiis constituti, omnes exsiluerunt et hoc monstrum flexis genubus venerati sunt. Simulacrum in media comitiorum area positum, ab altera parte colonis, ab altera rege ac suis considentibus. Tum surgens Gudbrandus Dalensis verba fecit: ubi nunc, rex, deus tuus? scilicet jam humi demittit barbam, et tu atque Cornutus iste, tibi adsidens, quem episcopum vocatis, jam minori insolentia, quam heri, utimini, adest enim hodie, qui vos compescat, rector totius mundi, acribus oculis vos intuens, cujus adventu vos perculsos et timoris plenos omnes video, ut suspicere vix audeatis. Quare superstitionem et vanitatem vestram deponite, et in deum nostrum credite, qui omnes res vestras manu sua tenet. Sic finem dicendi fecit. Rex Kolbeini Robusto præcepit, ita ut coloni non audirent: si me verba faciente ita accidat, ut coloni oculos a deo suo avertant, ei ictum quantum potes maximum infligito. Post hæc rex surgens locutus est: multa hoc mane, Gudbrande, in nos verba jactasti, miratus, te non posse deum nostrum conspicere, speramus vero, eum brevi ad nos venturum. Nos terres deo tuo, qui et cæcus et surdus est, neque sibi nec aliis opem ferre valet, neque loco moveri nisi gestatus potest, a quo malum prope abesse autumo. Spectate versus orientem, en deum nostrum, magna luce procedentem! Hoc tempore sol oriebatur, ad quem orientem coloni omnes ora convertebant. Eodem vero momento Kolbein simulacrum tanto ictu percussit, ut totum confringeretur, ex quo mures felium magnitudine, viperæ et serpentes excurrebant. Coloni vero tanto timore perculsi sunt, ut, quantum quisque posset, fugerent; ex quibus qui ad naves profugerunt, cum eas in mare detrusissent, ingerente se aqua, nusquam pervenire potuerunt;

qui vero jumenta capere voluerunt, ea non inveniebant. Dein rex colonos ad se convocari jussit, seque cum eis colloqui velle significavit; quare reversi denuo in comitiis consederunt. Tum rex Olavus surrexit et verba fecit: nescio, quid sibi velit strepitus ac tumultus iste! jam videtis, quid valeat deus vester, quem auro et rebus pretiosis ornavistis; videtis, qui alimenta ei data comederint, nempe serpentes, viperæ et mures. O stultos, qui talibus fidem habent, neque hanc stultitiam deponere volunt. Agite, suscipite aurum vestrum et res pretiosas, quæ campo hocce feruntur, et domum ad uxores vestras referte, nec unquam trabibus aut lapidibus imponite. Jam duæ præsto sunt conditiones, quas proponam, una, ut statim religionem christianam admittatis, altera, ut prælium mecum committatis, in quo victores discedant, quibus dederit deus, in quem credo. Tum surgens Gudbrandus Dalensis, locutus est: magnum in deo nostro damnum fecimus; cum vero sibi ipse opem ferre non potuerit, credo, eum nobis haud unquam posse quicquam auxilii præstare. Quare jam potius eum esse deum credamus, quem tu rex, et episcopus creditis. Ita omnes religionem christianam amplexi sunt. Episcopus Gudbrandum et filium ejus baptizavit, rex vero sacerdotes ibi constituit. Sic qui antea inimici fuerant, amici digressi sunt. Gudbrandus Dalensis ædem sacram prædio suo in Dalis exstruendam curavit.

Cap. 109. Post hæc rex Olavus in Heidmarkam profectus, hanc provinciam christianam reddidit; nam postquam reges hujus provinciæ ceperat, non ausus erat tantis rebus perpetratis statim plura regni loca obire, quare multa fuere loca, quæ in prima profectione ad christianam religionem perducere non licuit. In hac vero

profectione rex non prius destitit, quam tota Heidmarka ad christianismum perducta, templa his locis consecrata et sacerdotes constituti essent. Hinc in Thotnum et Hadalandum profectus, mores incolarum corrigebat. Inde in Ringarikum contendit, et omnes incolas ad christianismum perduxit. His peractis, Rŏmi fama certiores facti, Olavum eo iter facere statuisse, magna coacta hominum multitudine, inter se ita sunt collocuti: se nunquam posse profectionis, qua rex Olavus hanc provinciam proxime obiisset, memoriam deponere, neque commissuros, ut posthac unquam sic fines eorum transiret. Regi vero cum copiis Rŏmarikum peragranti ingens multitudo colonorum occurrit prope amnem, qui Nicia[1] dicitur. Qui ut congressi sunt, coloni statim initium pugnæ facere aggressi sunt; cum vero res eorum brevi adteri cœpisset, virgulæ salignæ instar resiluerunt, et plagis ad bonam frugem reducti sunt; tum enim a rege petierunt, ut pace uti, et religionem christianam accipere liceret. His rebus gestis, hanc provinciam obiens rex, non prius destitit, quam tota esset christiana facta et magna pars hominum baptizata. Inde orientem versus in Soleyas contendit, atque ea loca ad christianismum perduxit. Hic eum conveniens poëta Ottar Niger, petiit, ut in numerum aulicorum reciperetur. Eadem ante hieme obierat Olavus rex Svionum, tumque Önundus Olavi filius rex Svioniæ constitutus est. Rex Olavus in Rŏmarikium reversus, frequentia comitia in eo loco indixit, in quo loco comitia Heidsævensia ab eo tempore habita sunt[2], et lege sancivit, ut Upplandi ea comitia

[1]) Sic *C,E,G,S,L*; Mora, *A* et *cet.*; Nizia, Hkr.; hodie *Nitte-Elven*, a plaga japygis in lacum *Öjeren* influens. [2]) Ille locus omni procul dubio fuit, qui jam dicitur *Eidsvold*, situs ad extremam oram ingentis lacus *Mjörs*, qua orientem et meridiem spe-

frequentarent atque leges Heidsævenses per cuncta Upplanda, omnibusque aliis locis, in quibus ab eo tempore receptæ sunt, observarentur. Ineunte autem vere ad mare descendit, naves expediri jussit, et Tunsbergum se contulit, ubi hoc vere commoratus est, dum ibi maxima erat hominum frequentia, quo tempore commeatus ex aliis terris in oppidum creberrime subvehebatur. Hoc tempore in Vika læta erat annonæ ubertas, ad Stadum usque satis bona, inde vero in locis borealibus magna annonæ difficultas.

Cap. 110. Rex Olavus, missis in Agdas et Rogalandum atque Hördalandum nuntiis, vetuit, ne quis bynen aut far aut farinam his in locis venderet, simul significans, se eo cum copiis venturum, et convivia pro more obiturum. Hic nuntius omnes provincias mox memoratas permeavit, rex vero sequenti æstate in Vika commoratus, et ad fines usque regni profectus est. Einar Arcipotens, ex quo Svein dynasta, affinis ejus, obierat, apud Olavum Svionum regem versatus, et inter ejus satellites receptus fuerat, et ab eo magnam præfecturam administrandam acceperat. Mortuo autem Olavo Svionum rege, cupido cepit Einarem, in gratiam cum rege Olavo Crasso redeundi, qua de re nuntii hoc vere inter eos intercesserant. Cum vero rex in Albi se continebat, venit ad eum Einar Arcipotens, paucis comitatus, et cum rege de pacis conditionibus agebat; et convenit inter eos, ut Einar boream versus in Thrandheimum concederet, et omnes possessiones suas, nec non prædia, quæ Bergliotæ dotis nomine fuerant data, retineret. Quibus actis Einar septemtrionem versus profectus est, rex vero multum æstatis Borgæ consumsit.

ctat; cui proxime adjacens pars dicti lacus olim *Eidsæv* nominata fuisse videtur, et hinc orta vox Heidsævia. G. Schönning.

Cap. 111. Erlingus Skjalgi filius ita potestate sua usus est, ut, cum multo minoribus liberalitatibus, quam antea, uteretur, omnibus colonis inde a Pelago Sognico usque ad Lidandisnesum solus pro arbitrio imperaret, tantusque ab eo metus esset, ut omnia ad ejus nutum et arbitrium gererentur. Quæ potentia modi terminos excedere regi visa est. Vir nominatus est Aslakus Fitjaskallus, regi Olavo amicissimus, generis amplitudine et auctoritate illustris. Thorolvus[1] Strabo, pater Erlingi, et[2] pater Aslaki fratueles erant. Rex Olavus Aslakum in Hördalando Australi collocavit, eique magnam præfecturam et amplos reditus convivales concessit, jubens eum dignitatem suam adversus Erlingum tueri. At hoc non adeo facile erat, quando rex ipse non adesset; tum enim Erlingus omnia solus pro arbitrio constituit, neque ideo se leniorem Aslako præbuit, quod hic idem dignitatis fastigium affectabat. Horum commercia ita cesserunt, ut Aslakus in provincia manere minus tutum existimans, ad regem Olavum confugeret, eique de rebus inter se et Erlingum intercedentibus exponeret. Rex Aslakum apud se versari, donec Erlingum convenisset, jussit; eodemque vere Erlingum, misso nuntio, ad se arcessivit. Qui cum convenissent, et in colloquium secessissent, rex infit: ita mihi de tua, Erlinge, potentia relatum est, esse a Pelago inde Sognico usque ad Lidandisnesum neminem, cui per te sua uti libertate liceat, cum multi sint homines, qui jure a majoribus tradito hoc postulant, ut cum æqualibus æquo jure fruantur. Quæ insolentia magno semper malo fuit. Adest hic Aslakus, tibi cognatus, qui se deprimi a te et exagitari sentit; qui nescio utrum hoc mali justo crimine sibi contraxerit, an hoc ei imputandum sit,

[1]) Hoc nomen ignorant ceteri. [2]) Askel, add. *cet.*

quod eum rebus meis præfecerim. At vero etsi eum specialiter nomino, tamen multi sunt, qui de eadem injuria queruntur, tam ii, qui præfecturis præsunt, quam hi, quorum est prædia servare et convivia mihi meoque comitatui instruere. Respondet Erlingus: ad has objectiones cito respondendum, inquit, et pernegandum, me id crimini dare Aslako aliisve hominibus, quod tua obeant ministeria: illud autem fatendum, nunc esse, quod diu fuit, ut cognati nóstri inter se de principatu contendant; item hoc fatendum, me lubenter tibi, rex, cervices demittere; id vero mihi magis arduum fateor videri, Thoreri Phocæ me submittere, qui utrinque servili genere natus est, quamvis nunc tuus procurator sit, atque huic aliisve ejus similibus servire[1], quamvis eos magni facias (honoribus cumules). Hic amborum amici colloquio se interposuerunt, et rogarunt, ut gratiam inter se reconciliarent, dicentes, quod verum erat, neminem ea in terra esse, qui tantam regi operam, quantam Erlingus, præstare posset. Ex altera vero parte Erlingum rogarunt, ut regi cederet, dicentes, si in officio et amicitia regis maneret, ea, quæ vellet, facili negotio confecturum, modo mutua amicitia intacta esset. Talis itaque exitus fuit hujus conventus, ut Erlingus eosdem reditus, atque antea, haberet, sopitis omnibus, quæ rex Erlingo intentarat, criminibus: Skjalgus, filius Erlingi, ad regem se conferret et cum eo versaretur. Aslakus Fitjaskallus, his confectis, ad prædia sua rediit, et sic omnes verbo erant reconciliati.

Cap. 112. Vir erat nomine Sigurdus, Thoreris filius, frater Thoreris Canis de Bjarkeya; is in matrimonio habuit Sigridam, filiam Thorolvi Strabonis ab Jadare, Erlingi sororem. Horum

[1]) Hic lacuna incipit in *E.*

filius erat Asbjörn, qui prima jam ætate magnam de se spem faciebat. Sigurdus[1] habitavit Ömdæ[2] in Thrandarneso[3], divitiis et auctoritate plurimum valebat, et inter satellites regios receptus fuerat. Fratri tamen præstare visus est Thorer, quod regius præfectus erat, Sigurdus vero in re domestica nihilo minorem magnificentiam exhibere vulgo existimatus est. Solitus fuerat, dum pagana religio valeret, quavis hieme tria sacrificia celebrare, unum circa initium hiemis, alterum media hieme, tertium circa initium æstatis. Postquam autem religio christiana publice recepta est, eodem conviviorum more usus, autumno amicos epulis excepit, hieme convivium Jolense struxit, tertium festo Paschatis magna hominum frequentia celebravit; quam consvetudinem, quoad vixit, tenuit. Sigurdus morbo obiit, filio Asbjörne vicesimum annum agente, qui hereditatem patre mortuo adiens, priorem convivandi consvetudinem tenuit, et tria quotannis convivia more patris celebravit. Quo vero tempore Asbjörn patre mortuo rem domesticam administrandam suscepit, status annonæ et frugum proventus in deterius mutari cœpit. Sed juvit Asbjörnem magna, quæ reposita fuerat, vetusti frumenti aliorumque necessariorum commeatuum copia. Hoc elapso anno cum alter successisset, proventus frugum nihilo lætior, quam proximo anno, fuit, quare Sigrida mater conviviis supersedendum aut omnino aut ex parte censebat. Quod facere cum nollet Asbjörn, adiit amicos, et frumentum partim, ubi facultas erat, emit, partim dono accepit. Itaque hic annus sic exiit, ut Asbjörn omnia convivia more solito celebraret. Sequenti autem æstate, cum nulla

[1]) Ita ceteri; ille, *A.* [2]) *ÖmdJ Ömdr*, *A.* [3]) in præfectura *Tromsöen*, ubi et Bjarkeya, vide Undal. Descr. Norv. p. 108.

semina[1] prostarent, parce facta sementis est; tum Sigrida monuit, minuendum domesticorum numerum, et a convivando penitus desistendum. Noluit hoc Asbjörn, atque eundem morem hac æstate in omnes partes servavit. Erat spes exigua messis, et jam hoc accessit, quod fama ferebat, vetuisse regem Olavum, ne quis incolarum regni australis far, bynen, aut farinam venderet. Hic Asbjörn, cum se in summa difficultate familiæ sustentandæ versari intelligeret, hoc cepit consilii, ut onerariam, quæ ei erat, deduci in mare juberet, ea magnitudine, ut oceano trajiciendo idonea esset, lectis armamentis veloque virgato instructam. Ingreditur iter, triginta[2] viris comitatus; austrum versus secundum terram per æstatem navigant, de quorum itinere non proditum est, priusquam vesperascente die Karmtam attigerunt et navem ad Ögvaldsnesum constituerunt; hic villa erat regia et nobile prædium, cui præfuit Thorer Phoca, procurator regis Olavi, qui parvo loco natus vir frugi evaserat, cetera magnæ industriæ, oris diserti, magnificentiam cultu ostentans. Asbjörn ac sui hoc loco per noctem ad ancoras steterunt; mane vero, ubi illuxerat, Thorer navem advenisse conspicatus, aliquot comitatus viris descendit ad mare, et quæsivit, quis navem illam pulcram gubernaret. Asbjörn suum ac patris nomen edidit. Thorer, quo longissime profecturus, quæque profectionis causa esset, interrogavit. Asbjörn se ostendit emere velle far et bynen et farinam, regiones boreales gravi annona laborare significans: fama vero accepimus, heic lætam esse annonam; an tu, colone, aliquid frumenti vendere nobis vis? video hic plena esse nubilaria; et magna me expedires molestia, si non opus habebo longius

[1]) Ita ceteri; vetusta semina, *A.* [2]) viginti, *C,F,G,K,L,S.*

proficisci, aut hanc ob rem ad diversa loca ventitare. Respondet Thorer: ita rem tuam expediam, ut non opus habeas longius ad emendum frumentum proficisci, aut hac de re plura Rogalandi loca frequentare. Vere tibi dicere possum, necesse tibi esse reverti, nullum enim his locis frumentum conficies, neque hic, neque aliis locis, cum vetuerit rex, frumentum hinc ad regiones boreales exportari; quare redi, Haloge, hoc tibi commodissimum erit. Asbjörn respondet: si ita est, uti dicis, colone, me nihil frumenti conciliaturum, hoc saltem effectum dabo, ut consangvineos meos, qui Solii sunt, conveniam et domum Erlingi cognati mei visum eam. Thorer: quo cognationis vinculo Erlingo junctus es? Ille: est avunculus meus. Thorer: forte adeo haud caute locutus sum, si Rogalandorum regis nepos ex sorore es. Asbjörn: sermones hominum non moror, sodalis! Mox Asbjörn ac sui, tentoriis navalibus raptim detensis, proram averterunt. Thorer locutus est: jam valete, et revertentes huc appellite. Asbjörn ita fore pollicitus est. Hi deinde iter perrexerunt, et die quodam sero vespere in Jadarem pervenerunt. Asbjörn ac quatuordecim viri domum iverunt, ceteris quindecim[1] navem custodientibus; ubi vero Asbjörn domum venit, bene exceptus est: Erlingus eum proxime se collocavit, et de multis rebus, in boreali regni parte gestis, quæsivit, summam ostendens hilaritatem. Asbjörn ei sui adventus causam diligentissime exposuit. Erlingus docet, rem haudquaqnam in expedito esse, regem enim exportationem frumenti prohibuisse: neque novi ullos, inquit, qui imperata regis violare audeant. Asbjörn respondet: sero famæ veritas cognoscitur; juvenis didici, matrem utrinque ingenuam esse, et Erlingum de Solio potentissimum et illu-

[1]) decem, *C,F,G,K,L,S.*

strissimum esse ex cognatis ejus: nunc vero ex te audio, te hic in Jadare per servos regis non ea libertate frui, ut possis, quid volueris, de frumento tuo facere. Erlingus eum intuens, ore renidente locutus est: vobis, qui Halogiam incolitis, minus nota regis potentia est, quam nobis, qui Rogalandum incolimus! tu vero, cognate, haud dubie magna domi uteris libertate loquendi, qui foris tanta utaris, quod in familia tua gentilitium est. Primo poculis indulgeamus, cognate, deinde cras de[1] negotio tuo dispiciamus. Sic fecerunt, hilares ea vespera fuerunt et in multam noctem potaverunt. Postero vero die cognati, Erlingus et Asbjörn, colloquium integrant; tum Erlingus se consilium emendi frumenti excogitasse ostendit: tu vero quam fastidiosus eris in deligendis venditoribus? Asbjörn se minime curare dixit, a quo emeret, si bene parta venderentur. Erlingus: vero duxerim similius, servis meis tantum esse frumenti, ut tuæ emtioni satisfacere queant; qui cum societate aut jure publico non teneantur, hujus rei accusandæ jus regem non habere existimo. Asbjörn se hac conditione libenter usurum ostendit. Mox servi de hoc commercio certiores facti, promunt far, item bynen, et Asbjörni vendunt, ut hic navem farre ac byne oneraret. Paratum Erlingus domo deduxit muneribus amicitiam testantibus donatum, atque sic amicissime digressi sunt. Asbjörn secundum nactus ventum, vesperi navem ad Ögvaldsnesum in Karmta appulit, ibique noctem transegerunt. Statim eadem vespera Thorer fama acceperat, advenisse Asbjörnem, et navem ejus onustam esse. Quare proxima nocte copias convocat, ut ante lucem sexaginta homines haberet; quo facto, pri-

[1]) Hic iterum incipit *D.*

mo diluculo Asbjörnem conventum ivit; conscenderunt navem, quo tempore Asbjörn ac sui vestes ferme induerant; hi Thorerem benigne salutant. Thorer interrogat, quibus mercibus navem onerassent. Asbjörn navem farre et byne onustam esse significat. Tum Thorer: adeo Erlingus more solito agit, imperata regis Olavi non flocci faciens, neque tædet eum, regi omnibus in rebus adversarium esse; et mirum est, regem æquo ferre animo tot nefaria facinora, quæ inceptat. Hæc aliquantisper animi vix potens effudit, cum vero tacuisset, Asbjörn respondit: nulla hujus rei culpa apud Erlingum est, nam servi ejus mihi frumentum vendiderunt. Heic Thorer concitate respondet, dicens, non curare se fraudes ejus et Erlingi: restat jam, Asbjörn, inquit, ut in terram egrediamini, dum exoneramus navem; alioquin vos omnes in mare deturbabimus, nolumus enim a turba vestra impediri, dum onus navis exponimus; longius vero hunc commeatum haud devehetis. Asbjörn, quod se videbat copiis destitutum, quibus Thoreri resisteret, cum suis in terram egressus est, Thorer vero navem exonerari jussit. Thorer loquitur: mirum quam bono vero utuntur Halogi! capite velum onerariæ nostræ, vetustum illud, et iis date; hoc satis bonum est inani carina navigantibus. Factum est, ut velo spoliarentur. Re sic gesta Asbjörn reversus, cursum boream versus direxit, neque prius destitit, quam domum prima hieme pervenisset, quæ profectio sinistris sermonibus valde carpebatur. Hinc Asbjörn struendorum conviviorum labore levatus est. Thorer Canis Asbjörnem, cognatum suum, et ex suis quotquot adhibere vellet, ad convivium Jolense invitavit. Asbjörn vero ire noluit, et domi remansit. Haud obscure prodidit Thorer, quod existimabat, se suamque invitationem ab

Asbjörne contemni, quare profectionem Asbjörnis ludibrio habuit, dicens: cum magnum sit inter me atque Asbjörnem cognatum discrimen dignitatis, hoc præfecto jam tollere cogitat, qui tanto labore avunculum Erlingum in Jadare proxima æstate visitaverit, huc vero ad me in proximam domum se conferre detrectet. Qui nescio an putet, Thorerem Phocam in quovis colliculo latitare. Talia verba et his similia ab Thorere cognato jactari audivit Asbjörn, qui per se quidem ægre suam fortunam ferebat, multo autem iniquius, cum hæc dicta et ludibria jactata audiret. Quare domi se per hiemem continebat, neque ulla convivia frequentabat.

Cap. 113. Erat Asbjörni navis longa, draco minor, viginti-transtra, quæ in magno naustibulo subducta stabat. Post festum purificationis Mariæ[1] Asbjörn hanc navem deduci, armamentaque apportari jussit; advocatis amicis et cognatis, novem[2] effecit decurias virorum bene armatorum. Ut vero paratus erat, ventum secundum nactus, austrum versus secundum litora navigavit. Cursum perseverarunt, usi ventis commodis, sed lentioribus, et aperto pelago, magis quam cursu publico, quotiescunque occasio ferebat, navigantes. In horum itinere nihil memorabile accidit, antequam Karmtæ advecti sunt, vespere quinti diei hebdomadis paschalis. Hujus insulæ natura talis est, ut magna sit atque longa, et plurimis locis non lata, propeque jaceat extra cursum vulgarem, magnos habens tractus habitatos, multa vero loca, qua vergit ad oceanum, inculta. Asbjörn ac sui ad insulam exteriorem, qua inculta erat, appulerunt. Cum vero tetendissent, Asbjörn

[1]) Ita ceteri; eadem hieme post festum Jolense et post festum Mariæ, *A.* [2]) decem, *C,F,L.*

locutus est: jam hoc loco remanete, ego vero in insulam egrediar, [ecquid in insula novi sit, exploraturus; non enim antea de novis hac in terra quæsivimus. Asbjörn gestavit malum vestitum, pileum demissum, longurium manu tenebat, sub vestibus gladio cinctus; in terram egressus, insulam perambulavit[1]; ut vero in colliculum quendam venit, unde prospectus erat in prædium Ögvaldsnesum atque in fretum Karmtense, magnum conspexit hominum numerum, terra marique iter facientium, qui ad prædium Ögvaldsnesum contendebant. Quod cum mirum ei videretur, ad villam se contulit, ubi famuli cibum parabant, moxque audit et ex sermone hominum colligit, advenisse ad convivium regem Olavum, eundemque jam accubitum ivisse. Quo cognito Asbjörn ad cœnaculum se contulit. Ut in vestibulum venit, continue aliis exeuntibus, aliis intrantibus, a nemine animadversus est. Janua erat aperta: vidit Thorerem Phocam ante mensam regiam stantem; cœnæ tempus jam processerat. Audivit homines ex Thorere de rebus eum ac se intercedentibus quærere, Thoreremque longam de his rebus narrationem, non sine magna lætitia, recitare. Visus est Asbjörni in narrando admodum a vero declinare; mox audivit aliquem interrogantem: qualem se præbuit Asbjörn, quando navem exonerabatis? Cui Thorer: satis quidem fortem, dum navem exonerabamus; cum vero eum velo spoliavimus, pueri instar lacrimavit. Quod audiens Asbjörn, sui non amplius potens, gladio celeriter destricto, intro in cœnaculum incurrit, et cum primum se putabat Thorerem gladio posse assequi, collum ejus feriit, ut caput abscinderetur; caput in mensam ante regem collapsum, truncus in pedes ejus decidit; mapparum tam in-

[1]) Quæ a signo [sunt, in *A* omissa, ceteri addunt.

feriora quam superiora sangvine tota madefacta. Rex hominem comprehendi et educi jussit. Factum: Asbjörn manibus prehensus et ex cœnaculo eductus est. Dein mappæ totusque mensæ apparatus ablatus, mensæ remotæ, funus Thoreris asportatum, quæ cruore inquinata erant, purgata. Rex erat perquam iratus, et tamen sibi bene temperavit, ut semper facere solebat, quando gravius in se peccatum esse judicaret.

Cap. 114. Tum Skjalgus Erlingi filius, qui eo tempore apud regem versabatur, surrexit, regem adiit, atque sic locutus est: nunc usu veniet, quod sæpe solet, domine, ut a te optima quæque possint exspectari. Tantum pecuniæ, quantum ipse constituere velis, pro hoc homine polliceor, ut vitam et membra illæsa obtineat, tu vero, rex, cetera omnia pro arbitrio solus decernas. Cui rex: nonne hoc crimen capitale est, pacem paschalem violare; secundo, quod hominem occidit in cubiculo regio; tertio, id quod tibi patrique tuo haud magni momenti forte videbitur, quod pedibus meis pro trunco usus est. Skjalgus: male accidit, quod tibi, domine, displiceat, nam alias hoc optime esset factum, causa enim necessaria svadebat facinus. Etsi vero, domine, graviter in te peccatum esse judices, et hanc rem ægre feras, tamen tam bene de te sentio, fore, ut meis in te meritis multum tribuas, quod non sine causa fieri a te, multi comprobabunt. Rex reposuit: etsi bene de me, Skjalge, merueris, tamen haud tua causa committam, ut violem leges, et regiam dignitatem, et jus publicum. Hic Skjalgus, intelligens non posse regem exorari, se ex cœnaculo proripit; duodecim viri, qui ibi cum eo versabantur, multique alii eum comitati sunt. Tum Skjalgus Thorarini Nevjolvi filio: si me amico uti vis, toto animo incumbe, ne Asbjörn cognatus

meus ante diem solis occidatur. Thorarin: at hoc in mea potestate non est. Skjalgus: at ego tibi hanc rem, potius quam aliis, ideo committo, quod tuæ prudentiæ et audaciæ plurimum confido, ut hæc conflant. Dein Skjalgus ac sui abeunt, actuariam, quæ ei erat, capiunt, austrum versus secundum litora contentissime remigant, et primo crepusculo matutino in Jadarem perveniunt: extemplo egrediuntur ad prædium Solium, et ad cubiculum, in quo dormiebat Erlingus, accedunt; Skjalgus tanto impetu incursavit in forem, ut clavi frangerentur. Erlingus ac ceteri, qui intus erant, somno excussi sunt: ille primus omnium lecto se ejicit, clypeum et gladium arripit, accurrit ad fores et quærit, qui tam impetuose noctu grassentur. Skjalgus, qui sit, indicat, jubens aperiri januam. Erlingus ad hæc: vero istud erat simillimum, te adeo immaniter grassari; numqui persequuntur te, ut in periculo sis? Aperitur janua. Tum Skjalgus: etsi immoderatius ferri tibi videar, credo, non ita videri Asbjörni cognato tuo, qui Ögvaldsnesi sedet vinculis constrictus; viro dignius est, ei opem ferre, quam in me invehi. Dein pater et filius colloquuntur: refert Skjalgus patri omnia, quæ circa cædem Thoreris Phocæ gesta erant, item quæ verba ipse ac rex Olavus inter se commutassent.

Cap. 115. Rex Olavus, cœnaculo purgato et iterum instructo, sedem suam repetiit, et gravi ira flagrabat. Quærit quid ageret homicida. Dicunt, foris esse in porticu in custodia. Rex: cur non interfectus est? Tum respondit Thorarin Nevjolvi filius: domine, inquit, nonne cædem furtivam appellas, homines noctu occidere? Rex: itaque eum in vincula conjicite, et cras interficite. Dein Asbjörn vinculis constrictus et hac nocte solus in æde inclusus est. Postridie rex sacris in-

terfuit, deinde in comitia ivit, quibus adfuit usque ad sacra meridiana. Rediens a missa, Thorarinem allocutus est: numnam sol jam adeo altus est, ut Asbjörn, amicus vester, pendere eam ob rem possit? Thorarin respondet, flexo genu regem veneratus: hoc dixit episcopus proxima Veneris die, domine, regem, qui tunc nostra causa passus est, contumeliam pertulisse; beatus ille, qui ei similis esse potest, potius quam illis, qui tum homicidium svaserunt, aut eis, qui tum hominem capitis damnarunt; nunc vero haud ita longe abest crastinus dies, qui dies profestus est ad hunc, qui nunc est. Rex vultu ad eum converso: dabo tibi, Thorarin, inquit, ne hodie occidatur; tu eum custodi, at certo scito, te capite luiturum, si quo pacto elabetur. Quibus dictis Thorarin abiit, et eo se contulit, ubi Asbjörn vinculis erat constrictus, quem Thorarin vinculis solutum in parvum cœnaculum duxit, ei cibum ac potum dari jussit, declarans, quid rex, si elaberetur, minatus fuisset. Asbjörn Thorarinem bono animo esse jussit, se enim fugam non meditari. Thorarin ei multum diei adsedit et nocte sequenti eo loco dormivit. Die Saturni rex surrexit et sacris matutinis adfuit, dein conventus celebravit; advenerat enim magna colonorum multitudo, multa, de quibus quererentur, afferentium, in quibus causis dijudicandis rex multum diei consumsit, quare sero ad sacra meridiana itum est. Postea rex accubitum ivit, sumtoque cibo aliquantisper potavit nondum remotis mensis. Tum Thorarin sacerdotem adiit ei loco præpositum, cui cura templi erat demandata, eumque duabus argenti unciis[1] conduxit, ut simulac mensa regia removeretur, festam diem pulsata campana annunciaret. Ut vero rex aliquantum temporis potaverat, men-

[1]) selibris, *C*; numis, *K*.

sæ remotæ sunt. Tum rex rationem esse dixit, ut servi homicidam abductum occiderent. Hoc ipso momento campana festum sonuit. Thorarin regem adiens, locutus est: religio svadet, domine, ut huic homini, quamvis graviter deliquerit, vita per festum concedatur. Cui rex: itaque eum custodi, Thorarin, ne elabatur; tu vero semper oblatæ occasionis properus es. Rex sacra pomeridiana celebratum ivit; Thorarin hoc die Asbjörni adsidebat. Mane diei solis episcopus Asbjörnem adiit, eumque peccata confitentem audivit, veniam dedit, ut sacris meridianis hoc die adesset. Tum Thorarin adiens regem, rogavit, ut curaret, qui homicidam custodiret: volo nunc, inquit, hac cura levari et omnino ejus custodiendi periculo liberari. Rex ei pro hac re gratias egit, et virum, qui Asbjörnem custodiret, curavit, denuoque vinculis constringi jussit. Cum vero ad sacra meridiana itum est, Asbjörn ad templum deductus ante fores stabat, appositis custodibus. Rex ac populus inter sacra celebranda steterunt.

Cap. 116. Jam eo revertendum, unde narratio digressa est. Erlingus ac Skjalgus, filius ejus, consilia de hac difficili re conferunt, et Skjalgo ceterisque filiis hortantibus copias cogere decernunt; ad sectam belli sagittam multi milites convenerunt, qui cum ad naves pervenissent, lustrati ferme quindecim centurias effecerunt. Cum his copiis profecti, mane diei solis Ögvaldsnesum in Karmta appulerunt, cum omnibus copiis escenderunt, et ad villam eo tempore pervenerunt, quo lectio evangelii finita erat. Confestim templum adeuntes, Asbjörnem vinculis exsolverunt. Hoc strepitu et armorum fremitu, quem foris exaudire erat, omnes homines e templo prospectasse dicuntur, præter solum regem, qui in pre-

cando assiduus nihil circumspiciebat; qui vero ante ostium templi constiterant, omnes in templum se receperunt. Erlingus copias ab utraque parte plateæ, quæ a cœnaculo ad templum ferebat, disposuit, ipseque cum filiis proxime cœnaculum adstitit. Post omnia sacra peracta, rex statim templo egressus est, et primus in tramitem armatis obsessum prodiit, suis deinceps uno post alterum sequentibus. Ut vero rex domum ad ostium pervenit, Erlingus ante fores processit et regem flexo corpore salutavit. Rex respondens, ei deum propitium precatus est. Tum Erlingus: fama accepi, domine, Asbjörnem, cognatum meum magnum facinus admisisse, quod male accidit, domine, si iram tuam provocavit. Jam ego ea de causa huc veni, ut, pro eo reconciliationem tantamque multam, quæ tuæ dignitati et arbitrio respondeat, offeram, vicissim ei pacturus vitam et membra et civitatem. Rex respondet: ita mihi videtur, Erlinge, vos existimare, penes vos jam esse de rebus inter nos constituendis arbitrium. Erlingus: tu rem decide, domine, atque ita decide, ut gratia reconciliata digrediamur. Rex: mene terrere cogitas, Erlinge? an ideo tantas copias adduxisti? ab hoc plurimum abes, inquit; si quid vero aliud subest, nunc loco manentes te excipiemus. Erlingus: non est, quod in memoriam revoces mihi, ita nos ad hoc tempus congressos esse, ut te fuerim numero copiarum inferior; jam vero quid in animo sit, te celatum nolo, me cupide velle, ut gratia reconciliata digrediamur; alioquin certum mihi est, plures tecum congressus non periclitari. Hæc dicenti Erlingo facies sangvinis instar rubuit. Tum episcopus Sigurdus procedens in medium, regem allocutus est: domine, inquit, obedientiam tibi nomine Dei impero, ut cum Erlingo reconciliatio-

nem facias his conditionibus, quas offert, ut homo iste vitam et membra obtineat, tu vero ceteras conditiones tuo arbitrio præscribas. Cui rex: hoc in tua potestate sit, domine episcope, bene enim cupis. Tum episcopus Erlingo: Erlinge, inquit, jam regi, quam ei videatur, stipulationem præsta; dein Asbjörn pacem a rege accipiat[1] et regis fidei se submittat. Secundum hæc Erlingus regi stipulationem tradidit, [rex vero accepit; dein Asbjörn pacem a rege accepit ejusque fidei se dedidit, et manum regis osculatus est[2]. Quo facto Erlingus cum copiis digressus est, rege nec salutato nec salutante. Mox rex, cœnaculum cum Asbjörne ingressus, pactionis conditiones recitavit, dicens: hoc initium pactionis esto, Asbjörn, ut tu [his legibus te submittas, quæ jubent, si quis regis ministrum occiderit, hunc eidem ministerio, si rex voluerit, submitti. Quare mea voluntas est, ut hoc procuratoris munus[3], quod Thorer Phoca administravit, suscipias, et villicationem, quæ Ögvaldsnesi est, cures. Asbjörn ita fore, ut jussisset, affirmavit: primo autem, inquit, domum redeundum mihi est, ut, quæ opus sunt, ordinem. Quod rex probavit. Inde rex ad aliud convivium concessit, Asbjörn vero iter cum comitibus suis ingressus est: hi interea, dum Asbjörn vinculis tenebatur, in Leyruvogis[4] hæserant, et missis ad prædium speculatoribus, quomodo res ejus se haberent, exploraverant, neque abire, priusquam cognovissent, ut exiret res, voluerant. Dein Asbjörn domum tetendit, neque prius destitit, quam eodem vere ad prædium suum perveniret; ab hoc tempore appella-

[1]) Ita ceteri; accepit, *A;* sed præstatio stipulationis antecedere debuit. [2]) Hæc addunt ceteri. [3]) Pro his a signo, quæ cet. addunt, *A* tantum habet: idem ministerium. [4]) Notandum, Hkr. h. l. habere *leinivogum,* secreto maris recessu.

tus est Asbjörn Phocicida. Qui cum brevi tempore domi fuerat, convenerunt cognati, Asbjörn Phocicida et Thorer Canis et inter se collocuti sunt: Thorer diligenter de profectione ejus et omnibus, quæ gestæ erant, rebus memorabilibus, perquisivit, Asbjörn vero rem, ut gesta erat, retulit. Heic Thorer Canis: adeo videris tibi ignominiæ maculam delevisse, qua præcedente autumno bonis spoliatus fuisti. Ita, ait ille, quidue tibi videtur? Hoc tibi nihil cunctatus aperiam, ait Thorer, quod prior tua profectio, qua in australes regni partes suscepta bonis spoliatus fuisti, summo fuit dedecori, et tamen aliquo pacto restitui potuisset, hæc vero profectio tua ignominiam adfert et tibi et omnibus cognatis tuis, si hoc eveniet, ut regius servus fias et Thoreri Phocæ, pessimo homini, succedas. Quare, age, ita te virum præsta, ut te potius hic contineas in possessionibus tuis, quæ in Thrandarneso sunt, auxilio cognatorum tuorum adjutus, ne posthac unquam in tales angustias venias. Asbjörn vera esse, quæ Thorer dixerat, ratus est; et antequam digrederentur, convenit inter eos, ut Asbjörn domi suæ maneret, neque regem conveniret. Atque sic fecit, ut domi quietus se contineret.

Cap. 117. Postquam rex Olavus et Erlingus Ögvaldsnesi digressi fuerant, nova inter eos orta dissensio est, quæ eo usque aucta est, donec in apertum odium erumperet. Rex Olavus convivando Hördalandum obiens, in Vorsum profectus est, quod fama cognovit, populum in his locis perversa uti religione. Conventum populi habuit loco, qui Vangius[1] dicitur; huc magna multitudo colonorum convenit, panoplia armata, quibus rex religionem imperavit, illis vicissim

[1]) Ita ceteri; *Vors*, *A*, male repetitum ex superioribus.

prælium offerentibus. Deinde utrique aciem instruxerunt, coloni autem tantos jam profectus fecerant, ut, terrore pectora eorum incessente nemo vellet in primore acie consistere; et evenit tandem, quod ipsis magis fuit salutare, ut regi sese dederent et christianam religionem acceptarent, rege non prius digrediente, quam omnis populus ad christianismum perductus esset[1]. Hinc rex Olavus in Ostrarfjördum ad naves suas profectus, boream versus in Sognum navigavit, ubi æstatem convivando transegit; appetente vero autumno in sinum interiorem navigavit, indeque superatis montibus in Valdresum profectus est, quibus locis omnia erant pagana. Rex summa festinatione ad oppidum[2] contendit, et colonis ex insperato superveniens, omnes naves eorum cepit, quibus conscensis, tesseram comitialem dimisit, et comitia tam prope lacum constituit, ut omnium navium facultatem, si uti vellet, haberet. Coloni se confestim eo magnis cum copiis, panoplia armatis, convertebant; his rex christianam religionem imperavit, illi vero, magno excitato strepitu et armorum fremitu, eum tacere jubebant. Cum vero rex animadverteret, eos dicto audientes esse nolle, magnumque adduxisse copiarum numerum, cui nullo modo resistere posset, orationem alio deflectens, interrogat, ecqui adessent, qui inter se dissiderent et se litis arbitrum capere vellent. Brevi ex sermone colonorum animadverti potuit, multos inter se dissidere, quamvis

[1]) Hic *C,F,G,I,K,L,S* addunt: Accidit die quodam, ut rex sacris hymnis cantatis, equo vectus iter aliquo faceret; cum vero e regione tumulorum venit, gradum stitit et locutus est: hæc mea verba vir viro dicat, me utile existimare, reges Norvegiæ ab hoc tempore nunquam inter hos tumulos iter facere; et traditum est, reges id postea cavisse. [2]) Hkr. „ad lacum", quod rectius videtur.

in hoc perniciosum consilium conspirassent, ut religioni christianæ adversarentur. Cum vero coloni causas disceptare cœpissent, sibi quisque factionem, quæ a suis partibus staret, conciliavit; ita totus dies consumtus est, sub vesperam vero dimissa comitia sunt. Coloni fama edocti, regem per Valdresum iter facere, eundemque in pagos pervenisse, misso belli nuntio, tam liberos quam servos convocaverant, quo facto ingentem copiarum numerum adversus regem duxerunt, ut pagi multis locis vacui incolis essent. Rex certior factus, colonos post comitia copias non dimisisse, conscensis iterum navibus, noctu per lacum classem propelli jussit, ibique facta escensione, quam maxime potuit, incendiis et rapinis per rura grassatus est. Postero die ab uno promontorio ad alterum remigarunt, et regis imperio omnia incendiis vastarunt. Coloni autem, qui in exercitu versabantur, cum domos flammantes ac fumantes eminus conspicarentur, mobiles esse cœperunt in acie; mox unus ex altero dilabi, totaque acies in globos exiguos scindi; quo facto rex per lacum remeavit, et ea parte rura incendebat, ubi copiæ colonorum antea fuerant. Tum coloni adiere regem, pacem oravere et deditionem obtulerunt. Rex cuique, qui se adiret, pacem et facultates ita concessit, si se dedere vellet, neque tum multi religioni christianæ adversabantur. Dein rex populum baptizari jussit et obsides a colonis accepit. Rex multum autumni ibi consumsit, naves per isthmos, qui inter lacus erant, traduxit, haud longe a lacu in terram progressus, quod male credebat colonis, si sui copiam faceret. Eisdem locis templa exstrui et consecrari fecit, hisque sacros doctores præfecit. Ubi vero gelicidii tempus adesse intelligebat, longius in

terram egressus, in Thotnum pervenit. Hoc commemorat Arnor dynastarum poëta:

Inter posteros fama celebrabitur,
quod rex, virorum præstantissimus,
Upplandorum domos incendit;
populo regis ira nocuit.
Regi, promoventi commoda populi,
noluerunt gentes insolentes obsequi,
priusquam summo se exposuissent periculo,
patibulum conciliatum est regis adversariis[1].

Cap. 118. Post hæc rex Olavus boream versus per Dalos usque ad montem (Dovricum) profectus, non destitit, priusquam in Thrandheimum, et Nidarosum usque pervenit, quo res ad hiemandum necessarias comportavit. Hæc imperii ejus fuit hiems decima[2]. Præcedente æstate Einar Arcipotens, patria relicta, occidentem versus in Angliam profectus, Hakonem, affinem suum, convenit, et cum eo aliquamdiu versatus est. Dein regem Knutum adiit, a quo eximiis muneribus donatus est. Post hæc orientem versus per mare profectus, Romam[3] usque contendit, et sequenti æstate iter remensus, boream versus ad prædia sua rediit; quo tempore regem Olavum non convenit.

Cap. 119. Alvhilda nominata est mulier, dicta regis ancilla, quamvis nobili genere orta esset; hæc eo tempore apud regem Olavum versata

[1]) Constructio: *þat a) gengr [í ætt b), er ýngvi, sá c) er fremstr er manna, brendi rann d) Upplendinga; þjóð galt ræsis reiði. [Öflgar þjóðir e) vildut hlýða gagn f)-prýðanda, áðr stýrt var til váða: gálgi fèkkst grams dólgum.*

a) Sic *B,C,G,L*; *þar*, cet. *b)* Ita ceteri; *at*, *A*. *c) þèr*, *B,G*. *d) rönn*, in plur., *B,G*. *e)* Ita *C,D,G,I,S*; *öflgra alda*, potentium populorum (promotor), i. e. Rex, cet. *f) gugl*, avis, *H,I*.

[2]) undecima, *C,F*. [3]) Ita *C,H,K*; *Rúmaborg*, id., *B,G,S*; *Mánaborg*, *A*.

est. Accidit, ut Alvhilda gravida esset, consciis regis Olavi fidissimis, eum patrem esse infantis, quem utero ferebat. Nocte quadam accidit, ut Alvhildam morbus caperet, paucis præsentibus, feminis aliquot et sacerdote, Sigvato poëta, nec non paucis aliis. Alvhilda gravi morbo premebatur, ut in vitæ periculo versaretur. Tandem puerum enixa est; diuque fuit, dum in incerto erant, viveret infans, necne. Qui cum animam langvidius reddidisset, sacerdos hortatus est, ut iret aliquis regi nuntiatum, quomodo se haberet res. Sigvatus respondet: nullus audeo regem somno excitare, prohibet enim excitari se, priusquam sponte evigilet. Sacerdos: at necesse est, ut infans baptizetur, videtur enim infirmarum virium, et longæ vitæ spes exigua. Sigvatus: hoc potius meo periculo svaserim, ut baptizes infantem, ego vero regem expergefaciam; ego quoque facti excusandi partes suscipiam et puero nomen imponam. Sic fecerunt: puer baptizatus et Magnus nominatus est. Mane sequenti rex, cum se vestibus induerat, de hoc eventu certior factus est: jubet arcessi Sigvatum, iram non dissimulans, præsentemque allocutus: cur adeo audax eras, inquit, ut gnatum meum me insciente baptizares? Sigvatus: ideo domine, quod malui duo homines Deo, quam unum diabolo dare. Rex: cur hoc agatur? Sigvatus: quia infans, cum morti esset vicinus[1], diaboli futurus erat, si non esset baptizatus, nunc vero certe Dei est; altera vero ex parte novi, etsi mihi iratus esses, me non majorem pœnam, quam capitis, subiturum; et si velis, ut vitam hanc ob causam amittam, spero me quoque, consilii ratione, Dei futurum. Rex: cur vero puero nomen Magni imposuisti? hoc nomen in familia nostra gentilitium non est. Sig-

[1]) Hic iterum incipit *E.*

vatus: indidi ei nomen Caroli Magni, quem regem inclytissimum fuisse ex relationibus cognoveram. Tum rex: fortunæ filius es, Sigvate, inquit, neque hoc mirum, fortunam esse sapientiæ comitem; illud autem mirum, quod interdum usu venire potest, imprudentem hominem ea uti fortuna, ut temeraria consilia feliciter vertant. Tum rex admodum hilaris erat. Puer ibi educatus est, et prima jam ætate, ubi adolescere cœpit, magnam de se spem faciebat.

Cap. 120. Hoc eodem vere rex Olavus Asmundo Grankelis filio præfecturæ Halogicæ dimidiam partem cum Hareko de Thjotta participandam tradidit; hic vero antea totam obtinuerat, partim in sumtus, partim fiduciariam (præfecti nomine). Duxit Asmundus celocem, quæ ipsi erat, triginta viris bene armatis instructam. Idem antea diu apud regem Olavum versatus, eique amicissimus, magnoque honore habitus fuerat. Cum vero Asmundus in Halogiam pervenisset, Harekumque conveniret, ei significat, quo pacto præfectura divisa esset, prolatis regiis tesseris, sic decretum a rege esse, testificantibus. Harekus in regis potestate esse dixit, præfectos constituere: verum non ita fecerunt reges superiores, ut nostra privilegia restringerent, cum ad præfecturas administrandas nati simus, atque has res colonorum filiis traderent, qui hoc munere nunquam functi sunt. Etsi vero Harekus indignationem haud obscure prodebat, tamen Asmundo præfecturam ex mandato regis tradidit. Quo facto Asmundus ad patrem rediit, brevique apud eum commoratus, in Halogiam, provinciam suam, se contulit. Ubi ad Langeyam appulit, ibi duo fratres habitarunt, quorum alteri nomen erat Gunnstein, alteri Karlius; ambo erant divites et magna auctoritate, et in multis artibus excellentes:

Gunnstein erat natu major et in administranda re domestica sedulus, Karlius erat pulcher et splendidi cultus inprimis studiosus. Hic Asmundus benigne exceptus est, et aliquantum temporis ibidem commorans, quos potuit reditus ex provincia collegit. Karlius Asmundo significavit, se velle eum comitari ad Olavum regem, atque inter aulicos satellites recipi. Asmundus eum ad hanc rem hortatus est, pollicens operam suam, ut quæ cuperet, ab rege impetraret. Unde factum est, ut Karlius sese comitem Asmundo adjungeret. Fama cognoverat Asmundus, Asbjörnem Phocicidam austrum versus ad mercatum Vagensem profectum esse, oneraria, quæ ei erat, vectum, viginti viris instructa, eoque tempore ab austro rediturum exspectari. Jam Asmundus ac sui iter ingressi, austrum versus, secundum litora pergunt, vento usi adverso, sed leni; obvias habent naves quasdam, ad classem Vagensem pertinentes; clam quærunt de itinere Asbjörnis, et cognoscunt, eum ab austro iter ingressum. Asmundus ac Karlius lecti erant socii, intimaque amicitia juncti. Accidit die quodam, cum fretum aliquod transnavigarent, ut obviam tenderet navis, prora albo et rubro utrinque colorata[1] veloque virgato notabilis. Tum Karlius Asmundo: sæpe locutus es, te cupere Asbjörnem Phocicidam videre; haud vero possum navem dignoscere, si ille nunc adversum nos non navigat. Asmundus: age, quæso, sodalis, indica mihi, si eum nosti. Navibus hoc momento invicem præterlabentibus, Karlius: ibi sedet Phocicida ad clavum

[1]) *birt allt hlýrit*] eundem sensum varie efferunt ceteri: *búit allt hlýrit, steint,* ornata utrinque prora, et picta, *B; hlýrbjart ok steint,* splendida pr. et picta, *C,E,D; hlýrbirt ok st.,* id., *G,I,S; voru hlýr björt, steind,* erat utraque pars proræ splendida et p., *F,L*; cfr. Orkn. S. p. 272.

cum cærula tunica. Asmundus: at ego ei conciliabo rubram. Mox Asmundus hastam in Asbjörnem Phocicidam misit, quæ in medium corpus veniens, hominem transvolavit, ita ut tabulæ, quæ pone caput erat[1], infixa hæreret. Asbjörn mortuus a clavo collapsus est. Deinde utrique cursum persecuti sunt; illi funus Asbjörnis boream versus in Thrandarnesum devexerunt. Sigrida misso in Bjarkeyam nuntio Thorerem Canem arcessivit, qui cum advenisset, funus more solito componendum curavit. Sigrida omnes abeuntes (a sepultura) lectis muneribus donavit, Thorerem ad navem deduxit, eumque, antequam digrederentur, allocuta est: Ita se res habet, Thorer, inquit, quod Asbjörn tuis amicissimis consiliis obsecutus est, neque suppetit ei vita, ut gratiam tibi pro meritis referret. Ego vero etsi minus, quam ille, meritam tibi gratiam referre valeo, tamen voluntas non deerit. Ecce munus, quo te donare volo, quod ut usui tibi sit, vehementer opto: hæc hasta medium perforavit Asbjörnem, cognatum tuum, gnatum meum, adhuc cruore infecta, quo melius meminisse queas, eandem cum vulneribus, quæ Asbjörn cognatus tuus habuit, qualia in eo vidisti, apte congruere. Feceris autem rem forti et excellenti viro dignam, si hanc hastam ita de manu tradideris, ut Olavo Crasso stet infixa; et jam tibi denuntio, inquit, si necem Asbjörnis fratruelis tui non ulcisceris, quod a quovis homine sceleratus usurpaberis. His dictis domum rediit; Thorer vero verbis ejus adeo excanduit, ut nullum responsum reddere valeret, neque hastam missam facere adverteret; atque pontium oblitus in mare ruisset, nisi eum sui excepissent et fulcivissent in mare progredientem. Hæc hasta erat characteribus notata, non magna,

[1]) Ita celeri; quæ sub pedibus erat, *A.*

toto scapo aureis lamellis ornato. His confectis Thorer ac sui domum in Bjarkeyam reversi sunt. Asmundus ac sui iter perrexerunt, donec in Thrandheimum ad regem Olavum pervenerunt. Asmundus, quæ in itinere suo memorabilia gesta erant, regi retulit, qui ei pro hoc facinore benigne gratias egit. Karlius in numerum aulicorum regis Olavi receptus est; hic et Asmundus constantem amicitiam coluerunt. Quæ vero inter se collocuti fuerant ante cædem Asbjörnis, celari non potuerunt, nam ipsi hæc dicta regi aperuerunt. Evenit autem quod vulgo dicitur, [cuivis esse inter inimicos amicum[1]: aderant enim quidam, qui hæc dicta memoriæ mandarent, quare brevi ad aures Thoreris Bjarkeyensis pervenerunt.

Cap. 121. Proxima æstate rex Olavus austrum versus litora legens, conventus colonorum habuit, provincias ordinavit et præfectos constituit, regiosque reditus, quacumque obiret, exegit. Hac æstate ad fines regni orientales profectus est; tum omnes regni pagos majores christianos reddiderat, et leges totius regni, prout visum est, constituerat. Orkades in potestatem suam, ut supra demonstratum est, redegerat: multosque homines sibi amicos reddiderat, tam in Islandia[2] quam in Færeyis et Grænlandia. Miserat rex in Islandiam templi materiam, quod templum exstructum est in campo comitiali, ubi comitia universalia celebrantur; præter templi materiem, ingentem campanam miserat, quæ hoc tempore ibidem est; hoc factum est, postquam Islandi leges suas mutaverant, legemque ecclesiasticam, jussu regis Olavi, constituerant. Post hæc multi viri auctoritate conspicui ex Is-

[1]) Ita *C,D,E,F,G,I,K,L,S; ferr orð er mun* (rect. *um munn*) *liðr*, nescit vox missa reverti, *A.* [2]) et Orkadibus, add. *A.*

landia profecti, aulici regis facti sunt: in quibus Thorkel Eyolvi filius, Thorleikus Bollii, Thordus Kolbeinis, Thordus Börki[1], Thorgeir Havardi, Thormodus Bersii Kolbrunæ-poëta. Rex Olavus multis Islandiæ principibus munera, amicitiæ pignora, miserat; illi vero vicissim res, quas comparare potuerunt et gratas regi fore existimarunt, remiserunt. Huic vero amicitiæ significationi, quam rex Islandis exhibuerat, plures suberant res, quæ postea innotuerunt.

Cap. 122. Eadem æstate rex Olavus Thorarinem Nevjolvi filium cum mandatis in Islandiam misit; qui e Thrandheimo nave vectus est, quo tempore rex Olavus austrum versus in Mæriam profectus est. Thorarin oceano se commisit, et vento adeo ferenti usus est, ut quatuor dies totidemque noctes navigaret, donec Eyas[2] in Islandia attigit. Extemplo ad comitia universalia iter fecit, eoque venit, (quando comitiales) ad juris dicundi rupem (concesserant); ille se confestim ad rupem juris dicundi contulit. Actionibus juridicis prolatis, Thorarin hunc in modum verba fecit: ante quatuor noctes digressus sum ab rege Olavo Haraldi filio, qui omnibus hujus terræ principibus et præfectis, toti multitudini virorum et feminarum, juvenibus et senibus, fortunatis ac miseris, salutem Dei atque suam mittit, cupitque vester esse dominus, si ei subjecti esse vultis, mutua intercedente amicitia, omnium bonarum rerum effectrice. Incolæ hanc rem bene exceperunt, dicentes, se velle amicos ejus esse, si ipsis amicus esset. Thorarin porro locutus est: præter salutem a rege missam, hoc accedit, quod petit ab Nordlandis (incolis quadrantis Islandiæ borealis), ut sibi ad amicitiam testificandam sco-

[1]) citatur in Landnama. [2]) ɔ: Vestmannaeyas. Eyras, *B,D, E,G,I,K,S;* forte rectius.

pulum dent, qui Eyafjördum præjacet, Grimseyam appellatum; ille vicissim ea bona vobis ex sua terra concedere vult, quæ missis nuntiis expetieritis: petit autem a Gudmundo Potente, ut hanc rem promoveat, audivit enim, hunc in terræ parte boreali plurimum auctoritate valere. Gudmundus respondet: libenter quidem cupio regis Olavi amicus esse, quod mihi utilius esse existimo, quam scopulum, quem petit: hoc vero non vere relatum est regi, me hanc insulam majori jure, quam alios, possidere, cum jam in publicam posessionem cesserit. Quare ego atque ii, qui maximam ex hac insula utilitatem percipiunt, congrediemur et inter nos colloquemur. Ab his in tabernacula itum est. Post hæc Nordlandi congressi, hac de re inter se collocuti sunt, singulis, quod visum esset, proponentibus, Gudmundo vero rem svadente[1], cujus auctoritatem plurimi sequebantur. Tum interrogant, cur Einar, frater ejus, nihil in medium proferret: hunc enim, inquiunt, putamus rem optime perspicere posse. His Einar: ideo hac de re pauca locutus sum, quod nemo meam rogavit sententiam. Quod si meam mentem aperiam, accedite et rem perpendite, populares: subeundane tributa regis Olavi, omniaque præstanda onera, quibus Norvegi premuntur! Quam servitutem non solum nobismet ipsis, sed et filiis nostris, atque horum natis, et omni deinceps genti nostræ[2], omnibusque, qui hanc terram incolunt, contrahemus. Qua servitute hæc terra postea nunquam liberabitur. [Tum Einar hos versus composuit:

Invitus concedo, Grimseyam
alienari; rex cupidus est
semitam percurrere navium:

[1]) Ita *D,B,G,K;* urgente, cet. [2]) Hic lacuna incipit in *E.*

iram pertimescimus principis.
Prohibeamus pugnæ moderatorem
a possidenda insula, mari
circumflua; est enim rex excellens,
et (præliis) auget potentiam[1].

Etsi autem hic rex bonus vir sit, qualem esse confido, cum qui eum optime cognatum habeant, maxime collaudent: tamen haud sene senior erit, et posthac accidet, quemadmodum hactenus usu venit, quando mutatio regum incidit, ut alii boni sint, alii mali. Quare, si incolæ libertatem suam, quam a frequentata inde hac terra usi sunt, obtinere volunt, hoc solum reliquum est, nullam sui copiam facere, neque concedendis hic in Islandia possessionibus, neque præstando certas hac ex terra pensiones, quæ pro censu debito æstimari

---

[1]) Quæ a signo [sunt, in ceteris omnibus Codd. absunt. Constructio: *Erumst a) trautt, at láta Grimsey lausa; gramr er gjarn at árna um b) tröð fleya: reiði konúngs er oss leið. Höldum vèr hólmgerðar nagla c) fur hildar stýri; hann er dýrr konúngr: hilmir fremst pettu d) hagli.*

a) id. q. *erumk*, est mihi. *b)* mea conjectura; *und*, sub, *A*; quod si retinere vis, jungendum, *at láta Grimsey lausa und fleya tröð*, et *tröð (a troða)*, pro *troð*, pressio, conculcatio, accipiendum, ɔ: permittere, ut Grimseya a navibus (regiis) prematur. Quod mihi minus probatur. *c) Hólmgerð*, id. q. *hólmgjörð*, cingulum insulæ, mare, frequenti poëtarum usu; ejus *nagli*, clavus, quo cingulum insulare distinctum est, insula (h. l. Grimseya); huic appellationi apprime congruit epithetum maris, *eynegldr* et *hólmnegldr*, i. e. insulis, veluti clavis, distinctus, cujus duo exempla proferam, primo ex Eigla, c. 82, str. 2. *eynegld jarðargjörð*; secundo ex Edda mscr., auctore Bjarnio A. s., qui citatur in Edda Snorr. ed. Rask. p. 125. *hólmnegldà braut hilmir hauðrgjörð fyrir börðum.* Quare dubium non est, vocem *nagla* cum voce *hólmgerðar*, non cum *pettu*, jungi debere. *d) petta* vox mihi omnino ignota. In re ambigua accepi pro *þeita*, ut *þeituhagl*, grando sagittæ, sit jaculatio, it. prælium, ut *brodda hagl*. Sverr. 151,1.

queant. Illud autem consentaneum duco, regi munera, quæ visum fuerit, amicitiæ causa mittere, falcones aut equos, tentoria aut vela, aliasve res mitti dignas. Quod autem ad Grimseyam attinet, hoc dicendum, si nihil ex rebus esculentis[1], quæ ea insula fert, exportetur, facile eo loco posse magnam ali hominum multitudinem; quo et spectasse regem hac re existimo. Quæ multitudo si exterorum sit, atque ex eo loco longis navibus proficiscatur, auguror multos vilioris notæ colonos existimaturos, satis dense stipari exitus ædium, his ad ostia subeuntibus. His rebus oratione Einaris diligenter explicatis, totius multitudinis sententia uno consensu eo declinavit, ut hæc nunquam concederentur. Quare Thorarin[2], quorsum exitura res esset, intellexit.

Cap. 123. Postero die Thorarin Nevjolvi filius ad juris dicundi rupem accessit, negotia regis expositurus, atque sic fari orsus est: rex Olavus nuntium misit hujus terræ incolis, sibi amicis, quorum in numero ponit Gudmundum Eyolvi filium, [Snorrium Pontificem, Thorkelem Eyolvi filium[3], Skaptium prætorem, Thorsteinem Halli filium; misit ad vos, ut se conveniatis, convivio, quali amici solent, excipiendi; rogavit, si quid vestra interesse ducatis, ipsi esse amicos, ne hanc profectionem negligeretis. Illi ita ad hæc responderunt, se gratias regi agere, Thorarini vero de proficiscendi consilio responsuros, ubi amicos, quid respondendum esset, consuluissent. Ubi vero principes inter se colloqui cœperunt, singuli, quod cuique visum est, de peregrinatione proposuerunt. Snorrius Pontifex et Skaptius dehortati sunt, ne Nordmannis tam fiderent, ut hi

[1]) quibus tempore jejunii vesci fas est (ut pisces et ova, etc.) *C.* [2]) Hic lacuna incipit in *I.* [3]) Hæc ceteri addunt.

simul omnes relicta patria in Norvegiam concederent, penes quos summa esset rei publicæ; dixerunt, ortam sibi ex hoc nuntio suspicionem de re ab Einare proposita, nempe regem id agere, ut Islandis aliqua onera imponeret. Gudmundus ac Thorkel Eyolvi filius magnopere hortati sunt, ut regi dicto audientes essent, dicentes hanc profectionem magno illis honori futuram. Cum vero hanc rem secum versavissent, ea sententia stetit, ut ipsi non proficiscerentur, sed singuli, quem maxime idoneum judicassent, suo nomine mitterent. Ita peractis comitiis digressi sunt, neque ullæ peregrinationes ea æstate fiebant. Thorarin vero cursum inter Norvegiam et Islandiam ea æstate bis absolvit, et autumno ad regem Olavum reversus, quem exitum res habuisset, exposuit, et principes aut horum procuratores ab Islandia ipsius jussu adventuros, significavit.

Cap. 124. Eadem æstate Gillius prætor, Leivus Össuris filius, Thoralvus ex Dimune multique alii colonorum filii, ex Færeyis, jussu regis Olavi, advenerunt. Thrandus ab Gata[1], vir maxime in insulis auctoritatis, itineri quoque se accingebat; ut autem paratus erat, morbo caduco correptus, cum nusquam proficisci posset, remansit. Rex Olavus Færeyenses ad se delatos ad colloquium convocavit, indictoque conventu negotia, quorum causa profectio erat suscepta, exposuit et postulavit, ut tributa sibi ex Færeyis penderentur, item ut Færeyenses, quas eo conventu leges poneret, observarent. Apparuit ex sermone regis, eum stipulationem de his rebus a Færeyensibus, qui eo advenerant, accepturum, si suum vellent jusjurandum interponere; his quoque, qui eo tum advenerant, aulicorum dignitatem, suam amicitiam aliosque honores obtulit. Talis vero

[1]) villa in Östreya Færeyarum sita.

Færeyensibus sermo regis visus est, ut de exitu profectionis omnino desperarent, nisi postulata regis facere pollicerentur. Qua de re cum plures conventus habiti essent, antequam perduci ad finem posset, tandem omnia quæ postularat rex, concessa sunt: Leivus, Gillius ac Thoralvus regi se addixerunt, in numerum aulicorum recepti, omnes vero comites eorum jurejurando interposito polliciti sunt, se leges ab eo imperatas, et posita jura servaturos, constitutumque tributum soluturos. Dein Færeyenses itineri domum se accinxerunt, qui antequam digrederentur, rex amica munera dedit his, qui ejus sese ministeriis addixerant; mox parati iter ingressi sunt. Rex vero navem expediri jussit, virosque conduxit, quos in Færeyas mitteret, ut tributa ab Færeyensibus præstanda acciperent. Hi non mature parati sunt; de quorum itinere hoc dicere est, quod nunquam revenerunt, nullumque tributum æstate proxima rediit; Færeyas enim non attigerant, nec ullus ibi tributum exegerat.

Cap. 125. Rex Olavus, cum autumnus processerat, Vikam intravit et nuntios in Upplanda præmisit ad convivia imperanda, proxima enim hieme Upplanda obire constituerat. Iter deinde ingressus, in Upplanda profectus est, ibique hanc hiemem peregit, convivia obiens; quæ emendatione egere videbantur, correxit, et christianæ religionis cultum, ubi maxime opus esse judicaret, restituit. Rege in Heidmarka commorante, id novi accidit, ut Ketil[1] ab Ringuneso uxorem peteret Gunhildam, regis Sigurdi Porcæ et Astæ filiam, sororem regis Olavi, ad quem responsa et arbitrium hujus rei pertinebant. Hic rem probavit et quidem ea de causa, quod cognovit Ke-

[1]) Kalvus (Vitulus), add. cet.

tilem generis amplitudine et divitiis, prudentia atque auctoritate plurimum valere; regi quoque diu antea amicissimus fuerat, ut supra commemoratum est. Quæ omnia eo valebant, ut rex ei hanc conditionem concederet; quare res ita confecta est, ut Ketil Gunnhildam in matrimonium acciperet: quibus nuptiis rex Olavus interfuit. Deinde rex Olavus boream versus in Gudbrandsdalos profectus, convivia celebravit. Hic vir, nomine Thordus, Guthormi filius, prædio Steiga dicto habitavit, in boreali Dalorum parte unus in ditissimis. Qui cum regem Olavum convenisset, petitionem uxoriam exorsus, nuptiis ambiit Isridam, materteram regis Olavi, qui hujus quoque conditionis potestatem habebat. De qua re cum disputatum esset, stetit sententia, ut hæ nuptiæ conciliarentur; Thordus itaque Isridam uxorem duxit, et ab eo tempore intimus amicus regis Olavi factus est, ut et multi cognati et amici ejus, qui a partibus ejus stabant. Hinc rex Olavus austrum versus per Thotnum et Halandum, indeque per Ringarikium in Vikam reversus est, et proximo vere Tunsbergum venit, ubi commoratus est, dum ibi maxima erat commeatuum subvectio et mercatus florebat. Dein naves expediri jussit et magnum hominum numerum coëgit.

Cap. 126. Hac æstate jussu regis ab Islandia venerunt Stein, filius Skaptii prætoris, Thoroddus[1], filius Snorrii Pontificis, Geller, filius Thorkeli Eyolvi filii, et Egil, filius Halli Sidensis, frater Thorsteinis. Proxima ante hieme Gudmundus Eyolvi filius obierat. Homines Islandi, ut primum se occasio obtulit, regem Olavum adierunt, quem convenientes bene excepti, et apud eum proxima hieme omnes versati sunt. Eadem æstate fama

[1]) Ita ceteri; *þ'ðr*, *A*, ɔ: *þórðr*, per syncopen, vide Eigl. p. 596, not. 5.

cognovit rex, navem, quam superiore æstate in Færeyas miserat, disparuisse, nec usquam terrarum, quantum fama innotuit, appulisse. Quare rex aliam navem viris instructam comparavit et in Færeyas ad tributum petendum misit. Hi abierunt et vela in altum dederunt, sed postea de iis, æque ac de prioribus, nulla fama innotuit, variæque fuerunt opiniones, quid de his navibus factum esset.

Cap. 127. Knutus Potens, quem quidam appellarunt Knutum Seniorem[1], rex erat Angliæ et Daniæ. Knutus Potens erat filius Sveinis Furcobarbi Haraldi filii; cujus majores longo tempore regno Daniæ imperaverant. Haraldus Gormi filius, avus Knuti regis, post cædem Haraldi Gunnhildæ filii, totam Norvegiam vectigalem fecerat, et tributa inde exegit, [terræque custodem imposuit Hakonem Potentem; Svein Danorum rex, Norvegiæ imperavit et[2] ei regno custodiendo præfecit Eirikum dynastam, Hakonis filium; tum hic atque frater Svein dynasta, Hakonis filius, huic regno præfuerunt, donec Eirikus dynasta, jussu regis Knuti, affinis sui, occidentem versus in Angliam profectus est, relicto in Norvegia regni præside Hakone dynasta, filio suo, Knuti Potentis ex sorore nepote. Postquam vero rex Olavus in Norvegiam venit, Hakonem dynastam vivum cepit et regno exuit, ut supra demonstratum est, quo facto Hakon ad Knutum regem, avunculum suum, concessit, et apud eum toto interea tempore versatus erat, ad hoc usque tempus, quod jam attingit historia. Rex Knutus Potens (Angliam) bello

[1]) Anglorum, *S.* [2]) Ita *C,D,G,S*. *A* vero et ceteri sic habent: Posthæc Knutus imperio Norvegiæ potitus est, et regnum hereditarium appellavit, ut ceteras terras, quibus rex Haraldus Gormi filius, avus ejus, potitus fuerat; rex Knutus etc.

acquisiverat et armis subegerat, longis perfunctus laboribus, donec totum populum ad officium redire coëgisset. Cum vero plenam terræ potestatem nactus sibi videretur, subiit recordatio regni, quod aliena procuratione administratum possidere sibi videbatur; hoc autem erat regnum Norvegiæ, quod jure hereditatis[1] suum existimavit, Hakone sororio ejus partem, flagitio (ut ipsi videbatur) amissam, sibi vindicante. Tertia causa, quæ Knutum et Hakonem a repetenda Norvegia abstinuerat, hæc erat, quod[2] primum, cum rex Olavus regno redditus esset, consurgens tota multitudo et populi frequentia nihil audire voluit, quam Olavum Norvegiæ regem creari; postquam vero senserunt incolæ, libertatem sibi præ regis impotentia ereptam, fuere, qui terra excedere conarentur: multi viri potentiores et colonorum filii regem Knutum Potentem, varia prætendentes negotia adierant; quorum quicunque regem adiissent eique dicto audientes esse vellent[3], hi omnes plena manu pecunias ab eo acceperunt. Hic quoque conspicere licuit multo majorem splendorem, quam aliis locis, tam quotidiana hominum frequentia, quam regiorum cubiculorum magnifico apparatu. Rex Knutus Potens tributa et census ex gentibus, quæ in his regnis borealibus opibus maxime florebant, exegit. Sed quantum magnitudine redituum ceteros reges universos præstabat, tantum singulos multitudine liberalitatum superabat. In toto ejus regno tanta erat pax, ut nemo alterius (bonis) nocere auderet, qua re ipsi cives mutua concordia et pleno jure in omnes partes utebantur. Tot tantæque res gloriam ei apud omnes gentes pepererunt. Qui vero ad eum ab Norvegia venerunt, alii apud Hakonem dynastam,

[1]) totam Norvegiam, add. *cet.* [2]) H. l. pro *ok* legendum *at.*
[3]) Hic iterum incipit *I.*

alii apud ipsum regem de conditione libertatis suæ questi, paratos dicebant sese, regis Knuti aut Hakonis[1] dynastæ imperio se iterum subjicere et libertatem ab iis accipere. Hakon dynasta his sermonibus delectatus, idem apud regem egit, rogans, ut tentaret, an rex Olavus iis regnum cedere aut pactione aliqua partem cum iis communicare vellet. Multi de hac re judicium dynastæ sequebantur, et ab ejus sententia stabant, regemque hortati sunt, ut Norvegiam repeteret. Paulo post rex Knutus legatos ab Anglia in Norvegiam misit, magnifico apparatu instructos, literas et sigillum Knuti Angliæ regis ferentes. Hi vere ad regem Olavum Tunsbergi commorantem venerunt. Qui cum cognovisset, advenisse regis Knuti Potentis legatos, indignabundus dixit, regem Knutum haud missurum eo legatos, mandata sibi suisve utilia ferentes; transieruntque dies aliquot, quibus legati non admissi sunt. Venia vero impetrata, adierunt regem et literas Knuti regis attulerunt, et mandata his adjuncta exposuerunt: regem Knutum totam Norvegiam suam appellare possessionem, hoc usum argumento, quod majores sui hoc regnum ante se possedissent: eam vero ob causam, quod rex Knutus omnibus gentibus pacem offert, Norvegiam bello aggredi non vult, si aliter faciendi facultas erit; quod si rex Olavus Norvegiæ rex esse velit, adito Knutum regem et regnum ab eo fiduciarium accipito, ei subjectus esto, et tributa pendito, quanta pependerunt antea dynastæ, Svein et Hakon. Deinde protulerunt literas, ejusdem plane argumenti et sententiæ. His respondet rex Olavus: ex priscis relationibus cognovi, regem Gormum Grandævum, Daniæ tantum imperantem, satis potentem regem fuisse vulgo existimatum; isti vero

[1]) Sic ceteri; Eiriki, *A.*

Danorum reges, qui ei successerunt, hoc non fuere contenti, et res nunc eo venit, ut rex Knutus, qui Daniæ et Angliæ imperat, jamque magnam Skotiæ partem subegit, nunc a me meam postulet here-ditatem. At modum tandem statuere deberet avaritiæ suæ! an vero cogitat, solus omnibus regnis septemtrionalibus imperare? an solus omnem brassicam Angliæ comedere? prius hoc efficere poterit, quam ego ei caput meum afferam aut ullam reverentiam præstem. Jam ei hæc mea verba perferte, me, dum vita viresque suppetant, regnum Norvegiæ ferro et armis defensurum, nec ulli tributum ex meo regno depensurum, dum me regem esse Deus voluerit. Hac dicta sententia, legati Knuti regis discesserunt, exitu negotii parum læti. Sigvatus poëta apud regem Knutum versatus erat, et ab eo armillam auream, dimidium selibræ pendentem, dono aceeperat. Tum quoque Bersius[1] apud regem versatus est, cui rex duas armillas aureas, quarum singulæ dimidiam selibram pendebant, et præterea gladium, auro ornatum, dono dedit. Tum Sigvatus hos versus composuit:

Bersi! eximius ille Knutus
rebus præclare gestis inclytus,
nobis ambobus se convenientibus
manus ornavit splendide.
Tibi selibram auri, aut amplius,
gladiumque acutum donavit,
sed mihi dimidiam; ipse deus
omniscius regit omnia[2].

---

[1]) Thorarin Loftunga *C,F;* Ottar Niger, *G;* Brusius, *I.* Torvi Poëtæ filius, add. *D,I,L,S.*

[2]) Constructio: *Hún a)! hinn itri alldáðgöfugr Knútr hefir skrautliga b) búnar báðum okkr hendr, er fundum hilmi. Hann gaf þèr mörk gulls, eðr meira, ok bitran hjör, en mèr hálfa. Margvitr c) guð ræðr sjálfr öllu d) gjörva.*

Sigvatus se ad familiaritatem legatorum Knuti regis applicuit, et ex iis diligenter nova quæsivit; illi de quibus quæsivit, referunt, et narrant præterea de colloquio inter se et regem Olavum, atque de exitu negotii sibi demandati, regemque gravius respondisse significant: et nescimus, inquiunt, cujus auxilio fretus, imperio Knuti regis se submittere recuset, cum principes pari ac ille potestate regem conventum eant, quod quidem et ipsi factu optimum esset; est enim Knutus rex tam clemens, ut nemo in eum tantum delinquat, quin ei omnia condonet, si se supplex adeat. Nuper scilicet accidit, ut duo eum adirent reges ex Fivio Skotiæ, capita sua ei offerentes, quibus iram et omnes ab iis possessas provincias condonavit, et magna insuper munera amicitiæ causa dedit. Quare non dubium est, quin hic rex æqualem, aut etiam majorem honorem foret reportaturus, si dignum se gratia regis præberet, et hujus voluntati obsequi vellet. Tum Sigvatus hos versus composuit.

Præstantes principes a borea,
inde a medio profecti Fivio,
sua Knuto capita obtulere,
ad pacem redimendam.
Sic nulli unquam homini
Olavus, dum in hoc vixit
mundo, suum caput vendidit.
Pugnando Crassus sæpe retulit victoriam[1].

a) Sic *C,D,F,K,S* (una tamen voce *húnskrautligast)*; *huns, cet. Hún*, catulus ursi, quo alluditur ad nomen Bersii, nam *bersi* (dimin. a *berr*) ursum designat. *b) skrautligast*, superl., *C,D,F, K,S. c) mannvitr*, hominum peritus (æstimator), *C*; num jungendum *gullsguð*, deus auri, vir liberalis (h. l. rex Knutus)? *d) heillum*, fortunam, *I.*

[1]) Constructio: *Allframir jöfrar hafa færð Knúti út höfuð sin norðan or miðjo a) Fifi: þat var friðkaup. Hann Olafr*

Posthæc legati iter ingressi sunt, et secundis usi ventis, eodem autumno ad Knutum regem revenerunt, eique negotii sibi demandati exitum, et postrema regis Olavi dicta renuntiarunt. Rex Knutus locutus est; haud recte judicat rex Olavus, si me putat omnem, quam Anglia ferat, brassicam comesurum, illud vero cuperem sentiret, plura mihi intra costas recondi, quam solam brassicam, ex singulis enim hisce costis, si quid efficere potero, prodibunt consilia ipsi perniciosa. Eadem æstate Aslakus et Skjalgus, filii Erlingi ab Jadare, ex Norvegia ad Knutum regem venerunt, et benigne excepti sunt; habuit enim Aslakus in matrimonio Sigridam, filiam Sveinis dynastæ Hakonis filii, Hakoni dynastæ Eiriki filio patruelem. Quibus rex Knutus amplos reditus in aula sua concessit.

Cap. 128. Rex Olavus hac æstate præfectos suos ad se arcessivit, magnumque hominum numerum contraxit, fama enim ferebat, Knutum Potentem hac æstate ab Anglia in Norvegiam cum hostili manu trajecturum, et relatione mercatorum, ab occidente advenientium, rumor increbuit, ingentem exercitum ab Knuto colligi in Anglia; procedente vero æstate, venientes ab occidente partim venturum affirmabant, partim infitiabantur. Rex Olavus per æstatem in Vika commorans, dimissis exploratoribus, Knuti regis in Daniam adventum speculatus est. Idem autumno in Svethiam misit ad regem Önundum, affinem suum, qui legationem Knuti regis, et postulata, quibus sibi regnum Norvegiæ vindicabat, referrent, addens, se in ea sententia esse, cum Knutus rex Norvegiam sub-

seldi b) aldri engum manni svâ [haus i c) þvisa heimi d);
hinn digri vâ opt sigr.

a) miðium, in masc. gen., *C,F,K.* *b)* Ita ceteri; *seldir, A.* *c)* Sic ceteri; *hausi, A.* *d)* Ita ceteri; *hilmir, A.*

egisset, Önundum regem brevi otio fruiturum Sveciamve obtenturum; quare postulare rationem, ut pro affinitatis necessitudine, societatem conjungerent et fœdus facerent, et contra resisterent, non enim deesse opes, quibus adversus Knutum regem certarent aut bellum gererent. Rex Önundus, probata re, misso nuntio significavit, se facturum cum rege Olavo, prout postulasset, societatem, ita ut cui prius opus esset, uterque alteri auxilia e regno suo mitteret. Hoc quoque in mandatis erat, ut congrederentur et consilia inter se communicarent. Quem in finem rex Önundus sequenti hieme Gothiam occidentalem obire statuit, Olavus autem rex Sarpsborgæ hiemare decrevit. Hoc autumno Knutus rex in Daniam venit, ibique per hiemem magna stipatus hominum multitudine commoratus est: cognovit, legatos inter regem Sviohum et Norvegiæ regem missos, et ingentes res agi. Quare eadem hieme legatos cum magnis muneribus, amicitiam testantibus, in Svioniam ad Önundum misit, verbis adjectis amicissimis, quibus significavit, eum facile posse, se et Olavo Crasso litigantibus, otiosum adsidere: tu enim, Önunde, pace per me frueris, atque regnum tuum. Legati ad regem Önundum venientes, munera, quæ rex Knutus adjuncta amicitia sua miserat, attulerunt. Rex Önundus obvium sese, magis quam paratum, ostendit; quare intelligebant legati, regem Önundum ad amicitiam regis Olavi, affinis sui, vehementer inclinare Hinc reversi indicant Knuto regi, quid de rege Önundo cognovissent, quas partes acturus esset in litibus inter eum et regem Olavum intercedentibus, neque ullam ab eo amicitiam exspectandam esse monuerunt.

Cap. 129. Hac hieme rex Olavus Sarpsborgæ se continebat, magnam circa se multitu-

dinem militum habens. Eo tempore Karlium Halogum in boreales regni partes cum mandatis misit. Karlius primo per Upplanda profectus est, deinde monte trajecto Nidarosum pervenit, ubi regiæ pecuniæ quantum jussus fuerat, et navem eximiam, huic itineri, quod eum jusserat rex, idoneam sumsit. Jusserat autem eum rex in Bjarmorum terram proficisci, et constitutum fuerat, ut Karlius cum eo societatem ita faceret, ut quisque dimidium lucri obtineret. Karlius primo vere nave in Halogiam vectus est; hic Gunnstein, frater ejus, socium itineris se adjunxit, et merces sibi seorsim habuit. Erant in nave duæ semis hominum decuriæ. Statim primo vere boream versus in Markam (Finnmarkam) profecti sunt. His cognitis, Thorer Canis nuntios cum mandatis ad fratres mittit, significans se hac æstate in Bjarmorum terram proficisci statuisse, et velle, ut juncta classe irent, et ex æquo inter se dividerent, quicquid lucri aut prædæ loco nanciscerentur. Renuntiant Thoreri Karlius et frater, uti parem habeat comitum numerum, duas semis decurias, ut ipsi haberent; postulant deinde, ut bona ex æquo inter naves dividerentur, exceptis mercibus, quas sibi quisque haberet. Cum missi ab Thorere redierunt, Thorer ingentem navem longam, quæ ei erat, deduci in mare jusserat, et domesticis suis instruxerat, qua nave ad octoginta homines vehebantur; quam in manum Thorer solus imperium habuit, et omnium rerum, quæ in itinere lucrifierent, arbitrium. Thorer, ut paratus erat, cursum boream versus secundum terram direxit, et Karlium in Sandvero[1] convenit. Hinc conjuncta classe navigarunt, secundis ventis usi. Cum congressi sunt, Gunnstein Karlio significavit, Thore-

[1]) Ita *B,C,D,F,K,L,S*; Sandvika, cet.

rem nimis comitatum sibi videri: quare consultius existimo reverti, inquit, neque ita proficisci, ut Thoreri liceat in nos pro lubitu agere, huic enim male credo. Cui Karlius: ego vero reverti nolo, hoc enim vitio nobis vertetur; fateor tamen, si cognovissem dum in Langeya eram, Thorerem adeo frequentem itineri nostro se adsociaturum, nos plures comites domo deducturos, quam nunc habemus. De his apud Thorerem questi sunt fratres, et quæsiverunt, cur plures haberet comites, quam constitutum esset ac nuntio misso admonuissent. Thorer respondet: magnam habemus navem et multos nautas exigentem, ut exiguo numero regi non possit, neque ego, in profectionibus tam periculosis, strenuum juvenem, etsi extra numerum est, recusaverim. Jam per æstatem iter perrexerunt, pro eo ac naves ad cursum erat idoneæ: vento remissiore, navis fratrum celerius procedens præcurrebat; vehementiore, Thoreriana majore cursu adsequebatur præcurrentes; quare raro una omnes fuerunt, sed tamen, ubi versarentur alteri, utrique noverunt. Cum in terram Bjarmorum pervenissent, naves ad emporium constituerunt et mercaturam cum Bjarmis facere cœperunt. Hic, qui merces ad commutandum habuerunt, omnium rerum copiam lucrati sunt. Thorer magnam copiam pellium cinerearum, tam fibrinarum quam Zibelinarum, nactus est. Karlius multum quoque pecuniarum habebat, et magnam coëmit pellium copiam. His peractis, postquam induciis, quas cum incolis fecerant, renuntiatum erat, naves ex fluvio Vina duxerunt. Cum vero in mare pervenissent, habito conventu nautico, interrogat Thorer, an opes acquirere cuperent. Illi respondent, paratos esse sese, si certæ se offerrent opes. Thorer respondet, dicens, pecuniæ facultatem fore,

si profectio bene succederet, metum vero esse, ne periculo non careret. Omnes sese periculum adire velle, spe opum proposita, affirmarunt. Thorer his locis hunc morem receptum esse docet, ut, mortuis qui divites essent, pecuniæ inter mortuum et heredes dividerentur ita, ut mortuus semissem aut plus, interdum trientem aut minus, obtineret, quam pecuniam in sylvas, exstructis tumulis aut domibus conditam abdi, terra et argento commixtis. Vesperascente die itineri se accingere jubet; constitutum est, ne quis ab altero fugeret, neu gubernatore abitum imperante remaneret. Relictis navium custodibus, escendunt; egressis in terram primo occurrit planities, mox ingens sylva. Thorer præibat, fratres agmen claudebant. Ille monuit, ut tacite irent, et corticem arborum delibrarent, quo facilius, interlucentibus arboribus, eandem viam regredi possent. Tandem in locum arboribus late vacuum, pervenerunt; hoc loco altum erat sepimentum ligneum, janua, quæ tum clausa erat, munitum. Huic sepimento sex ex incolis custodes quavis nocte erant impositi, ex quibus bini quavis tertia parte noctis vigilarent. Ubi Thorer ac sui venerunt ad sepimentnm, excubitores domum redierant, qui vero his succederent, nondum in stationem venerant. Thorer ad sepimentum accedens, adunca securi summum sepimenti marginem apprehendit, scandendo in summum evasit et superato sepimento locum intravit. Cum Karlius eodem tempore alia parte (superato sepimento) adveniret, utrique eodem momento ad portam pervenerunt, claustra vectesque removernnt, et januam aperuerunt; quo facto aream ceteri ingressi sunt. Tum Thorer: in hac area est tumulus, congestus auro, argento et terra invicem commixtis, huc se conferant no-

stri, caveant vero, ne tantum sibi oneris imponant, ut justos gradus facere ob id nequeant; stat in area deus Bjarmorum, qui Jomalius dicitur, quem ludibrii ergo lædere aut spoliare nemini fas sit. Deinde tumulum conscendunt, pecunias, quantum maxime potuerunt, vestibus exceptas collegerunt, multa terra, ob colligentium festinationem scilicet, admixtas. Quo facto Thorer eos abire jussit, dicens: jam vos fratres, Karli et Gunnstein! præite, ego postremus ibo et agmen tutabor. Mox omnes ad portas procedebant; ut vero ad sepimentum universi pervenerant, Thorer reversus, Jomalium adiit, et phialam argenteam, genibus ejus impositam, rapuit, numis argenteis plenam; infudit argentum in sinum vestium, brachium per ansam, qua phiala superne munita erat, insinuavit, quo facto ad portam se contulit. Senserant comites, Thorerem recessisse; Karlius ad eum quærendum reversus, intra portam offendit, et videns Thorerem phialam argenteam portare, ad Jomalium accurrit, visoque crasso monili in collo, securim libravit, et vinculum pone collum[1] dissecuit, qui ictus tantus exstitit, ut caput Jomalii abscinderetur tanto fragore[2], ut omnibus miraculo esset, Karlius vero monile rapuit. Quo facto discesserunt. Fragore autem edito, excubitores confestim in aream procucurrerunt et mox cornua inflaverunt. Secundum hæc sonitu undique cornuum audito, Thoreriani in sylvam contenderunt et in eam se abdiderunt. Mox pone se vociferationem, clamorem et horrendum ululatum in area audiverunt, tum enim Bjarmi advenerant. Thorer Canis ex suis omnium postremus ibat, duo eum præibant, saccum ferentes, cui aliquid cineri simile inerat; hoc Thorer in manum sumto,

[1]) quo monile connexum est, add. *C.* [2]) Hic iterum incipit *E.*

vestigia, qua ierant, constravit, interdum præcedens agmen conspersit. Ita e sylva in campos pervenerunt. Animadverterunt multitudinem Bjarmorum a tergo insequi vociferantem, clamantem et fœde ululantem. Qui cum se mox in campos ab utroque latere eorum effudissent, neque tamen tam prope accederent, ut armis lædere aut noxam inferre possent, hanc subesse causam potissimum ratus est Karlius, quod Bjarmii eos non conspicerent. Cum ad naves venerunt, Karlius ac sui, qui in primore agmine fuerant, primi navem conscenderunt, Thorer vero longius in terra aberat. Karliani, ut parati erant, velamenta navalia subito detenderunt, oras solverunt, et velum sustulerunt, quo facto navis in pelagus procedebat. Thorerianis omnia fuerunt impeditiora, nam et navis eorum circumagi remis multo difficilius potuit, et eum tandem velum sustulissent, Karliani longo spatio a terra aberant. Jam utrique [per Gandvikam (mare album), nocte adhuc sublustri, navigarunt[1], noctes diesque iter facientes, donec Karliani vesperascente die ad insulas quasdam appulerunt; hic objecto vortice marino, velum demiserunt et ancoras jecerunt, æstus mutationem exspectaturi. Mox Thorcriani, qui sequebantur, advenientes, navem ad ancoras statuerunt, dein scapham demiserunt, qua conscensa Thorer aliquot comitatus viris ad navem fratrum remigat. Thorer navem conscendit, benigne a fratribus salutatur; ille se minus comem præbebat, postulans ab Karlio, ut monile, quo Jomalium spoliavisset, sibi tradat: dignissimum enim me existimo, qui res pretiosissimas ex præda ibi parta, obtineam, nam meo beneficio factum judico, quod omnes incolumes evasistis, tu vero, Karli, maximo nos periculo objecisse mihi visus es. Kar-

[1]) Hæc ceteri addunt.

lius respondet: dimidia pars omnium bonorum, quæ in hoc itinere acquisivi, regis Olavi est, cui hoc monile proprium dicavi: quare regem adi, fieri enim potest, ut monile tibi concedat, si ipse ideo habere nolit, quod Jomalio eripuerim. Tum Thorer ait, velle se, ut in terram egrediantur et prædam dividant. Gunnstein respondet, dicens, mutationem æstus incidisse, et tempus navigandi adesse. Deinde funes trahunt, et ancoras tollunt. Quod videntes Thoreriani, descendunt in scapham et ad navem suam remigant. Karliani velum sustulerant et longo spatio præcurrerant, antequam Thoreriani totum velum pandere possent. Hinc navigarunt, donec in Geirsverum pervenerunt, ubi a borea proficiscentibus primus datur appellandi locus, ponticulis stratus. Huc utrique die vesperascente advenerunt, et ad pontes appulerunt; Thorer navem suam in interiore portu constituerat, illi vero in exteriore. Thorer, ubi tetenderat, in terram egressus est, magno suorum numero comitatus, et ad navem Karlii ambulavit; hi jam tum omnia comparaverant. Thorer ad navem progressus sublata voce gubernatorem navis egredi jubet. Fratres ita faciunt, egrediuntur in terram, paucis comitati. Hic Thorer eundem sermonem atque antea orsus, omnes in terram egredi, et prædam acquisitam ad divisionem comportari jubet. Fratres nullam esse dividendi necessitatem, priusquam in pagos rediissent, contendebant. Thorer vero asseruit, id moris non esse, prædam non prius quam domi dividi, atque ita fidei et probitatis hominum periculum facere. Nonnulla verba hac de re commutarunt, diversa sentientes. Tum Thorer abiit; cum vero paulum processerat, reversus, suos se exspectare jussit, et Karlium inclamans: volo tecum secreto colloqui, inquit.

Karlius extemplo obviam ei processit; ut vero congressi sunt, Thorer eum hasta medium transfodit, telo corpus penetrante. Tum Thorer: Hic potes, Karli, unum Bjarkeyensem cognoscere, et putabam sensurum te hastam, Phocæ ultricem. Ille confestim exspiravit, Thorer vero cum suis ad navem regressus est. Gunnstein et comites, Karlium cecidisse conspicati, extemplo ad locum accurrerunt, et rei gestæ vestigiis animadversis, funus sublatum ad navem deportarunt; tentoria et pontes raptim detraxerunt, et quamprimum licuit, a terra solverunt; dein velum sustulerunt et cursum contenderunt. Quo viso, Thoreriani summa festinatione tentoria revellunt; ut vero tollebant velum, funis ductarius ruptus est, ut velum per transversam navim relaberetur; et longa interposita mora est, antequam Thoreriani velum iterum sustulissent. Hinc Gunnstein et socii jam longo spatio anteverterant, priusquam navis Thoreriana expanso velo cursum corripuisset; tum Thoreriani utrumque fecerunt, et velificarunt et remigarunt; idem quoque Gunnsteiniani fecerunt; atque sic utrique cursu contentissimo et noctes et dies, ferebantur, intervallo inter utramque navem tardius contracto[1]: nam quando navigantes freta insularia excipiebant, navis Gunnsteiniana ad circumagendum erat facilior. Verum tamen Thorer præcedentem tanta celeritate insecutus est, ut, cum ante Lengjuvikam[2] ventum esset, Gunnstein ac sui navem ad litus appellerent et in terram excurrerent. Thoreriani paulo post advenientes, in terram excurrerunt et eos persecuti sunt. Gunnstein, ope mulieris cujusdam, quæ artis magicæ perquam perita fuisse dicitur, servatus est. Thorer vero cum suis ad

[1]) Hic lacuna incipit in *E.* [2]) *Launguvik,* (longum sinum), *G.*

naves reversus, omnia bona, quæ in nave Gunnsteinis erant, rapuit; horum deinde loco navem lapidibus onerarunt, [in sinum provexerunt, et perforatam demerserunt[1]; quo facto Thorer domum in Bjarkeyam se contulit. Gunnstein et sui primo clam iter fecerunt, parvis navigiis vecti, noctu proficiscentes, interdiu quiescentes, cumque hoc modo Bjarkeyam prætervecti essent, Gunnstein primo ad Langeyam appulit, ubi brevi commoratus, austrum versus secundum litora navigavit, cursu non prius intermisso, quam in Thrandheimum perveniret. Hic regem Olavum convenit, eique res, quæ in expeditione ad terram Bjarmorum acciderant, exposuit. Rex exitum profectionis gravissime tulit; tamen Gunnsteinum secum versari jussit, pollicitus se, cum primum se obtulisset occasio, rem ejus restituturum. Gunnstein regi gratias egit, oblatam conditionem gratus accepit, et aliquantum temporis apud regem Olavum commoratus est.

Cap. 130. Regem Olavum hac hieme Sarpsborgæ, Knutum vero Potentem in Dania consedisse, supra commemoratum est. Eadem hieme Önundus Svionum rex, magno hominum numero, triginta centuriis[2], stipatus, Gothiam Occidentalem peragravit. Tum missis nuntiis ac mandatis, affines tempore et loco præstituto condicunt, ut ad Konungahellam conveniant. Sed differebatur conventus eam ob causam, quod, quid rex Knutus ageret, cognoscere cupiebant. Cum vero processisset ver, rex Knutus magna cum manu in Angliam redire paravit, relicto in Dania filio Hördaknuto, et unacum eo, Ulvo dynasta, Thorgilsis Sprakaleggi filio. Ulvus in matrimonio habuit Astridam, filiam regis Sveinis, sororem vero regis

[1]) Hæc, in *A* omissa, ceteri addunt. [2]) amplius tribus millibus, *G,I;* tribus centuriis, *L.*

Knuti Potentis: ex his natus Svein Ulvi filius, qui postea rex Daniæ fuit. Erat Ulvus dynasta vir excellentissimus. Jam Knutus occidentem versus in Angliam profectus est, ut modo memoravimus. Quo cognito, reges, Olavus et Önundus, extemplo ad condictum conventum profecti, ad Konungahellam congressi sunt. Horum congressus erat exoptatissimus et quæ inter se collocuti sunt, quatenus vulgo innotuerunt, ad amicitiam spectabant; multa tamen inter se disserebant, quæ ipsis solis cognita, postea perspicua et manifesta vulgo fuerunt. Digredientes vero munera inter se miserunt, et amicissime discesserunt, rex quidem Önundus in Gothiam, Olavus vero boream versus in Vikam, [inde boream versus in Gölas[1] et per exteriora in Agdas, atque hinc secundum boreale latus terræ profectus est. Diu jacuit in Eikundasundo[2], ventum secundum exspectans. Hic cognovit, Erlingum Skjalgii filium copiarum delectum habere et incolas Jadaris magnam multitudinem coëgisse. Die quodam cum regii inter se disputarent, utrum auster, an africus esset, et utrum ea tempestate velificari præter Jadarem liceret, an non, plurimis rem fieri non posse dictitantibus, Haldor Brynjolvi filius respondit: putaverim, si Erlingus Skjalgii filius convivium Solii vobis struxisset, commodam visum iri hanc tempestatem præternavigantibus Jadarem. Tum rex Olavus tentoria raptim demi, navesque e portu educi jussit; quod factum est. Eodem die Jadarem prætervecti sunt, ventum commodissimum experti, et sub vesperam ad Hvitingseyam[3] appu-

---

[1]) Hæc in Hkr. absunt. Gölæ non occurrunt, quantum scio, nisi in provincia Fjördensi, Eiglæ c. 49, qui situs in h. l. minus quadrat. [2]) Nunc *Egersund*, fretum inter insulam *Egeröe* et continentem, in tractu *Dalerne*. [3]) Nunc *Hvidingsöe*, in provincia *Ryefylke*, occidentem versus a Tunguneso.

lerunt. Inde rex boream versus in Hördalandum[1] profectus, convivia sibi structa ubique obiit.

Cap. 131. Hoc vere navis e Norvegia in Færeyas transmiserat, regis Olavi mandata ferens, ut aliquis ex aulicis ejus, Leivus Össuris filius aut Gillius Prætor aut Thoralvus ex Dimune, ex Færeyis ad se perveniret. Quæ mandata cum in Færeyas allata, ipsisque nuntiata essent, inter se, quo hæc mandata spectarent, deliberabant, atque ea sententia inter eos convenit, velle regem de his rebus perquirere, quas res pro certis nonnulli habuissent, quod in insulis duarum navium vectores, nullo incolumi evadente, periissent. Communi consensu decreverunt Færeyenses, ut Thoralvus legationem obiret. Hic itaque ad iter se paravit, onerariam, quæ ei erat, ornavit, virosque comparavit, ut omnino essent decem aut duodecim. Ut vero parati erant et ventum secundum exspectabant, hoc novi accidit in Östreya, ut Thrandus de Gata die quodam placido et sereno cubiculum intraret, ubi in scamno transverso cubabant cognati ejus, Sigurdus ac Thordus, Thorlaki[2] filii, tertius Gothus Rufus, eis quoque cognatus; qui cognati omnes eximii erant juvenes, Sigurdus vero natu erat maximus et ceteros omni nomine antecellebat. Thordus cognomen habuit dictus Thordus Humilis[3], cum esset statura maxima, multo tamen celebrior firmitate corporis et virium magnitudine, quæ quantæ essent, vulgo vix innotuerat. Tum Thrandus: multa unius hominis ætate mutantur! me juvene raro accidit, ut homines, qui in flore essent ætatis, cœlo placido et sereno intus sederent ac jacerent; neque facile credidissent veteres, futurum, ut Thoralvus ex Dimune vos strenuitate superaret. Navis autem

[1]) Halogiam, prave, *C,D F.* [2]) Aslaki, *I.* [3]) Longus, *C,D, G,* et in sequ.

oneraria, quam habeo, hic in naustibulo stans, vereor, ne adeo vetustatis vitio laboret, ut cum ipsa pice putrescat; sunt quoque heic loci domus singulæ lana refertæ, quam ad mercatum comportare non licet; ego profecto proficiscerer (mercatum), si aliquot annis junior essem. Heic Sigurdus exsiliens, Thordum ac Gothum, ut se sequerentur, hortatus est, se ab Thrando amplius stimulari nolle ostendens. Exeunt, et ubi domestici erant, se conferunt; ad navem deinde descendentes, onerariam deducunt, onus apportandum curant, navemque onerant; aderat domi mercium, quibus navis oneraretur, copia, aderant omnia navalia armamenta; nave paucis diebus expedita, decem aut duodecim viri onerariam Thrandi conscendunt. Ante vero quam domo proficiscerentur, Thrandus senex cum Sigurdo et Thordo diu secreto collocutus est. Hi atque Thoralvus eadem tempestate solverunt, et quo loco maris quique versarentur, semper animadverterunt; iidem mutuum auxilium, si qua postularet necessitas, condixerant. Declinante in vesperam die, ad Hereyas[1], Norvegiæ insulas, appulerunt, Sigurdo navem ad litus exterius constituente. Accidit sero vespere, obortis tenebris, cum Thoralvus ac socii cubitum ire pararent, ut Thoralvus uno comitatus homine in terram ad requisita naturæ

[1]) Hereyæ, in Sunnmæria sitæ h. l. alienæ videntur, cum paulo ante in fine cap. 131 rex dicatur Hördalandum obire. *C,D,G* habent Hernas; *F* et Hkr. Hernam, quod librarii vitio pro Herdla [nunc *Herlö*, Hördalandi insula, juxta insulam *Askerö (Askeland)* ad caurum] positum autumat celeb. Schöningius. Historia Orkadensium p. 198-200 insulas Hernas non procul a Bergis, et cod. R., citatus in Vers. Njalæ p. 7, not. *e*, ad Hördalandum ponit. *Hern*, in singulari, occurrit in Njala, vide Gloss. Njalæ. Forte *Hen-Öer*, quas ad Hördalandum ponit *Geogr. Oplysn.* p. 69.

egressus secessum[1] quæreret. Qui cum descendere ad navem vellent, is qui eum comitatus est, testatur, se necopinante vestem capiti fuisse circumjectam, ipsum a terra sublatum, eo ipso momento magnum audisse fragorem, dein gestatum, ut si infans esset, mox datum præcipitem (eo vero loco cæruleum salum subfuisse), atque deturbatum in gurgitem: ubi in terram evasisset, accessisse ad locum, ubi a Thoralvo distractus fuisset, ibique offendisse Thoralvum humerorum tenus dissectum, tumque mortuum. His cognitis rebus convectores Thoralvi funus ejus in navem exportarunt, ibique per noctem reposuerunt. Hoc tempore rex Olavus in Lygra[2] haud procul inde convivio aderat; cui cum nuntius primo mane postero missus esset, extemplo indictis per sagittam comitiis, ipse rex præsens adfuit, præsentes quoque convocati ab eo Færeyenses, utriusque navis vectores. Constitutis vero comitiis, rex surrexit et hunc in modum verba fecit: heic gestæ sunt res, quas raro accidere nobis gratulamur: interfectus vir bonus est, et, ut putamus, innocens! ecquis heic adest, qui auctorem hujus facinoris indicare possit? Sed nemo rem fassus est. Tum rex: haud celare volo meam de hoc facinore opinionem, quæ ad ipsos Færéyenses spectat, res enim ita fere perpetrata mihi videtur, ac si

[1]) ad alvum exonerandam, add. *I.* [2]) Lygra, villa in continente non procul ab insula Herdla sita. G. Schönning. Ego accipio pro *Lyren s. Lygren,* insula ad Hördalandum sita, orientali lateri insulæ *Radö* objecta *(Geographisk Oplysning til Kortet over det sydlige Norge, ved Pontoppidan p.* 68. 228*)*, ubi prædium regium fuisse, docet Vita Egilis Skallagrimi, Cap. 36, init. Recenset quoque Edda Snorriana mscr. Lygram inter insulas, aliquot strophas afferens, auctore Einare Skulii filio, insularum varia nomina continentes, in quibus hic versus ad rem nostram pertinet: *brakar Lygrumen nâkkvat.*

Sigurdus Thorlaki filius hominem occiderit, Thordus vero Humilis eum in gurgitem deturbaverit; ad quam opinionem hæc mea conjectura accedit, causam cædis fuisse, quod noluerint ab Thoralvo prodi facinora ista, ipsi quidem explorata, nobis vero diu suspecta, cædes illas furtivas ac maleficia, quibus legati mei in insulis istis clam interfecti fuerunt. Cum rex finem dicendi fecerat, surrexit Sigurdus Thorlaki filius et locutus est: Etsi non dubito, quin mihi in publicis conventibus verba facere antea non solito facundia forte deesse videatur, tamen adesse video justam necessitatem, ut ad has modo incidentes rerum difficultates, et crimina, quorum nos haud obscure rex insimulat, respondeam. Inclinat quidem animus, ut credam, hunc sermonem, quem rex exorsus est, profectum esse ab ore eorum hominum, qui ipso sint multo et imprudentiores et maligniores: sed assertio ista exiguam habet veri speciem, voluisse me Thoralvi, coalumni mei mihique amicissimi, interfectorem esse. Nam si res aliter se habuisset, atque me inter ac Thoralvum simultates intercessissent, ea sum prudentia, ut prius domi in Færeyis, quam heic sub manu tua, o rex, tale facinus adgressus fuissem. Quam ob rem veritas svadet, ut hoc facinus, et meo et omnium sociorum ac convectorum nomine, infitier, et jusjurandum ex legum vestrarum præscripto offeram. Quid, quod ferrum candens gestabo, si hoc plenius ad veritatem videbitur, atque velim, domine rex, ut ipse purgationi intersis, et eo melius rem agi existimabo, quo severius administratur, si possim hanc diluere et propulsare calumniam, ut omnibus bonis appareat, me et socios falso esse hujus criminis insimulatos; et pari ratione utrumque crimen refutare volo, tam hoc, quam eam calumniam, qua rex me ac socios cædis legatorum suo-

rum, pecuniæ ergo occisorum, oblique insimulabat. Cum loqui desierat Sigurdus, multi se interponebant, ut ei hæc crimina purgare liceret, dicentes, Sigurdum bene pro se verba fecisse, eique hoc crimen falso intentari declarantes. Rex respondet: hujus viri indoles in diversum trahi potest: si enim hæc de eo falso dicuntur, haud dubie vir bonus est; sin minus, rarissimi exempli audaciam ostendit; quod potius crediderim; auguror vero ipsum brevi testimonium hujus rei editurum. Aliorum vero adhortationibus et precibus factum est, ut rex vadimonium ferri gestandi imponeret Sigurdo, qui postridie Lygræ adesset, et curante episcopo sese purgaret. Quibus actis dimissa comitia sunt; rex vespere in Lygram profectus est, Sigurdus vero et socii ad navem se contulerunt; tenebris nocturnis jam jam oborientibus. Tum Sigurdus comitibus: apparet, nos in magnam rerum difficultatem et gravissimam calumniam incidisse; hic enim rex astutus et callidus est; qui si proprio arbitrio rem decidet, quæ nos mansura sit fortuna, facile est intellectu. Primo enim Thoralvum, amicum et sodalem nostrum, interficiendum curavit, deinde ut inexpiabilis sceleris reos nos peragat, hujus impii facinoris nos compellat; facili itaque negotio poterit ferri gestandi ceremoniam erroribus impedire. Cui periculo qui se objicit, huic exiguam spem salutis esse existimo. Cum vero jam aura acrior e sinu interiore spiret, svadeo, ut velo sublato in altum provehamur; Thrandus, si lubet, alia æstate ipse proficiscatur et lanam suam vendat. Ego vero, si hac vice periculum effugero, verisimilius existimaverim, me posthac nunquam in Norvegiam, hoc certe rege, trajecturum, modo pro arbitrio agere liceat. Hoc consilium ceteris prudentissime excogitatum videbatur, qua-

re sublato velo navem in altum ferri sinunt, maxima qua possunt celeritate usi, cursu non prius intermisso, quam Færeyas tenerent, domumque Gatam pervenirent. De qua profectione cum Thrandus acerbius quereretur, illi haud bona responsa reddiderunt, et tamen non eo minus domi cum eo versati sunt. Illi famam de his rebus in Færeyas pertulerunt, de cæde Thoralvi ex Dimune, et quomodo hæ res gestæ fuissent, addentes, putare se, ab rege fuisse insidiis circumventum. In cujus morte magnum damnum factum esse insulani judicaverunt.

Cap. 132. Brevi post hæc rex Olavus fama cognovit, Sigurdum aufugisse; quare causa Færeyensium male jam audire cœpit, multique, qui eum excusaverant et ejus causa regi oblocuti fuerant, eum jam criminis convictum esse declararunt. Rex Olavus pauca de hac re locutus est, dicens, rem haud multo aliter cecidisse, atque opinatus fuisset, seque jam explorata habere, quæ antea de Færeyensibus suspicatus esset. Posthæc rex iter perrexit et præparata sibi convivia celebravit. Rex Olavus viros, qui ex Islandia jussu regis advenerant, Thoroddum Snorrii filium, Gellerem Thorkelis, Steinem Skaptii, Egilem Halli ad se in colloquium vocavit, et ita locutus est: sæpius hac æstate mihi significavistis, vos in Islandiam reverti cupere, de qua re nondum certi quidquam constitui. Nunc palam vobis faciam, quid decreverim: te, Geller, in Islandiam mittere statui, si eo mea perferre mandata velis; ceteri vero Islandi in patriam non revertentur, priusquam, quem exitum habeant negotia a te, Geller, curanda, cognovero. Quæ cum aperuisset rex, hi, qui redeundi cupidi a domum reditione prohibiti erant, dolo secum agi existimabant, invitos retineri ægerrime ferentes. Geller hac

æstate in Islandiam trajecit, mandata regis Olavi perferens, quæ sequenti æstate in comitiis promulgavit. Hæc autem mandata regis erant talia: petebat ab Islandis, ut leges, quas in Norvegia posuisset, acceptarent, sibi vero ex terra multas pro cæde ingenuorum et tributum pro quovis capite (nempe pro quovis capite numum, quorum decem ulnam panni valerent) dependerent. Quod si concedere vellent, integram suam amicitiam pollicitus est; sin minus, gravissima quæque, cum se offerret occasio, minatus est. Super his rebus diu sedebant, diuque inter se consultabant; tandem inter eos convenit unanimi consensu, uti leges et tributa et omnia ab rege imperata onera recusarent. Geller ea æstate in Norvegiam ad regem Olavum reversus est, eumque autumno in Vika convenit, postquam e Gothia redierat, quemadmodum spero infra in historia regis Olavi commemoratum iri. Cum processit autumnus, rex Olavus boream versus in Thrandheimum contendit, et Nidarosum copias duxit, ubi res ad hiemandum necessarias comparari jussit. Hæc hiems fuit imperii ejus decima tertia[1].

Cap. 133. Ketil Jamtus[2] nomen erat viro, filio Önundi[3] dynastæ ex Sparabuo[4], Thrandheimi provincia. Hic ab rege Eysteine Malo pulsus, orientem versus per Carinam profugit, sylvam excidit, et territorium, quod exinde Jamtia appellatur, frequentavit; quo magnus hominum numerus ex Thrandheimo profugit, sedibus pulsus, quod rex Eystein Thrandos vectigales reddiderat, eisque regem præfecerat canem[5] suum, Sörem[6] dictum. Nepos Ketilis Jamti erat Tho-

[1]) octava, *C,D,L*; decima, *F*. [2]) Jamtius, *cet.* [3]) Ita ceteri; Eymundi, *A*. [4]) Sic ceteri; Sparbuo, *A*. [5]) filium, *C,D, G,H,I,K*. [6]) *Saurr] Sörr, B,C,D,H,L; Serr, I; Sörkvir, K.*

rer Helsingus (Attagen), ex quo Helsingia denominata est, quam primus omnium incolis frequentavit. Ubi vero Haraldus Pulcricomus viam sibi ad imperium faceret, magnus hominum numerus ob ejus impotentiam, et Thrandi et Nömudalenses, pulsi regno cesserunt, unde iterum territorium Jamtiæ incolis valde frequentatum est, aliis in Helsingiam usque ad mare orientale concedentibus, qui regi Svionum officium præstiterunt. Cum vero Hakon Adalsteinis-alumnus Norvegiæ imperabat, pax et commercium inter Thrandheimum et Jamtiam constitutum est. Qui cum esset apud omnes gratiosus, Jamti ab oriente profecti eum adierunt, eique obsequium polliciti tributa dependerunt, ille vero eis leges et jura posuit. Hi regi Norvegiæ, quam Svionum regi, obedire maluerunt, quod se e Norvegia oriundos dictitabant; quod idem fecerunt omnes Helsingi, quorum familia a borea Carinæ habitabat. Quod ab eo inde tempore duravit, donec Olavus Crassus et Olavus Svecus de regnorum finibus contendebant, Jamtis et Helsingis iterum[1] regi Svionum se submittentibus, termino regnorum ab oriente sylva Eidensi, indeque Carinis boream versus usque ad Finnmarkam. Tum enim rex Svionum tributum ex Helsingia et Jamtia exigere cœpit, ut ab antiquis temporibus consvetudo fuerat, cum longo jam tempore Jamti tributa regibus Svionum pependissent, et ab his præfecti provinciarum constituti fuissent. Sviones quoque magna contentione postulabant, ut omnes orientales provinciæ, trans Carinam sitæ, in potestatem Svionum regis redirent. Et accidit hic, quod sæpe solet usu venire, ut, quamvis reges affinitate et amicitia juncti essent, tamen quisque regnum, quod possidere, cujusque possidendi jus aliquod

[1]) Hic lacuna incipit in *E.*

habere sibi videretur, totum obtinere vellet. Rex Olavus enim misso in Jamtiam nuntio postulaverat, ut Jamti obsequium sibi præstarent, secus facientibus graves pœnas minatus; Jamti vero, re deliberata, se regi Svionum obsequium præstituros declarabant.

Cap. 134. Thoroddus Snorrii filius et Stein Skaptii filius sorte sua male contenti erant, quod illis proficisci quo liberet, non licuit. Erat Stein vultu formosissimo, omnium artium peritia excellens, bonus poëta, elegantiam in cultu vehementer sectans et honoris cupidissimus. Hujus pater Skaptius carmen laudatorium de rege Olavo composuerat, filiumque docuerat, eo consilio, ut carmen coram rege recitaret. Stein temperare sibi non potuit, quo minus regem tam soluta quam ligata oratione reprehenderet. Tam hic, quam Thoroddus, in loquendo minus cauti erant, dicentes, regem velle majorem exhibere inhumanitatem, quam qui filios et cognatos suos ejus fidei commisissent, summæ enim perfidiæ esse, quod eos libertate privaret, neque quo liberet ire permitteret. Hæc dicta iram regis magnopere commovebant. Accidit die quodam, ut Stein regem adiret, et quæreret, an aures præbere vellet carmini, quod Skaptius pater suus de eo composuisset. Rex respondet: at prius te cantare oportet versus, quos in regem tuum pepigisti. Stein se quicquam pepigisse negavit: non enim sum poëta regius; atque si vel carmina facere possem, hæc velut cetera, quæ facio, parum laudabilia existimaveris. Quibus dictis abiit, quo[1] hæc spectarent, intelligens, neque plura cum rege collocutus est. Thorgeir, procurator regis Olavi, qui prædium ejus in Orkadalo situm administravit, ibi tum

[1]) Incipit lacuna in *I*.

aderat et colloquium regis ac Steinis audiebat, et postea domum profectus est. Nocte quadam Stein cum puero, qui ei a calceis erat, ex oppido aufugit; primo Gölarasum superarunt, deinde per exteriora contenderunt, donec in Orkadalum[1] pervenerunt; et, cum sub vesperam ad prædium regium, cui Thorgeir præerat, venissent, Thorgeir Steini hospitium per noctem obtulit, et quæ causa esset profectionis quæsivit. Stein frumentum in villam convehi animadvertens, rogavit, ut sibi equum et traham daret. Cui Thorgeir: nescio, quæ sit tuæ profectionis ratio, regis permissu iter facias nec ne; neque enim res admodum amice inter te ac regem nudius tertius cessisse videbatur. Stein contra: etsi per regem stat, quominus libertate utar, haud sane per servos ejus stabit. Tum gladium vibravit et procuratorem interfecit; mox equum rapuit, et puero conscendere jusso, in traha consedit, dein iter persequentes totam noctem traha vehebantur, donec mane in Surnadalum Mæriæ[2] devenerunt. Hinc conducta per sinus vectura, iter quam vehementissime contenderunt. Cum vero nusquam[3], qua iter facerent, hanc cædem nuntiarent, et se regios esse profiterentur, quacunque venerunt, omnibus liberalitatis officiis adjuti sunt. Vesperascente die in Gizkam[4] venerunt ad prædium Thorbergi Arnii filii; hic quidem domi non erat, sed domi erat uxor ejus Ragnhilda, filia Erlingi Skjalgii, a qua Stein perquam liberaliter exceptus est, magna enim inter eos familiaritas intercedebat. Antea enim olim acciderat, cum Stein nave, quam ipse possedit et gubernavit, in Norvegiam profectus, ex alto Gizkam attigisset, et

[1]) Sic ceteri; *Gaulardal*, *A.* [2]) nempe borealis. [3]) Negationem add. ceteri. [4]) insulam Sunnmæriæ.

ad insulam in ancoris staret, ut Ragnhilda partui vicina, puerperio cubaret: quæ cum partu difficiliori laboraret, neque ullus sacerdos in insula locisve vicinis adesset, missi sunt ad navem mercatoriam, qui quærerent, an sacerdos aliquis in nave esset. Erat in nave sacerdos, nomine Bardus[1], Vestfjördensis, juvenis et sacrorum rituum rudis. Hunc missi rogarunt, ut secum domum ad matremfamilias iret. Sacerdos negotii difficultatem timens, suæ sibi inscitiæ conscius, cum ire nollet, Stein intercedebat, et, ut iret, hortatus est. Hic sacerdos: ibo, si mecum ire vis, consilio enim me plurimum adjuvare potes, si qua res difficilior inciderit. Stein suam operam libenter pollicitus est, si eo magis proficisci vellet. Deinde villam adeunt et ad Ragnhildam se conferunt; hæc paulo post partum enixa est, infantem feminam, perquam imbecillam, quam sacerdos baptizavit, Steine susceptoris munus obeunte; virgo recens nata Thora nominata est, cui Stein aureum annulum, quem manu gestabat, dono dedit. Ragnhilda Steini integram suam amicitiam pollicita, rogavit, ut ad se veniret, si qua re ejus auxilio egeret. Stein vero se haud plures virgines in baptismo suscepturum significavit. His peractis digressi sunt. Jam vero res Steinis in eum locum deducta erat, ut dati ab Ragnhilda promissi fidem postularet, quid accidisset et ut in iram regis incurrisset, referens. Ea dicit, re probaturam, quid efficere possit, quo eum juvaret; rogat, ut Thorbergum maritum exspectet, eique locum designat juxta Eysteinem Orrium, filium suum, tum duodecim annos natum. Stein Eysteinem ac Ragnhildam muneribus donavit. Thorbergus, antequam domum veniret, omnia de fuga Steinis cognoverat, et vultu per-

[1]) Brandus, *C,D,G,K,L,S.*

quam irato erat. In hujus colloquium veniens Ragnhilda, de conditione Steinis omnia, ut gesta erant, retulit, rogans, ut Steinem hospitio exciperet et rebus ejus prospiceret. Thorbergus respondet: omnia rescivi de profectione Steinis; rex, interfecto procuratore suo, per sagittam comitia edixit, quibus Steinem totius Norvegiæ exulem, occidendum et capiendum, quocunque loco offendatur, declaravit, summaque ira incensus est; ego vero prudentior sum, quam ut hominem peregrinum recipiendo iram regis in me concitem, quare Steinem quam citissime domo dimitte. Ragnhilda reponit, utrosque, se ac Steinem, aut una abituros, aut remansuros. Thorbergus eam, quoquo liberet, ire jussit: spero enim, te, inquit, etsi abeas, cito redituram; hic enim in Gizka, maximo gaudebis honore. Tum prodiens Eystein, filius eorum, ita locutus est, se digressa matre non remansurum. Thorbergus, cum eorum pertinaciam et ingenii vehementiam castigasset: ratio est, ut hæc res, quam tanti esse judicetis, vestro permittatur arbitrio; in te vero, Ragnhilda, inquit, cognatisque tuis hoc nimis gentile est, quod imperata regis Olavi contemnitis. Ragnhilda respondet: si tibi res majoris laboris esse videtur, Steinem in tutelam recipere, eum ad Erlingum patrem meum deducas, aut præsidium des, quo possit eo tuto pervenire; hunc enim mea gratia eum spero recepturum. Thorbergus significavit, se Steinem non eo missurum: multa enim Erlingus regi minus grata committet, etsi a me non proficiscantur. Ita factum, ut Stein ibi hiemaret. Post vero festum Jolense venerunt ad Thorbergum missi ab rege Olavo, his mandatis, ut ante medium Jejunium quadragesimale ad se veniret, neglecti mandati gravi pœna addita. Thorbergus rem ad amicos rejecit, eosque consuluit, an re ita com-

parata regis conveniendi periculum adiret; plerique vero dissvadebant, potius esse dicentes, Steinem dimittere, quam regem convenire; Thorbergus autem profectionem non negligendam duxit. Post aliquanto Thorbergus fratrem Finnum adiit, eum hac de re consulens, atque rogans, ut hujus itineris comes esset. Finnus respondet: pessima mihi res videtur, uxoris potestate ita subjectum esse, ut fidem erga dominum servare propter uxorem non audeas. In promtu tibi est, ait Thorbergus, non proficisci, nisi velis; deterreri tamen existimo te, magis ignavia, quam erga regem fide. Sic fratres irati digressi sunt. Deinde Thorbergus Arnium fratrem convenit, rogans, ut secum ad regem iret, et quo loco res esset, exponeret. Cui Arnius; mira mihi videtur ratio tua, qui vir sis prudens et circumspectus, quod in tantum ruisti infortunium, ut nulla adductus necessitate in odium regis incurreris. Danda foret venia, si cognatos aut sodales tuos in tutelam tuam recepisses, hic vero nulli locus veniæ, cum hominem Islandum receperis, exulem regis tuearis, et ancipiti periculo objectes vitam et fortunas tuas et omnium, qui te juvare volent, cognatorum, nec non amicorum. Thorbergus reponit: verum illud dicunt, unum esse cuique familiæ degenerem. Hoc infortunium patris mihi evidentissimum fit, quam infelix fuerit in generandis filiis, qui novissimum genuerit eum, qui gentem nostram nulla re referat et omnino ignavus sit; et nisi cum ignominia matris diceretur, maxime foret consentaneum, te fratrem nostrum non appellare. His dictis Thorbergus domum se convertit, oppido tristis. Post hæc, nuntiis in Thrandheimum missis, Kalvum fratrem rogat, ut obviam sibi in Agdanesum veniat. Ut vero missi eo venerunt et Kalvum convenerunt, hic extemplo se venturum

promisit, nihil excusans. Ragnhilda, nuntiis orientem versus in Jadarem missis, auxilia ab Erlingo patre petiit. Inde profecti filii Erlingi, Sigurdus ac Thorer, singuli navem viginti transtrorum, viris bene[1] instructam, duxerunt. Hi iter perrexerunt, donec in Gizkam pervenerunt. Hinc illi cum Thorbergo in boreales terræ partes contenderunt, ubi in ancoris stantes offenderunt Finnum et Arnium, duas naves vigintitranstras ducentes[2]. Dein cum omnibus copiis in Thrandheimum profecti sunt, Steinem secum ducentes. Venientes ad Agdanesum, Kalvum Arnii filium offendunt, qui navem habuit vigintitranstram, bene instructam; unde totam classem ad Nidarholmum[3] duxerunt, ibique in ancoris steterunt. Mané postero colloquio inito consilia inter se contulerunt: Kalvus ac filii Erlingi totam classem ad oppidum ducendam, remque fortunæ permittendam existimarunt; Thorbergus vero hoc noluit, sed primo rem placide tentandam, regique æquas conditiones proponendas censuit. Quam in sententiam cum Finnus et Arnius ivissent, hoc captum consilii est. Quare Finnus et Arnius paucis comitati regem adierunt. Rex, qui de multitudine, quam adduxerant, certior factus erat, se in sermone perquam austerum præbuit. Finnus Thorbergi ac Steinis nomine has conditiones proposuit, ut rex multam pro lubitu constitueret, Thorbergus autem civitatem et reditus, quos antea habuisset, retineret, Stein vero vita et membrorum incolumitate donaretur. Respondet rex: hæc profectio ita domo instituta mihi videtur, ut nunc mihi pares, immo superiores esse videamini; verum hoc a vobis fratribus minime exspectaveram, vos[4] adversus me arma la-

[1]) nonaginta viris, *C,G,K,S*; triginta viris, *D*. [2]) Hic iterum incipit *E*. [3]) Nidarosum, *C,L*; Holmum, *D,G*. [4]) Hic iterum incipit *I*.

turos; nec ignota mihi sunt consilia ista, quorum auctores haud dubie sunt Jadaris incolæ. Non autem est, quod pecunias mihi offeratis. Tum Finnus: non ea de causa ego et fratres copias contraximus, ut tibi, domine, bellum inferre voluerimus, neque hoc consilium Jadaris incolis imputandum, a quibus auxilia petierimus; sed ideo tantam coëgimus hominum multitudinem, ut tibi primo nostram operam offerremus; si vero hoc frustra est, atque hanc recusas, et Thorbergo iniquas conditiones offerre cogitas, nunc cum his copiis, quas contraximus, ad regem Knutum Potentem transibimus, experturi, an nos rejiciat; sed ab eo plurimum absumus, ut tibi quicquam negotii facessere velimus. Rex eum coram intuitus: si tu ac fratres jurejurando interposito spondere vultis, me domi forisque comitaturos, neque a me, nisi meo jussu aut permissu, discessuros, neque me insidias, si quas mihi fieri animadverteritis, celaturos, vobiscum reconciliari volo. Dein Finnus ad suos reversus, quas rex conditiones proposuisset, exposuit. Mox consilia inter se communicant; Thorbergus se accepturum suo nomine has conditiones ostendit: invitus enim facio, ut relictis possessionibus meis ad exteros principes aufugiam, honori futurum sperans, si regem Olavum secutus, ibique, ubi ille est, versatus fuero. Tum Kalvus: jusjurandum minime regi Olavo præstare volo, sed tam diu solum in hac terra versari, dum reditus ac honores mihi concessos obtinuero, dumque rex meus amicus esse voluerit, atque ut sic ceteri faciant, auctor sum. Finnus: eo vero meus inclinat animus, ut regi soli conditiones inter nos decernendas permittam. Arnius Arnii filius ait: inclinat animus, ut te, frater Thorberge, sequar; si vel adversus regem Olavum pugnare velles, non te forem de-

serturus, nedum, cum tam bonum ceperis consilium; quare te et fratrem Finnum sequar, et quam conditionem vestro nomine elegeritis, hanc accipiam. Tres fratres, Thorbergus, Finnus et Arnius, una conscensa nave ad oppidum remigarunt et regem adierunt. Tum reconciliatio ita confecta est, ut fratres regi fidem suam jurejurando obstringerent. Dein cum Finnus[1] Steinem in gratiam cum rege reducere conaretur, rex permisit, ut quo vellet tuto abiret: mecum autem posthac non esto, ait rex, quod non admodum morabitur. Posthæc Thorbergus ad suos reversus est. Kalvus inde Eggjam ad villam suam concessit, Finnus ad regem se contulit, Thorbergus vero et Arnius ceterique socii ad res suas redierunt. Stein cum filiis Erlingi austrum versus profectus est; primo autem vere occidentem versus in Angliam trajecit, et postea regis Knuti aulicus factus est, et apud eum magno habitus honore versabatur.

Gap. 135. Cum Finnus Arnii filius brevi tempore apud regem Olavum commoratus esset, accidit die quodam, ut rex eum pluresque alios quos semper adhibere in consilium consveverat, ad se vocaret. Quos rex allocutus, ita verba fecit: hoc consilium animo statutum habeo, ut proximo vere universi regni copias, tam milites, quam classiarios, evocare, et omnes has copias, quas contrahere potero, adversus regem Knutum Potentem ducere decreverim; novi enim, quod jus regni mei possidendi sibi vindicaverit, hoc non temere abstiturum. Nunc hoc tibi, Finne Arnii fili, mando, ut meam suscipias legationem, boream versus in Halogiam profectus, omnes copias ac naves imperes, collectasque universas obviam mihi ad Agdanesum deducas.

[1]) Thorbergus, *C,D,E,G,I,K,L,S.*

Deinde constitutis ceteris legatis, alios in Thrandheimum, alios in meridionales regni partes dimisit, ut idem nuntius per totum regnum mitteretur. Hoc de itinere Finni commemorandum: celocem habens, triginta viris instructam, cum paratus erat, iter ingressus in Halogiam contendit, habitoque conventu colonorum, mandata exposuit, et copias pedestres ac navales nomine regis Olavi poposcit. Coloni, qui in provinciis magnas naves et minora navigia ad navalem habilia expeditionem haberent[1], alacri animo regis mandato obsecuti, naves suas extemplo ornare cœperunt. Tendens in boreales Halogiæ partes Finnus ad comitia colonos convocavit, quosdam véro suorum ad copias, ubi placuisset, imperandas præmisit. Misit et in Bjarkeyam ad Thorerem Canem, qui hic, ut aliis locis, copias et naves postularent. Quæ regia mandata cum ad Thorerem pervenirent, confestim sese ad iter paravit, et navem illam magnam, quam superiore æstate ad terram Bjarmorum duxerat, suo solius sumtu ornatam, domesticis suis instruxit. Finnus omnes Halogos, qui inde versus septemtrionem erant, in unum locum convocavit; quo magnus copiarum numerus hoc vere coiit, Finni a borea adventum exspectantes; advenerat et Thorer Canis, cum Finnus redierat. Hic universas copias, tam pedestres, quam navales, ad concionem tuba convocavit. His comitiis arma pro more solito monstrata sunt, item numerus evocatorum e quavis tribu maritima recensitus. Quibus peractis, Finnus locutus est: hac de re te, Thorer Canis! compello, quam satisfactionem regi Olavo offerre velis pro cæde Karlii, aulici ejus, aut pro rapina illa, qua eum bonis spoliasti in Lengjuvika? cujus rei procuratio cum mihi a rege

[1]) Hic lacuna incipit in *E*.

demandata sit, responsa tua nunc audire volo. Thorer oculos circumferens, cum ab utroque latere multos homines stare conspiceret, in quibus Gunnsteinem, fratrem Karlii, aliosque complures cognatos et amicos ejus cognovit: nihil cunctatus, Finne, spondeo, me regi et ejus arbitrio rem totam, de qua mihi succenseat, permissurum. Cui Finnus: at maxime consentaneum est, tibi minus honoris tribui, nam, si confiet reconciliatio, in meum arbitrium spondendum tibi est. Thorer respondet: atque hoc recte convenire judico, quare neutiquam hoc facere detrecto. Tum Thorer ad sponsionem accessit, Finno pactionem præeunte. Deinde Finnus pactionis conditiones renuntiat, ex quibus Thorer auri[1] decem selibras regi dependeret, alteras decem selibras Gunnsteini et[2] cognatis[3], tertias decem selibras pro rapina et bonorum amissione, atque has pecunias eo ipso tempore extemplo dependeret. [Hic Thorer: hæc ingens multa est. Altera conditio est(ait Finnus), ut nulla confiat pactio[4]. Thorer Finnum rogavit, ut tempus sibi concederet, dum pecunias ab contribulibus suis mutuas sumeret. Finnus eum extemplo pendere jussit[5]: atque insuper (ait Finnus) magnum illud et eximium monile, quo mortuum Karlium spoliasti, reddito. Cum Thorer se ullum monile cepisse negaret, Gunnstein prodiens testatus est, Thorerem mortuo Karlio monile eripuisse, Karlium enim cum Thorere congredientem monile in collo gestasse, in suscepto vero funere nullum monile visum. Thorer se monile istud haud notasse simulavit: si vero fuit monile nescio quod, puto in Bjarkeya relictum. Tum Finnus hastæ mucrone pectori Tho-

[1]) argenti, *C.* [2]) Ita ceteri; *en*, sed, *A.* [3]) filio, *C.* [4]) Quæ sunt ab signo [, absunt in *B,G.* [5]) Ita ceteri, usque a signo, præter *B,G*; omissa sunt in *A.*

reris admoto, quantumvis invitum reddere monile jussit; Thorer vero monile collo detractum Finno tradidit. Dein Thorer digressus, navem suam conscendit, multique cum eo viri. Finnus ac sui eum secuti, tabulatis interscalmiorum demtis, sub foris juxta malum duo dolia invenerunt, tantæ magnitudinis, ut omnibus miraculo esset. Finnus Thorerem interrogat, quid magnis illis dolus inesset. Thorer potum inesse significavit. Finnus: cur potum nobis non das, commilito, cum tantam copiam habeas? Thorer e dolio in phialam effundi, eisque potum dari jussit. Dein Finno ac suis potus datus, et quidem eximius. Posthæc Finnus Thorerem jussit pecuniam solvere, aut soluturum negare. Thorer eum in terram egredi jussit, ibi enim se soluturum dixit. Finnus ac sui in terram egrediuntur; advenit Thorer, pecuniam solvit: expensæ ex una crumena decem selibræ ponderatæ: tum proferri jussit multas lacinias nodatas, quarum aliæ selibram ponderatam, aliæ dimidium selibræ, aliæ aliquot uncias continebant. Tum Thorer: hæc pecunia mihi est a diversis mutuo data, nunc enim quod habui viaticum consumtum esse opinor. Deinde Thorer in navem regressus est; ut vero rediit, argentum sensim sensimque expendit. Interea processit dies; cum vero comitia dimissa sunt, homines ad naves properare, ad abeundum se parare, et ut quisque paratus erat, e portu navigare; ita factum est, ut pars plurima abiisset, et Finnus multitudinem circa se rariorem fieri sentiret. Inclamantibus jam eum atque itineri se accingere jubentibus, nondum tertia pars pecuniæ soluta erat. Tum Finnus: tarde pensio administratur, Thorer! video te invito animo pecuniam solvere; quare hac vice missum te faciam, quod vero reliquum est, regi persolvito. His dictis Finnus

surrexit et discessit. Thorer locutus est: gaudeo, Finne, quod nunc tandem hac vice diversi discessimus, ego vero hoc debitum ita persolvere conabor[1], ut utrisque, et tibi et regi, haud nequiter persolutum esse videatur. Post hæc Finnus ad naves descendit, et classem prænavigantem insecutus est. Thoreriani tardius ex portu solventes, cum velum sustulissent, Vestrafjördo[2] enavigato, in altum provecti, austrum versus secundum terræ longitudinem ita navigarunt, ut interdum media montium latera, interdum cacumina aquis tecta essent. Hunc cursum versus meridiem usque tenuit Thorer, donec mare Anglicum ingressus, Angliam attingeret. Dein ad regem Knutum se contulit, a quo benigne exceptus est. Tum vulgo compertum est, Thorerem ingentem vim pecuniæ possidere, nam omnem secum vexit pecuniam, quam superiore æstate ex Bjarmia devexerat, item eam, qua Karlium ac socios ejus spoliaverat. Ingentia autem illa dolia intra fundum extremum habebant alium fundum, parvo interjecto spatio, quod potus occupavit; utrumque vero dolium revera repletum erat argento[3], cinereis pellibus, fibrinis ac Zibellinis. Thorer deinceps apud regem Knutum aliquantum temporis versatus est. Finnus vero copias coactas ad regem Olavum duxit, cui omnem itineris sui rationem exposuit, et præterea, quod putaret, Thorerem terra excessisse et orientem versūs ad regem Knutum se contulisse: quem nobis inutilem esse existimo. Cui rex: credo, Thorerem, ubicunque se contineat, nobis esse inimicum, atque eum semper remotum potius quam vicinum mihi optarim.

Cap. 136. Hac hieme Asmundus Grankelis

[1]) Hic iterum incipit *E.* [2]) Vestfolda, *D.* [3]) hanc vocem ceteri ignorant.

filius in provincia sua Halogia apud patrem Grankelem versatus est. Prope eum locum in mari sitæ sunt insulæ, bonam habentes capturam vitulorum, ovorum, alitum ae piscium, quæ insulæ olim ad prædium Grankelis ac filii diu pertinuerant, sed Harekus de Thjotta eas sibi vindicaverat, et res erat eo loci deducta, ut omnem usumfructum insularum aliquot annis percepisset. Cum vero Asmundus ac pater auxilio regis confiderent ad omnes legitimas causas obtinendas, proximo vere ambo una Harekum adierunt, eique demonstrarunt tesseras regis Olavi, Asmundo datas, quæ Hareko jus possidendarum insularum interdicebant. Harekus rem iniquo animo tulit, mirum esse dicens, Asmundum has calumnias hisque similes ad regem deferre: firmissima mihi sunt argumenta, quæ jus meum probent; tu vero Asmunde, modum tandem adhibere deberes, quid te deceat, etsi nunc magnam habere auctoritatem tibi videaris, eo quod regis auxilio fidas; atque tum sane magna tibi auctoritas est, si tibi licet alios magnates occidere aut spoliare, alios capitalium facinorum reos facere, nos vero spoliare, qui olim nobis visi sumus tantum valuisse, ut potuerimus jus nostrum intactum tueri ab æqualibus nostris, cum jam procul absit, ut nos dignitate generis æquetis. Cui Asmundus: hoc quidem multi sentiunt, Hareke, te amplitudine generis et violentia alios præstare, nam multorum res tua injuria sunt accisæ; nunc vero id mihi verisimilius videtur, necesse tibi fore, Hareke, alium quærere exercendæ injuriæ locum, quam apud nos, aut tantopere jus violandi, quam nunc facis. His dictis digressi sunt. Post aliquanto Harekus decem aut duodecim domesticos, magna actuaria vectos, in insulas misit. Quo delati, omni occupa-

ta captura, onerariam repleverunt; cum vero ad abeundum se paraverant, supervenit Asmundus Grankelis filius cum triginta viris, et capturam omnem, qua potiti erant, missam facere jussit. Cum domestici tardius dicto parerent, Asmundus cum suis eos adortus est. Qui cum numero longe esset superior, ex domesticis Hareki pars verberati, pars vulnerati, pars in mare deturbati; onus ereptum atque e navi transportatum Asmundiani domum revexerunt. Quibus gestis domestici domum reversi, Hareko rem nuntiarunt. Ille respondet: omnia nova memorabilia existimantur; haud antea factum est, ut mei verberati fuerint. Deinde res quieta fuit, Hareko ne verbo quidem querente, et se quam hilarissimum exhibente. Vere sequenti Harekus celocem vigintitranstram paravit et domesticis complevit, tam vectoribus, quam armamentis optime instructam, et in expeditionem eodem vere profectus, regem Olavum convenit, apud quem Asmundus Grankelis filius eo tempore aderat. Hic rex utrosque, adductos in congressum, inter se reconciliavit, ita ut lis arbitrio regis permitteretur. Dein Asmundus testes produxit, quod Grankel insulas possedisset; quo facto rex secundum testimonia causam judicavit, iniqua vero sententia, cum injuria domesticis Hareki illata nulla satisfactione recompensaretur, insulæ autem Grankeli adjudicarentur. Harekus significavit, sibi minime dedecori esse, regis sententiæ de hac causa adquiescere, qualiscunque ejus rei postea eventus foret.

Cap. 137. Thoroddus Snorrii filius apud regem Olavum commorabatur, quo tempore Geller Thorkelis filius data ab rege venia in Islandiam transmisit, ut supra commemoratum est. Adhucdum apud regem commorans, ægerrime

tulit, cohiberi se, quominus, quoquo libuisset, ire liceret. Prima hieme, qua rex Nidarosi se continebat, crebro declaravit, se in Jamtiam missurum, qui tributa exigerent. Ad quam profectionem suscipiendam cum plerique inviti essent, quod missi antea ab rege Olavo, Thrandus Albus cum undecim comitibus, uti supra demonstravimus, interfecti fuerant, Jamtique ab eo tempore Svionum regi dicto audientes manserant: Thoroddus Snorrii filius, securus futuri, si sui esset arbitrii, se ad hanc profectionem obtulit, rege consentiente. Dein Thoroddus, duodecim[1] viris comitatus, iter ingressus in Jamtiam pervenit, et ad domum venit viri cujusdam, nomine Thoraris[2], qui eo loco prætor erat, maximamque auctoritatem habebat, cum ei provinciæ præfectus impositus esset. Hic benigne excepti cum aliquantum temporis commorati essent, negotia sibi demandata Thorari exposuerunt. Ille ceterorum incolarum et magnatum non minus esse dixit hanc rem decernere, seque ad hæc negotia procuranda edicturum comitia significavit. Ita factum: nuntius comitialis in omnes partes missus, frequentiaque convocata comitia. Thorar comitia celebravit, legatis interea domi ejus commorantibus. Thorar rem ad populum detulit, decretumque est, ut legati retinerentur, donec Svionum regis præfectus ab oriente venisset, cujus arbitrio, incolis in consilium adhibitis, de legatis statueretur; interea tempus cogendi tributi interpositæ moræ prætexerent, binosque aut ternos hospitiis disponerent. Thoroddus cum altero domi Thoraris versabatur; hic opiparum convivium Jolense et compotatio collatitia celebrata est, multis præsentibus ex pago colonis, qui ibi per tempus Jo-

[1]) Ita ceteri; 16, *A.* [2]) Thorer, *D,E,F,L*; Thorarinis, *S.*

lense compotabant. Haud procul inde alius pagus aberat, ubi affinis Thoraris, vir potens ac dives, habitabat. Hic apud affinem convivio Jolensi interfuit et cum eo combibebat, Thoroddus vero combibonem habuit filium patris familias. Hic primo certatim potatum, dein certatim disputatum et comparatio instituta inter Nordmannos ac Sviones, mox de rege Norvegiæ et de rege Svionum verbis contendebant, item de iis, qui ante hos fuerant, et de rebus, quæ inter reges intercesserant, atque rapinis, quæ olim fuerant, quæque tum erant. Si reges nostri, ait filius familias, plures homines a Nordmannis (interfectos) amiserunt, hoc missi ab rege Svionum, si post festum Jolense ab oriente venient, duodecim hominum nece compensabunt; væ vobis, qui ignoratis, qua re mora ista interponatur. Jam Thoroddus rem suam animo perpendit; multi vero eos irrisui habebant, tam ipsos, quam regem eorum, dicteriis lacessentes, cerevisia sensus aperiente, occultaque Jamtorum consilia, Thoroddo non antea animadversa, patefaciente. Post eodem die Thoroddus ac comes vestes armaque sumserunt et in usum subitarium reposuerunt; et noctu, postquam homines obdormiverant, in sylvam aufugerunt. Mane fuga eorum animadversa, ope canum sagacium pagani eos insectati, in sylva, ubi se occultarant, invenerunt, domumque reductos in foveam, quæ in æde quadam solitaria erat, conjecerunt. Hic objecta fore inclusi, parum cibi[1], nulla vestimenta, præterquam quibus utebantur, habuerunt; qui cum devenissent in foveam, in stipula consederunt. Posthæc Thorar cum omnibus libertis ad affinem suum profectus est, ut quod reliquum esset festi Jolensis, apud eum convivaretur. Servi Thoraris interea

[1]) Hic incipit lacuna in *I*.

custodes foveæ relicti sunt: his cum satis potus datum esset, ipsique essent bibendi arbitri, adeo mero non temperabant, ut primo statim vespere, quo herus domo abierat, nimia obruti cerevisia mentis compotes non essent; cum vero satis poti sibi videbantur, qui inclusis cavea cibum afferre debebant, inter se collocuti sunt, facturos, ut neque his copia deesset; et sic quoque fecerunt. Quos cum Thoroddus cantando carmine oblectasset, illi eum virum esse magnæ dignitatis dictitabant, et ingentem candelam lumine accensam in foveam ad eum demiserunt. Hoc momento servi, qui antea intus fuerant, egressi vehementer clamarunt, ut illi intro irent; utrique vero adeo præ temulentia delirabant, ut neutri domum aut caveam occluderent. Heic Thoroddus et socius vestes suas in funes dissecabant, quos cum conligassent et ab altera extremitate conglomerassent, per aperturam soli in pavimentum conjecerunt, ut fulcro risci alicujus circumplicati hærerent. Dein tentato ascensu, Thoroddus sustulit comitem, ut humeris ipsius insisteret, unde ope funis in summum evasit. Hic copiam funium nactus, demisit ad Thoroddum, quem cum frustra extrahere conaretur, Thoroddus hortatus est, ut, fune per trabem transmisso, extremitati ejus in spiram collectæ ligna et saxa imponeret tanti ponderis, ut ipsius gravitatem superaret. Quo facto, libramentis in caveam sidentibus, Thoroddus sublatus est. Posthæc vestimenta, ut usus postulabat, in æde sumserunt; erant ibi aliquot pelles maclidibus detractæ, quarum plantas abscissas pedibus aversas subligarunt. Ante vero quam abirent, ignem ingenti cuidam horreo subjecerunt, quo facto densissimis illuni nocte tenebris se commiserunt. Totum horreum exarsit, multæque aliæ in oppido ædes. Thoroddus et

U 2

comes, per totam noctem facto itinere, sub lucem in latebras se abdiderunt. Mane sequenti cum desiderarentur, extemplo canes sagaces ab omnibus villæ partibus ad eos investigandos emissi[1], cum plantas maclidum odorarentur, vestigia secuti, qua spectaverant ungulæ, ad villam recurrebant; quo factum est, ut investigari non potuerint. Thoroddus ac comes, cum diu per deserta errassent, vespera diei alicujus ad exiguam villam pervenerunt et intrarunt. Sedebant ad ignem vir et femina; ille se Thorerem nominavit: hæc vero femina, quæ igni adsidet, uxor mea est; ipsos tugurium possidere dicens. Idem illis hospitium nocturnum obtulit, quod acceperunt; docetque, se ideo illuc concessisse, quod ob cædes commissas ex pagis aufugisset. Thoroddo ac comiti largissima hospitalitatis officia præstita sunt, omnibus una ad ignem comedentibus. Cubile in scamno stratum, ubi se ad somnum composuerunt. Ardebat adhuc lumen ignis. Thoroddus quiete nocturna parum fruens, aliquamdiu vigilavit, comite statim somno oppresso. Tum Thoroddus vidit prodeuntem hominem juvenem, cui parem statura neminem sibi visus est conspexisse, indutum rubra tunica coccinea, ad limbum usque lamellis ornata, omnibus vestibus auro distinctis, ipsumque oris venustate quam maxime conspicuum. Animadvertit Thoroddus hunc increpare maritum et uxorem, quod necessaria victu pæne destituti advenas exciperent. Cui mater familias: ne succenseas, frater, raro enim istoc usu venit; quin illis aliquam opem aut officium præsta, plus enim vales, quam nos. Audivit Thoroddus, eum nominari Arnljotum Gellinium, et matrem familias ejus sororem esse; idem

[1]) Hic lacuna incipit in *E.*

mentionem fieri Arnljoti Gellinii jam ante inaudiverat, eundemque infestissimum esse prædonem, maleficum, et insessorem, in sylvis excubare, hominesque pecuniæ ergo occidere. Thoroddus ac socius, de via perquam lassi, noctem somno transegerunt. Cum vero circiter tertia pars noctis superesset, adveniens Arnljotus Gellinius, eos surgere et ad iter se parare jussit. Thoroddus et socius confestim surrexerunt et vestes induerunt. His jentaculum datum. Dein Thorer utrisque xylosoleas dedit; Arnljotus comitem se adjunxit, et xylosoleas longas et latas conscendit. Qui cum baculo xylosolearum se in cursum conjecisset, eosque longe antevertisset, inhibito cursu moratus, re sic comparata nusquam eos pervenire posse dixit, et xylosoleas suas conscendere jussit; quod et fecerunt. Thoroddus prope eum consistebat, ambobus manibus zonam ejus apprehendens, Thoroddi vero cingulum socius ejus manu complexus est; quo facto Arnljotus tanta celeritate perticis currebat, ac si solutus iret. Sic tertia noctis parte elapsa ad aliquod diversorium montanum pervenerunt, ubi igne excitato cibum capere parabant; cumque cibum sumerent, monuit Arnljotus, ne quid cibi, frusta ossave, abjicerent. Arnljotus patellam argenteam e sinu depromsit et ex ea cibum sumsit, cumque cœnaverant, reliquias collegit. Ab his cubitum ire parant. In altera domus parte erat tabulatum tignis superstructum, quo conscenso Arnljotus ac ceteri, somno se dederunt. Gestavit[1] Arnljotus ingentem hastam cædendo habilem, cujus scapus (qua ferrum et hastile jungebantur) totus erat lamellis aureis obductus, manubrium vero usque ad scapum non ultra brachialem longitudinem; cinctus erat gladio aurato. Arma ac vestimenta

[1]) Hic incipit lacuna in *G.*

sua juxta se in tabulato habebant. Arnljotus monuit, ut silentium servarent; ipse in primori tabulato cubuit. Paulo post quam decubuerant, venerunt ad diversórium duodecim homines, mercatores in Jamtiam profecturi, merces secum ferentes. Qui cum ædem intrassent, magnos lætitiæ clamores excitarunt, ingentes ignes accenderunt, et cœnantes omnia frustula et ossa e domo ejecerunt. Deinde quieti se dederunt, et in scamno prope ab igni decubuerunt. Cum vero brevi dormiverant, intrabat femina gigas, magna statura, quæ ingressa manus grassabunda circumtulit, quæque esculenta videbantur, rapta in os conjecit. Deinde correptum proximum hominem totum discerpsit et in ignem[1] projecit. Tum ceteri somno excussi, quasi insomniis exterriti, exsiluerunt, quos singulos unum ab altero neci dedit, uno relicto, qui intus sub tabulatum se corripiens, auxilium clamans imploravit, si quis in tabulato esset, qui opem ferre posset. Arnljótus demisso longius brachio manus ejus prehendit, eumque in tabulatum ad se corripuit. Femina gigas ad ignem conversa, artus hominum, qui satis tosti videbantur, comedere cœpit. Tum surgens Arnljotus sublata hasta medios humeros ad ignem procumbentis tanta vi pupugit, ut mucro per pectus emineret. Illa corpus vehementiore nisu torquens acutum et horrendum clamavit et foras se proripuit; hastam manibus Arnljoti extortam hærentem corpore abstulit. Arnljotus cadavera nondum consumta domo extraxit, januamque et postes ab excurrente gigante confractos restauravit. Ibi reliquum noctis somno transegerunt, illucescente vero die surrexerunt et jentaculum sumserunt. Ubi cibum sumserant, Arnljotus in-

[1]) Ita ceteri; *börmunum*, obscure, *A*.

fit: Hic diversi digrediemur; vos hac procedite, qua mercatores heri advenerunt, ego vero hastam quæsitum ibo, eam[1] mercedem laboris habiturus, quod ex mercibus huc a mercatoribus allatis utile videatur. Tu vero, Thorodde, regem Olavum meo nomine saluta, atque dic, eum ex omnibus septemtrionis regibus solum esse, cui potissimum apparere et quam primum convenire velim; et spero futurum, ut eum aliquando conveniam, quanquam autumo parvi æstimaturum, meam sibi salutem afferri. His dictis patellam argenteam sumsit et panno diligenter detersit, dicens: hanc regi patellam trade, et dic, hanc esse salutationem meam, atque roga, ne accipere dedignetur: meque ejus causa vobis hoc hospitalitatis officium et auxilium præstitisse. Post hæc utrique itineri se accinxerunt et his peractis rebus diversi discesserunt. Thoroddus ac socius iter ingressi sunt, adsumto comite, qui ex mercatoribus salvus evaserat. Thoroddus ire contendit, donec regem Olavum in emporio (Nidarosi) convenit, eique de itinere suo omnia, ut gesta erant, retulit, eum ab Arnljoto salvere jussit, patellamque tradidit. Rex dolens, quod Arnljotus non statim unacum Thoroddo se convenisset: magno, inquit, damno est, quod tam fortis ac probus vir, atque homo tam memorabilis, tantis malis se implicuit. Thoroddus[2], cum reliquum hiemis apud regem Olavum versatus esset, impetrata venia in Islandiam proxima æstate redeundi, ab eo amicissime digressus est.

Cap. 138. Rex Olavus sequenti vere ex Nidaroso iter comparavit, magnumque contraxit copiarum numerum, tam ex Thrandheimo, quam ex partibus regni borealibus. Ut autem paratus

[1]) Hic iterum incipit *E*. [2]) Hic alia manus in *A* incipit.

erat, has copias austrum versus in Mæriam duxit ibique nec non in Römsdalo copias navales coëgit. Inde in Mæriam australem profectus, ad Hereyas in ancoris stetit, copias exspectans. Hic cum consilium militum sæpius haberet, multa ad aures ejus pervenerunt, quæ consilio egere videbantur. In aliquo concilio, quod habuit, mentionem intulit de clade hominum, quod legatos in Færeyas missos amiserat: tributum vero, quod mihi pendere polliciti sunt, ad me non pervenit, inquit; quare mittere constitui, qui tributum exigant. Ad quod negotium conficiendum cum rex nunc hos nunc illos hortaretur, singulique hoc iter suscipere detrectarent, vir quidam in concilio surrexit, magna statura, ore pulcro, indutus rubra tunica, capite galeam gestans, gladio succinctus, hastamque manu tenens; qui hunc in modum verba fecit: verum est, inquit, hoc loco magnum apparere inter homines discrimen; vos bonum regem habetis, ille malos subditos, qui ab eo muneribus amicitiæ gratia donati, multisque aliis honoribus aucti, legationem, quam vos rogat, suscipere recusetis; ego vero ut ad hoc usque tempus huic regi minime amicus fui, ita quoque ille mihi fuit inimicus, et hoc quidem justis causis facere sibi videtur. Ego jam tibi, rex, polliceor, hoc iter suscepturum, si nulla alia facultas erit commodior. Cui rex: quis est vir ille strenuus, qui ad mea postulata respondet? tu multum præstas aliis hominibus, qui hic adsunt, qui, ceteris, quos putabam obsecuturos, recusantibus, te hoc iter suscepturum pollicearis; ego vero tui omnino ignarus sum, neque nomen tuum novi. Ille contra: haud insolito nomine utor, et crediderim meum tibi nomen auditum; Karlius Mæricus vocor. Rex: audivi profecto, Karli, nomen tuum; et sane fuit tempus, si congressi fuis-

semus, quo non fuisses rei gestæ nuntium relaturus; nunc autem me non magis illiberalem ostendere volo, quam tu, qui operam tuam mihi polliceris, sed eam gratia et benevolentia mea remunerabo; hodie ad me venito, Karli, meusque conviva esto! tum de hoc negotio colloquemur. Karlius ita fore pollicitus est.

Cap. 139. Karlius Mæricus [piraticæ operam dederat, et prædo famosissimus fuerat, quare rex sæpius percussores in eum subornaverat, ut eum de medio tolleret; sed frustra. Erat Karlius amplo genere, strenuitate insigni, in exercitiis versatissimus, multarumque rerum peritia præstans. Qui cum certus esset hujus profectionis suscipiendæ, rex cum eo in gratiam rediit, et ira sua remissa in intimam[1] amicitiam admisit, et profectionem ejus quam diligentissime comparari jussit. Vehebantur ea navi prope viginti homines. Misit nuntium in Færeyas ad amicos suos, Karliumque commendavit præsidio ac tutelæ Leivi Össuris filii et Gillii Prætoris, additis in hanc rem tesseris. Karlius, ut primum paratus erat, vela in altum dedit, ventisque faventibus usi in Færeyas pervenerunt et Thorshavnæ[2] (in portum Thoris) in Strömeya appulerunt. Dein indicta comitia sunt, quo magnus hominum numerus convenit. Eo advenit Thrandus de Gata valde comitatus, advenere Leivus ac Gillius cum magna caterva. Qui cum tetendissent, Karlium Mæricum adeuntes benigne salutarunt. Dein Karlius, prolatis tesseris, mandata regis Olavi et omnia verba amica Leivo ac Gillio exposuit. (Hi bene excepta re, Karlio hospitium apud se, suamque in conficiendo negotio operam, et quam præstare possent

[1]) Quæ uncinis et semicirculis in hoc cap. includuntur, cum in Cod. *A* detrita omnem lectionem refugiant, ex *B* desumta sunt. [2]) Sic ceteri; Thurshavnæ (in portu gigantis), *A*.

tutelam polliciti sunt), quæ ille grato accepit animo. (Paulo post Thrandus de Gata adveniens Karlium comiter salutat: gaudeo, inquiens, quod tam excellens vir nos visitavit et in terram[1] nostram venit, qua re multum honori nostro tribuitur), mandata afferens regis nostri, quæ nos omnes debemus (exsequi; nihil tam cupio, Karli, quam ut) ad me ad hiemandum concedas, tot tuorum comitatus, quot ad tuum amplificandum honorem facere posse videantur[2]. Karlius ostendit, se antea decrevisse apud Leivum hiemare, alias delatam conditionem lubenter fuisse accepturum. Ergo hac quoque ex re honoris prærogativa Leivo cedit, ait Thrandus, ecqua vero alia sunt officia, quæ ita præstare possim, ut tuo commodo fiat? Karlius significavit, magnum sibi præstari beneficium, si Thrandus tributum in Östreya et per omnes Nordreyas colligere vellet. Thrandus sui officii esse dixit, qua posset ratione regis mandata promovere. Quibus dictis Thrandus in tabernaculum suum regreditur. His comitiis non plura memoriæ digna gesta sunt. Karlius ad Leivum Össuris filium concessit et apud eum hiemavit; Leivus vero tributa per Strömeyam[3] ceterasque insulas, inde versus austrum sitas, collegit. Sequenti vere Thrandus gravi morbo implicitus est, acuto dolore oculorum, aliisque gravioribus langvoribus laborans; comitia tamen pro more frequentare statuit. Ut vero in comitia venit, tabernaculum ejus, quo minus luci esset pervium, nigris aulæis intus velatum est. Aliquot diebus comi-

[1]) Hic incipit lacuna in *E*. [2]) Hoc enim summo honori duco, quod talis vir, qualis tu es, ad me devertere non dedignatur; quare maximas habebo gratias, si invitationem meam accipis, neque recusas, et reperies, credo, me mea hoc permagni interesse judicare, add. *B,C,F,K,S*. [3]) Ita ceteri; in *A* tantum apparet *Straum*.

tiorum elapsis, Leivus ac Karlius ad tabernaculum Thrandi frequentes ambularunt; quo cum advenissent, foris aliquot homines constituti erant. Leivus quæsivit, an Thrandus in tabernaculo esset; ille eum ibi esse dixerunt. Leivus rogavit, ut Thrandum exire juberent, se enim et Karlium negotium cum eo habere. Cum revenerunt, dicunt, Thrandum tanto oculorum dolore laborare, ut egredi nequeat, quare petere, ut Leivus intraret. Leivus suos monuit, ut tabernaculum ingressi caute incederent, neque conferti se inferrent, sed qui postremus intrasset, primus exiret. Leivus primus intravit, et Karlius cum suis, panoplia armatis, ut si in prælium ituri essent. Leivus ad nigra velamenta accedens, interrogavit, ubi Thrandus esset. Ille respondit et Leivum salutavit. Leivus comiter resalutatum interrogat, ecquod tributum ex Nordreyis[1] exegisset, et quam rationem de argento redditurus esset. Thrandus ait, animo non excidisse, quæ cum Karlio fuisset locutus, et de argento redditurum rationem: atque ecce tibi, Leive, crumena, quam accipias velim, argento plena. Leivus circumspiciens paucos adesse homines in tabernaculo animadvertit, quosdam in scamnis cubare, paucos erectos sedere. Dein accedit ad Thrandum, accipit crumenam, et in exteriorem tabernam, ubi clarior erat lux, portat, argentum infundit in clypeum suum, manuque versans, jubet Karlium inspicere argentum. Inspiciunt argentum. Tum Karlius: quale tibi videtur argentum, Leive? Ille: puto huc pervenisse collectum ex Nordreyis pessimum quemque numum. Quod audiens Thrandus: improbas argentum, Leive? Ita est, ait ille. Thrandus: haud sane mediocriter flagitiosi sunt con-

[1]) Ita *B,C,F,H,L;* Östreyis, cet.

sangvinei mei, quibus haberi fides nulla in re possit. Misi illos hoc vere, ut tributum ex insulis borealibus conferrent, ipse enim nullo modo eram potis; illi vero ab colonis corrupti pecunia sunt, ut nummos hosce adulterinos acceperint, qui aliis improbantur. Quare age, Leive, videsis argentum, quod solutum mihi est in prædiorum mercedem. Leivus relato argento aliam acceptam crumenam Karlio tradidit. Hanc deinde pecuniam examinarunt. Tum Karlius Leivum interrogat, ut ei ista pecunia videatur. Mala quidem hæc pecunia est, inquit, neque tamen despero, quin accipiatur ad solvenda debita minus exquisitæ numerationis; talem vero pecuniam nomine regis Olavi minime accipiendam censeo. Vir quidam in scamno cubans, vestem a capite excussit, dicens: verum est vetus dictum, ætate provectissimum quemque langvidissimum fieri; ita tibi usu venit, Thrande, qui Karlium Mæricum toto die pecuniam tuam rejicere patiaris. Hic erat Gothus Rufus. Ad hæc verba Thrandus exsilire, neque lingvæ temperare, cognatosque suos gravissime increpare; tandem Leivum jussit hoc argentum sibi reddere: tu vero hanc crumenam accipe, inquit, quam inquilini mei præcedente vere mihi dependerunt et domum meam attulerunt; et quamvis visu laborem, tamen sua cuique manus fidelissima est. Vir quidam, qui in scamno cubuit, cubito innixus (hic erat Thordus Humilis): haud mediocrem verborum contumeliam pati cogimur a Mærio Karlio, quod haud gratis fecisse deberet. Leivus acceptam iterum pecuniam Karlio attulit, et cum hanc inspexissent pecuniam, Leivus infit: non est, quod diutius hanc pecuniam contemplemur, heic enim unus alio melior numus est, atque volumus has pecunias habere, et tu, Thrande, cura hominem, qui inspiciat, dum pondera-

tur pecunia. Thrandus optime curatum judicare dixit, si Leivus suo nomine inspiceret pensionem. Exit Leivus et haud procul a tabernaculo progreditur: considunt et ponderant argentum. Karlius caput galea nudavit eique depensum argentum infudit. Vident hominem juxta se præterire, manu baculum securi armatum, pileum[1] demissum capite gestantem, indutum viridi toga breviori, nudis pedibus, braccis lineis cruribus adstrictis; is, baculo humi defixo, abscessit, dicens: cave tibi a baculo meo, Mærakarl! ne tibi noceat. Paulo post cursu advenit homo, inclamans Leivum Össuris filium, rogansque, ut quam citissime ad tabernaculum Gillii prætoris iret: irrupit homo per aperturam tentorii, Sigurdus Thorlaki filius[2], et contubernalem ejus (Gillii) letali vulnere sauciavit. Leivus extemplo cursu se abripuit, Gilliumque conventum ivit, omnibus contubernalibus comitatus; Karlius vero sedens relictus est, Östmannis eum undique circumstantibus. Gothus Rufus accurrens, securicula supra humeros circumstantium vibrata, plagam inflixit capiti Karlii, haud magnam quidem, sed Thordus humilis correptum baculum humi defixum desuper in malleum securis incussit, ut in cerebrum descenderet. Quo facto magna hominum multitudo e tabernaculo Thrandi erupit, Karlio mortuo inde ablato. Thrandus rem perpetratam ægerrime ferens, pecuniam obtulit pro consangvineis suis. Sed cum Leivus ac Gillius cædem jure persequentes, nullam admitterent satisfactionem pecuniariam, Sigurdus pro vulnere, contubernali Gillii inflicto, Thordus ac Gothus pro cæde Karlii Mærici proscriptionis rei judicati sunt. Östmanni navem,

[1]) Hic iterum incipit *E.* [2]) Sic Hkr., quod et sequentia probant.

quam Karlius eo duxerat, pararunt, et orientem versus ad regem Olavum profecti sunt. Qui cum hoc facinus ægerrime ferret, non sivit fortuna hujus vindictam sumere, intervenientibus in Norvegia motibus, de quibus mox commemorabimus. Et jam (nonnihil attigimus[1] res, quæ gestæ sunt, rege Olavo tributum ex Færeyis exigente. Postea vero in Færeyis magnæ contentiones ortæ sunt post necem Karlii Mærici, contendentibus Thrando de Gata et Leivo Össuris filio, de quibus rebus longæ exstant narrationes.

Cap. 140. Jam eo, unde digressa narratio est, revertendum. Regem Olavum cum copiis toto regno evocatis profectum omnes borealis regni præfecti secuti sunt, præter Einarem Arcipotentem, qui, postquam in patriam redierat, domi quietus in prædiis suis consederat, neque regi apparuerat. Idem ingentes possessiones tenebat et magnificentissimo vitæ genere usus est, quamvis nullos haberet reditus a rege concessos. Rex Olavus copias austrum versus præter Stadum duxit, militibus ad eum ex provinciis undique confluentibus; tum navem duxit, quam præcedente hieme fabricandam curaverat, Visundum (Bisontem) dictam, omnium navium maximam, cujus proram præfixum Bisontis caput auratum ornavit. Cujus meminit Sigvatus:

Draco Tryggviadæ, fugere nescii,
ad prædam excurrens, gestavit
rostra, auro comminuto
obducta; sic voluit Deus.
Olavus Crassus alium fecit
Bisontem, eximie ornatum,
undas calcare, crebro mare
feræ lavabat cornua[2]

[1]) finivimus (relationem circa), *B,C,D,E,H,L.*

[2]) Constructio: *Lýngs fiskr a) flugstyggs Tryggvasonar*

Rex in Hördalandum delatus cognovit, Erlingum Skjalgi filium cum magnis copiis et quatuor aut quinque navibus peregre abiisse, ipsum quidem celoce illa ingenti vectum, filios autem tribus[1] navibus vigintitranstris, eundemque occidentem versus in Angliam ad regem Knutum Potentem navigasse. Hinc rex Olavus orientem versus litora legens, permagna stipatus manu, sciscitando perquisivit, ecqua de Knuto Potente fama percrebuisset; omnes vero id referre habebant, eum in Anglia versari, et hoc insuper, paratam habere classem, in Norvegiam trajecturum. Ob eam vero causam, quod rex Olavus magnum habebat copiarum numerum, neque certis auctoribus cognoscere poterat, quo copias adversus regem Knutum duceret, commoratio autem uno in loco tantis cum copiis parum expedire videbatur, rex id consilii cepit, ut classem austrum versus in Daniam duceret, sumtis secum ex militibus, qui lectissime erant ornati, data ceteris domum redeundi venia, quemadmodum poëta testatur:

Fama laudatus Olavus Bisontem
propellit remis a septemtrione;

---

bar b) gelnar c), roðnar d) mölnu gulli, til fengjar; guð vildi svå. Olafr hinn digri lèt annan Visund, håla búinn, sporna á unnir e); lögr þó f) drjúgt dýrshorn. Nescit hanc stropham *H.*

a) fýstr, cupidus, *C*; *frekr*, avidus, *F*; sed *lýngs fiskr* piscis ericeti, est serpens, h. l. navis bellica Olavi Tryggvidæ, dicta Serpens Longus. *b)* Sic ceteri; *var, A.* *c) gjölnar,* id., *B,D,E.* Hæc vox haud recte explicatur in Hkr. Explicat vocem appendix Eddæ Snorrianæ mscr. de lupo Fenrere agens: *gjölnar heita granar hans,* ɔ: *gjölnar* appellantur labia ejus (Fenreris); ita h. l. intelligendum rostrum hians capitis, in formam serpentis exsculpti, navi præfixum. *d)* Sic *B,C,D,E*; *mildi,* clemens, *A* et cet. *e) unnar,* id., *B,D,S.* *f) þau, C,* prave.

[1]) Numerum add. *B,D,E,F,H,K,S;* duobus, *C,L.*

Rex alter æquor undosum secat
Dracone, profectus ab austro[1].

Sic dimissis militibus, in quibus minus strenuitatis[2] esse videretur, rex Olavus magnas et pulcras copias retinuit, quo in numero plerique erant Norvegiæ præfecti, præter eos, quos aut peregre abiisse, aut domi remansisse modo demonstravimus.

Cap. 141. Jam rex Olavus in Daniam navigavit, et cursum in Sjolandiam contendit. Quo cum venisset, factis escensionibus, prædas agere cœpit: incolarum pars direpti, pars interfecti, pars capti et vincti atque sic ad naves reducti: quibus facultas erat, aufugerunt omnes, nullo resistente; iis vero locis rex Olavus maximas hostilitates exercebat. Cum rex Olavus in Sjolandia erat, fama cognovit, regem Önundum, exercitu in expeditionem educto, orientalem oram Skaneyæ circumeuntem prædas agere. Tum innotuere[3] consilia, ab regibus Olavo et Önundo, fœdere in Albi facto[4], inita, ut ambo Knuto regis adversarii essent. Rex Önundus eo usque contendebat, donec regem Olavum, affinem suum, convenit. Qui cum convenissent, palam fecerunt tam militibus, quam incolis, se Daniam in potestatem suam redigere constituisse, et incolas, ut se reciperent, rogarunt. Accidit vero hic, quod multis locis solet usu venire, quando incolæ alicujus regni bello vexentur, neque vires habent ad resistendum, ut plerique descendendo ad propositas conditiones, pacem redimant. Quod idem

---

[1]) Constructio: *Orðsæll a) Olafr knýr Visund norðan und árum; annar gramr sunnan brýtr dreka unnheim úti.* Nescit hanc semistropham *H.*

a) Ceteri *orðsnjallr*, disertus.

[2]) utilitatis, *C.* [3]) Ita ceteri; mutata sunt, *A*; prave. [4]) Hic lacuna incipit in *E.*

evenit hic, ut multi se regibus dederent et fidem obsequii illis obstringerent; illi vero multa terræ loca, qua peragrabant, subegerunt, alioquin bello grassantes. Hujus expeditionis mentionem facit Sigvatus poëta in carmine intercalato, quod de rege Knuto composuit:

(Knutus fuit sub cœlo.)
Ut ex fama colligere est,
Haraldi filio animus
in bello suppetebat abunde
Olavus, rex annona
felix, currere fecit
naves piscis semitam
austrum versus ex Nida[1].
Algidæ carinæ, ferentes
regem, ab septemtrione
ad planum Sælundum
ruebant; hoc innotuit.
Verum Önundus alium
adversus Danos ducit
exercitum Svecicum

---

[1]) Constructio: *„Knútr *) var und himnum." Ek hugg, at frètt a), hug b) duga vel ætt c) Haralds d) í her e). Olafr, àrsæll f) jöfurr, lèt lið g) fara lýrgötu h) suðr úr Nið.*

*) Hic versus est intercalaris, cum altero cohærens: *höfuð-fremstr jöfurr,* quorum sensus est: Knutus fuit rex præstantissimus sub cœlo (in terris); quod pluribus exemplis demonstrare conatus sum in Excursu de Hallarsteine (Scripta Hist. Isl. Vol. 3).

a) Sic *B,C,D,F,L,S; at-fæstr, A.* *b)* Ita *B,C; hygg, D; hugir, F,L; full, A,* invito metro. *c)* Sic *D,F; æztr, A; hætt, B,S; rètt, C,L.* *d)* Sic *B,C,D,F,L; harraláðs,* regnum terræ, cet. *e)* Sic *B,G,D,F,L; ok hèt,* cet. *f)* Ita ceteri; *atsæll,* in prælio felix, *A.* *g)* Hanc vocem add. *B,C,D, F,H,K,L.* *h)* Sic *B,H,* i. e. mare; *hýrlátr,* comis, *A; lúðr-gota, C; lýð Gota, D; lýðr Gauta, F,K,L;* omnia ut puto prave.

in prælium iturus[1].

Cap. 142. Knutus Potens, cum fama occidentem versus in Angliam perlata cognoverat, Olavum Norvegiæ regem copias in expeditionem eduxisse, et Daniam cum hoc exercitu petiisse, bellumque in regno suo flagrare: copias collegit magnumque militum numerum contraxit, Hakone dynasta secundo exercitus imperatore constituto. Sigvatus poëta hac æstate in Angliam Rothomago pervenit, viro comitatus, cui Bergo nomen; quo mercaturæ causa priore æstate profecti erant. Sigvatus carmen brevius composuit, dictum versus Vestfarios (versus de profectione occidentali), cujus initium tale est:

Berge! sæpius mane sumus
recordati, quomodo faciens
iter proras applicuerim
occidentali Rothomagi brachio[2].

Sigvatus in Angliam delatus regem Knutum convenit, et veniam ab eo petiit in Norvegiam trajiciendi; rex enim prohibuerat, ne qua navis mercatoria exiret, priusquam classem ornavisset. Sigvatus autem, regem aditurus, cum ad cubiculum

[1]) Constructio: *Svalir kilir a) þurðo b) með gram norðan til slèts c) Sælunds d); þat namst. En Önundr e) ferr með annan her Sænskan at há f) á hendr Dönum.*

a) Sic ceteri; *Skilit, A;* prave. *b) þorðu,* forte id., *A; þorðut, F,K,L,* prave; *þurðu (*a *þyrja) H. c)* Sic *F,H,L; slætz, D; sles,* cet. *d) silundir, B; Selunds, K; Silunds,* cet. *e)* Hic lacuna incipit in *C. f)* Sic *B,D,H,S; fara,* ire (incipit), *A,K; honum, F,L.*

[2]) Constructio: *Bergr! höfum minnst margan a) morgun, hve ek lèt börð b) fest c) við inn vestra arm Rúðuborgar d) i för fyrða e).*

a) Sic ceteri; *marga, A. b)* Sic *F,H,L; borð, B,D; borgir, S;* om. *A. c) flest, F,L. d) Röðuborgar, D. e) förðu, B,D; fyrðu, F,H,L;* utrumque prave.

ejus accederet, clausum invenit, quare diu foris stetit; ut vero convenit regem, quam petijt veniam impetravit. Sigvatus cecinit:

Extra fores deambulare cogebar,
antequam colloquendi veniam
cum rege Jotorum impetrarem;
aditus mihi præclusus visus est.
Gormi vero cognatus expedivit
meum negotium bene
in cœnaculo; sæpe gesto
brachia ferro loricata[1].

Cum vero Sigvatus animadverteret, regem Knutum suscepisse expeditionem adversus regem Olavum, et cognovisset, quantas copias haberet, hos versus cecinit:

Liberalis Knutus, qui omnes
eduxit copias, et Hakon necem
inferre Olavo velle dicuntur;
de vita regis metuendum est mihi.
Utinam servetur rex, etsi
Knutus et dynasta minime velint;
si ipse evadet, exoptatus erit noster
conventus, ut in monte remotissimo[2].

---

[1]) Constructio: *Ek varð [spyrjast fyrir a) utan b) áðr c) ek d) fèkk annspilli e) Jóta stillis f); [herr sá meld g) húsdyrr [fyrir höldi. Enn áttúngr h) Gorms i) knátti lúka vel oru eyrindi í sal; ek ber opt k) járnstúkur l) á m) armi.*

a) Ita ceteri; *spökum hlýra, A;* ɔ: *fyrir spökum hölda hlýra,* prudenti virorum socio (mihi). *b) nátt,* perp., *D.* *c) þá er,* cum, *F,K;* contra sensum. *d)* add. *B,H,S.* *e) andspillni,* prave, *L.* *f) stillir, B,D,F.* *g) millz* (ɔ: *milds),* clemente, *L; meld sá er herför höldi, B,* sine commodo sensu; *meld sá ek hèr fur höldum, H,* hic viris præclusum vidi (aditum); *fèkk herr um haldit,* præcluserant viri, *L.* *h) áttugr,* prave, *D.* *i)* Sic *B,H,K,L,S; grams,* regis, contra metrum, cet. *k) orms, B.* *l)* Ita ceteri; *örstúka,* obscure, *A.* *m) frá, B.*

[2]) Constructio: *Örr Knútr, sá er allt hefir úti, ok Hákon tegast gjörva Olaf fjör a) -valtan: ek mun kviða konúngs*

Num erat excellentis dynastæ,
Olavum et veteres rusticos,
qui id sæpius recusarunt,
in gratiam inter se reducere?
Hi prius commutarunt principes,
quam Hakon suas inimicitias
in majus discrimen adduxisset;
excellens est Eiriki filius[1].

Cap. 143. Knutus Potens, ut copias in expeditionem ituras ornaverat, immensum habuit militum numerum et naves ingentes. Ipse Draconem duxit, sexaginta instructum interscalmiis, auratis capitibus ornatum. Hakon dynasta alium duxit Draconem, quadraginta interscalmiorum, deauratis quoque capitibus instructum, utriusque vero navis vela erant colore cæruleo, rubro et viridi virgata; naves eorum, qua supra undas exstabant, totæ pictæ erant, omnis apparatus navium erat splendidissimus; multas præterea naves

dauða. Haldist b) vörðr, þóat Knútr c) ok jarlar d) vildit e) varla; ef hann kemst sjálfr undan, er dæll f) fundr first g) á h) fjalli. Abest hæc stropha in *H.*

a) för, D; fiðr, L; utrumque prave. *b) Haraldr, L. c)* Ita *B,K,L; Knúts,* cet. *d)* Sic iid.; *jarli,* cet. *e)* Ita *B; valdit,* in causa non sit, cet. *f)* Mea conjectura; omnes habent *dælla,* neutr. comparat. Doct. F. Magnusenius apte conjecit *dælli.* Proverbialem sententiam esse puto illud: *dæll er fundr first á fjalli. g)* Omnes scribunt *fyrst,* primum. *h) af, B.*

[1]) Constructio: *Átti allframr jarl at sætta Olaf ok gamla bændr, þá a) er optast b) tóku af c) því máli; þeir d) hafa fyrr keypt e) höfðum f), en Hákon bundit g) saman heiptir at h) meira fári i); kyn Eiriks er framt k).* Hæc stropha abest in *H.*

a) Conjectura; *þat, D;* ceteri omnes *þeir. b)* Ita ceteri; *optar, A. c) at, D,F,K,L,S. d)* Ita ceteri; *A* scribit *þèr. e) kept, D. f)* Ita *D,S; höppum, B; höfðu,* cet. *g)* Sic *F, K,L; mundi,* cet. *h) en, L. i) færi, L. k) framit, L.*

magnas et splendide ornatas habuere. Hujus meminit Sigvatus in encomio Knuti:

(Knutus fuit sub cœlo.)
Exercitus ab oriente procedit,
pulcher, claris oculis
filius Danorum regis.
Pinus ab occidente lapsa est;
splendida erat ea, quæ
Adalradi adversarium
inde per mare vexit[1].
Et principum dracones, incitati
vento secundo, cærula gestabant
vela, antennis adaptata;
magnificum regis iter erat.
Illæ vero carinæ, quæ
ab occidente veniebant,
labebantur per vias
undosas ad Limafjördum[2].

Dicitur rex Knutus hanc classem ex occidente ab Anglia duxisse, et integram in Limafjördum constituisse, ubi ingens incolarum multitudo collecta erat.

Cap. 144. Dynastæ Ulvo[3] Sprakaleggi filio,

---

[1]) Constructio: *Knútr var und himnum a). Herr *) ferr austan, fríðr b) fráneygr niðr c) Dana fylkis. Viðr d) skreið e) vestan f): sá g) var glæstr h), er bar andskota Aðalráðs út i) þaðan.*

a) Vide supra cap. 141. *) Forte *hèrr*, pro *hèr*, hic. *b) frið*, cet. prave. *c)* Sic *B,S*; *lið*, *F,H*; *nið*, cet. *d)* Ita ceteri; *veðr*, vadit, *A*. *e)* Sic ceteri; *skeið*, navis, *A*. *f) austan*, ab oriente, *B*. *g) sjá*, *A*. *h) glæst*, *A*. *i)* Sic *B,D,L,S*; *unz*, *A*; *utan*, *F,K*.

[2]) Constructio: *Ok drekar a) landreka báru blá segl við rá í byr; döglings för var dýr. En þeir kilir, er komu vestan, liðu um brim b) -leið til Limafjarðar.*

a) dreka, *B,D,F*. *b)* Ita ceteri; *brimi*, *A*.

[3]) Thorgilsis, add. *D*.

Daniæ custodiendæ præfecto, rex Knutus in Angliam proficiscens filium suum, dictum Hördaknutum, tradiderat; quod æstate superiore, ut supra scriptum est, accidit. Cum vero discesserat rex Knutus, aperuit Ulvus dynasta, regem Knutum digredientem sibi hoc mandatum dedisse, velle se, ut regem imperii Danici sumerent Hördaknutum, filium suum: quem ea de causa mihi tradidit; ego enim (inquit) ac multi alii principes sæpius apud regem Knutum questi sumus, quod incolis hujus regni haud tutum esse videatur, rege carere. Nam cum priores Daniæ reges satis habuerint soli Daniæ imperare, priscis autem temporibus multi reges huic imperio præfuerint, nunc major quam antea incidit rerum difficultas. Hactenus enim[1] contigit nobis per exteros reges pace frui, nunc vero fama fert, regem Norvegiæ bello nos persequi statuisse, et opinio est, regem Svionum ei expeditioni se adsociaturum; jam vero Knutus rex in Anglia commoratur. His dictis protulit literas et sigillum Knuti regis, omnia quæ locutus fuerat, confirmantes. Cui sententiæ cum multi principum consentirent, his omnibus indigenis hortantibus populus decrevit, ut Hördaknutus rex crearetur, quod in his eisdem comitiis factum est. Hujus vero consilii auctor erat Emma regina, quæ has literas conscribendas ac signandas curaverat, sigillo regio per dolum surrepto, quæ omnia clam rege facta sunt. Cum vero Hördaknutus et Ulvus dynasta cognoverunt, regem Olavum magnis cum copiis a Norvegia advenisse, in Jotiam, robur Danici imperii, transgressi, dimissa sagitta belli nuntia, magnum hominum numerum ad arma convocaverunt. Cognito autem, advenisse cum exercitu regem Önundum, ad prælium cum utrisque conserendum se impares fore

[1]) Hic iterum incipit *E*.

rati, collectam multitudinem in Jotia continuerunt, terram adversus regem defensuri, classem vero in Limafjördum contraxerunt. Quo facto nuntios ad Emmam reginam miserunt, rogantes, ut explorarent, an rex Knutus, qui tum ab occidente Limafjördum ingressus erat, iis iratus esset. Regina hujus rei mentionem apud regem intulit. Rex Knutus respondet: audivi, quid facere aggressi sint. Illa significat, filium Hördaknutum, etsi, quæ regi minus grata essent, perpetrasset, omnia quæ rex vellet polliciturum. Rex indicat, Hördaknutum suis consiliis non obsecutum: hæc res ita cecidit, inquit, uti exspectare par erat, cum sit infans et inprudens, quod rex appellari cupiebat, quando res difficilior incidisset, ut hæc terra hostili manu devastata et ab exteris principibus subacta fuisset, nisi nostrum accessisset auxilium. Quare si mecum redire in gratiam velit, deponat inane istud nomen, quo se regem apellari fecit. De his verbis regina Hördaknutum misso nuntio fecit certiorem, monens, ne hoc iter suscipere negligeret, quod verum erat, addens, quod opes non foret comparaturus, quibus patri resisteret. Quo cognito nuntio, Hördaknutus dynastam ceterosque principes, qui cum eo versabantur, in consilium adhibuit. Sed brevi studia hominum apparebant, nam audito advenisse regem Knutum, universus regni populus ad eum confluebat, et in eo spem omnem repositam existimabat. Hinc dynasta et ejus socii duas præsto esse conditiones intelligebant, ut aut adirent regem Knutum ejusque arbitrio omnem rem permitterent, aut solum verterent. Sed cunctis hortantibus, Hördaknutus ad patrem se contulit, et in congressum ejus veniens, ad pedes regis se prostravit atque sigillum, regii nominis symbolum, in gremium ejus imposuit. Rex Knutus, manu filii prehensa, cum

in sede, qua priús sedere consveverat, collocavit. Ulvus dynasta Sveinem, filium suum, regis sororium, ad regem Knutum misit; is pacem et reconciliationem patris gratia ab rege expetivit, et se ipsum nomine patris obsidem obtulit; erant autem æquales Svein et Hördaknutus. Rex Knutus, misso ad dynastam nuntio, jussit eum collectis copiis ac navibus ad se venire, quo facto de pacis conditionibus inter se colloquerentur. Dynasta sic fecit.

Cap. 145. Rex Olavus et rex Önundus, cognito, regem Knutum ab occidente venisse, copiis, quibus resisti nullo modo posset, stipatum, oram Skaneyæ orientalem prætervecti, prædas agere et pagos incendere, et oriëntem versus ad fines regni Svecici contendere cœperunt. Ut vero incolæ animadvertebant regis Knuti ex occidente adventum, imperio regum se submittere detrectabant. Hæc memorat Sigvatus poëta:

Non potuere principes
strenui Daniam
sibi submittere
ob expeditionem.
Tum Danorum oppressor
Skaneyam acriter
depopulatus est.
„Rex longe præstantissimus." [1]

Post hæc reges oram terræ prætervecti, classem in amnem, dictum Sanctum, constituerunt, atque

---

[1]) Constructio: *Snarir a) drottnar gátut spanit b) Danmörk undir sik sökum c) herfarar. Þá lèt d) hlöðr e) Dana skarpla f) herjaða Skáney. „Höfuð-fremstr jöfr" g).*

a) Svarir, D; svå ok, A, prave; malo cum Hkr. *snarar* (pro *snarrar*), quod jungendum cum *herfarar. b) spann, B;* mendose. *c)* Ita ceteri; *sökvum, A. d)* Sic ceteri; *hèt, A. e) höldr, D,F. f) skarðla, B,* dub.; *snarpla,* id., *E,F,L; skjóta,* cito, *H. g)* Vide caput 141.

eo loco aliquantum temporis commorati sunt. Fama docti, regem Knutum classe orientem versus ducta se insequi, consilia inter se communicarunt, et hoc consilii ceperunt: rex Olavus cum parte copiarum in terram egressus est et in sylvas progressus, cum ad lacum, ex quo amnis Sanctus se exonerat, venisset, jactis in ostio molibus ex cæspite et lignis, flumen obstruxit; præterea ductis ingentibus fossis plures lacus in unum derivarunt et latas aquarum restagnationes effecerunt; alveum vero fluminis cæsis ingentibus arboribus straverunt. His laboribus multos dies impenderunt, rege Olavo hanc omnem rationem administrante, rege vero Önundo classem curante. Rex Knutus de itinere affinium, et clade, quam regno suo intulerunt, certior factus, adversum eos tendebat in amne Sancto constitutos, plus quam duplo majorem habens copiarum numerum. Hujus meminit Sigvatus poëta:

Jotiæ princeps in regnum
redux, se spoliari bonis
non passus est; id quod
collaudaverunt incolæ.
Danorum tutelaris clypeus
noluit regnum suum
ullis rapinis infestari.
„*Rex longe præstantissimus.*"[1]

---

[1]) Constructio: *Ilendr Jótlands jöfurr lètat a) etast af b); ætt manna c) fannst d) at e) þvi. Hlifskjöldr f) Dana vildi g) hafa fæst h) rán i) foldar. Höfuð-fremstr jöfurr k).*

a) Sic Hkr. et Fagrsk.; *lèzt at, A; lèt,* ceteri. *b)* Hanc voculam addidi, sec. Hkr. et Fagrsk.; ceteri omnes omittunt. *c)* Sic Hkr. et Fagrsk., *ætt* (dat.) *manna,* frequenti usu periphrastice pro *mönnum;* ceteri *ættmanna,* cognatorum, mendose. *d)* Ceteri omnes et Hkr. *fannz,* id., quod non esse nomen, docet Fagrskinna, scribendo *fanzk; mèr finnst at þvi,* id. q. nunc vulgo *mèr finnst til þess,* laudo, probo, admiror.

Cap. 146. Accidit die in vesperam declinante, ut exploratores regis Önundi classem Knuti regis haud longo inde spatio velis advehi conspicarentur. Quo cognito rex Önundus bellicum cani jussit: milites tentoria navalia raptim detendere, armatura se induere, e portu remigare et orientalem oram prætervecti naves conjungere et copulare, et prælium parare. Rex Önundus exploratores confestim in terram exposuit, qui regem Olavum convenientes, has res nuntiarunt. Quibus cognitis rex Olavus moles destrui, fluviumque in alveum immitti jussit; ipse noctu ad naves descendit. Rex Knutus cum portui appropinquans classem regum ad prælium paratam stare videret: quod adnavigans ipsius classis ingens maris spatium occupabat, longumque intererat intervallum inter primam navem et posteram, atque inter proximam terræ ac remotissimam, ventusque leniter spirabat, multum diei processurum ratus, antequam copiæ ad committendum prælium paratæ essent, cum videret Sviones ac Nordmannos ex portu excessisse: ipse portum intravit, totque naves, quot portus capere poterat, plurima classis parte in aperto stante. Sequenti mane, multa jam luce, cum multi milites in terram essent egressi, aliis inter se colloquentibus, aliis sese oblectantibus, omnibus necopinantibus flumina magno impetu, catarractæ instar, irruebant, ingentes arbores trahentia, quæ in naves deferebantur easque oblidebant; aquis autem campos inundantibus omnes homines, qui in terra erant, magnaque pars eorum, qui in navibus versabantur, perierunt. Omnes vero, qui

e) Ita Hkr. et Fagrsk.; *af*, cet. *f) hlifskjöld, E,F,H;* i. e. præsidium ac tutela Danorum, rex Danicus, Knutus. *g) valdi, F; valdr, E. h) föst, L; flest, E,F;* prave. *i) rann, E,L;* perp. *k)* Vide cap. 141.

ejus rei facultatem habebant, oras præciderunt et naves solverunt, quæ passim arbitrio æstus ferebantur. Ingens ille Draco, quo rex Knutus[1] vehebatur, rapiditate fluminis abreptus, cum remis facile flecti non posset, ad classem Önundi regis[2] delatus, cognitusque ab navibus adversariorum circuitus est. Quæ navis cum esset castelli instar magna, magnoque militum numero completa, et lectis propugnatoribus instructa, haud facile expugnari brevi tempore potuit. Nam Ulvo dynasta copias suas admovente, acrique orto prælio, cetera classis undique advolavit. Quare rex Olavus atque Önundus, affinis ejus, intelligentes, se jam quam datura sors foret victoriam tulisse, puppes averterunt atque se ab classe Knuti regis expediverunt. Eam vero ob causam, quod hæc oppugnatio, ut instituerat rex Knutus, non cesserat, naves adversariorum persequi noluit; sed numerum inire copiarum cœpit, milites vero vulnera obligare, cohortes ordinare et se parare. Ubi vero diversi discesserant, copiæque sejunctæ erant, reges numero inito copiarum animadverterunt, se nullam cladem accepisse. Cum vero intelligerent, si exspectarent, dum rex Knutus instructis quas habuit copiis se adortus esset, se tantum fore copiis inferiores, ut incerta victoriæ spes, certa clades maxima, si committeretur prælium, esset; totam classem orientem versus secundum litora ducendam censuerunt. Ubi vero senserunt, classem Knuti regis non insequi, malos erexerunt ac vela sustulerunt. Ottar Niger de hoc prælio commemorat in carmine laudatorio, quod de rege Knuto Potente composuit:

Rex, in præliis acer!
Sviones repulisti, sed lupus

[1]) Sic *B,F,H;* Olavus, *A*, prave; omittunt, *D,E.* [2]) Hic iterum incipit *C.*

largam nactus est dapem,
quo loco amnis Sanctus dicitur.
Terribilis bellator! retinuisti
terram, ope tuorum, contra duos
reges, ubi corvus non esurivit;
magna est tui consilii celeritas[1].

Thordus Niger poëta[2] carmine, dicto *Róðudrápa*[3], mortuum Olavum Sanctum laudavit; in quo hujus prælii mentio fit:

Olavus Agdorum dominus,
prælium commisit cum egregio
Jotorum principe, qui
annulos (loricas) dissecuit.
Peritus Skaneyensium rex
acriter contra eum tela misit;
Filius Sveinis se non præbuit imbellem;
lupus ululavit circa cadavera[4].

---

[1]) Constructio: *Sókna a) örr siklingr! þú hnektir Svíum b), en c) ýlgr d) fèkk mikla úlfs beitu, þar er heitir e) áin helga. Ygur f) ógnarstafr g)! hèltu láði við kyn beima fyrir tveimr jöfrum, þar h) er hrafn i) [nè svalta k); hvatráðr ertu.*

a) Sic *F*; *sökkva*, cet. (adversus inimicos). *b) Snörum*, alacrem (inimicum repulisti), *D*. *c)* Ita *C,E,L*; *hinn*, cet. *d) Ulfr*, id., *D,E*; invito metro. *e)* Ita *F,D,E,L*; *heiti*, *B,H*; *heitit*, cet. *f) Uggr*, *E*. *g)* Ita *C,D,L*; *ógnarstaf*, *E,F*; *-starfs*, *B*; *-stafs*, *A* et cet. *h)* Sic *B,C,D,E,H*; *nè*, *L*; *þat A*, et cet. *i) hrafni*, *B,E*; *hrafnar*, *C,L*. *k)* Ita dedi; *sveltud*, esurire fecisti, *C*; *nè sveltad*, *D,H*; *nè svelta*, non esurire v. esurire facere, *A* et cet.

[2]) Thoroddus poëta, Sjareki filius, *B*; Thordus poëta, Svarti f., *E,F*. [3]) ɔ: carmen crucis. *Roðadrápa*, carmen ruboris (radii), *C,D,E,H,L*.

[4]) Constructio: *Ólafr, Egða a) drottinn, átti þrimu stála viðr ágætan Jóta öðling b), þann er klauf c) hringa. Nær d) Skánúnga gramr skaut skarpt e) á f) móti hánum. Sveins sonr g) varat h) slær i) at reyna; úlfr þaut of hræfi.*

a) Engla, Anglorum, *B*. *b) æðling*, id., *C*; *öðlingr*, *E*. *c) klýfr*, dissecat, *B,E*; *gaf*, dedit, *F*. *d) at*, non, *E,F*. *e)*

Cap. 147. Rex Olavus atque rex Önundus orientalem oram Svethiæ præternavigantes, die in vesperam declinante ad terram appulerunt, in loco, qui Barvika appellatur, ibique per noctem in ancoris steterunt. Hic vero apparuit, redeundi domum cupidos esse Sviones, pars enim magna Svecici exercitus hac nocte orientalem terræ oram prætervecta, cursum non intermisit, priusquam suam quisque domum pervenit. Quod animadvertens rex Önundus, ubi illuxerat, concionem convocari jussit. Omnes copiæ in terram egressæ, constitutaque comitia. Rex Önundus sermonem ita orsus est: notum tibi est, rex Olave, quod nos omnes una hac æstate Daniam bello infestavimus, magnaque præda, nullis vero terris, potiti sumus; adduxi huc tres navium centurias cum dimidia, ex quibus unam tantum reliquam habeo. Quare nos existimo, non majoribus, quam nunc habemus, copiis adjutos, nihil quod honori nobis futurum sit, gesturos, etsi, quantam nunc habes classem sexaginta navium adduxeris. Igitur cum in hac expeditione rem fecerimus, nihil vero perdiderimus, consultissimum esse judico, in regnum reverti, nam (ut ajunt) incolumi curru domum vehi expedit. Proinde velim, Olave affinis, ut tu tuique mecum eatis, nosque omnes una commoremur, tantumque e meo regno sumas, quantum ad te et milites tuos honeste tuendos sufficiat, sequenti autem vere[1] consilii rationem, quæ nobis placuerit, ineamus. Sin vero tibi magis placuerit, terrestri itinere in regnum tuum reverti, atque veniam impetrare per regnum meum transeundi cupis, hæc tibi concedetur.

Ita ceteri; *skart*, *A*, secundum prolationem vulgarem. *f) at*, id., *B,C,D,F,L.* *g) var*, sine negatione, *L.* *h) son*, in nom., *L.* *i) slæfr*, id., *L*; *slægr*, callidus, *F.*

[1]) Ita ceteri; nobis venientibus, *A.*

Cap. 148. Rex Olavus, pro amice oblata conditione gratiis actis: at aliud consilium, inquit, si quid mea valebit auctoritas, capiendum est, nempe ut residuam exercitus partem retineamus conjunctam. Scilicet principio æstatis domo profectus, cum navium tres semis centurias haberem, ex hoc toto exercitu delegi milites probatissimos, quibus has sexaginta complevi naves, quas nunc habeo. Mihi vero tuas copias consideranti, qui ex tuis militibus sunt ignavissimi et ad usum belli inhabiles, aufugisse videntur; hic autem video satellitum tuorum præfectos atque principes, quos omnes, utpote aulæ tuæ adscriptos, armorum tractandorum peritissimos esse confido; habemus adhuc magnum copiarum numerum et bonam navium facultatem, ut, more priscorum regulorum, per totam hiemem excubare navibus facile possimus. Knutus vero rex brevi in amne Sancto stabit, quo loco cum tantæ navium multitudini, quantam ille habet, nullus portus sit, persequetur nos, nos vero persequentem fugiamus, brevi enim ad nos copiæ confluent; si vero eo se recipiet, quo loco portus sunt, multi erunt ex militibus ejus, qui non minori teneantur redeundi desiderio, quam nostri. Spero, nos hac æstate ita rem instituisse, ut noverit oppidanus, quid agendum sit [tam mari quam terra[1]. Copiæ Knuti regis brevi dilabentur, quo facto nemini scire datum est, quo se victoria inclinatura sit. Primo exploratores, quid consilii capiat, emittamus. Cum rex Olavus finem dicendi fecerat, omnes orationem ejus secunda acclamatione excipiebant, et quod ipsi placuerat consilium capiebant: speculatores in exercitum regis Knuti emissi, ambo vero reges eodem loco se continebant.

[1]) tam in Skania, quam in Sjolandia, *B*; quod rectius videtur.

Cap. 149. Rex Knutus, cum animadverteret regem Norvegiæ et regem Svionum orientem versus secundum litora contendere, extemplo copiis in terram expositis, exploratores dies noctesque jussit per superiora equitare, regibus per exteriora navigantibus; qui cum ultro citroque irent, et exercitum regum specularentur, rex Knutus quotidie de itinere eorum certior factus est. Cum vero cognovisset, magnam partem copiarum abscessisse, classem ad Sjolandiam reduxit et in Eyrarsundo constituit, parte ad Sjolandiam, parte ad Skaniam stante. Rex Knutus Roaskeldam, magno comitatus hominum numero[1] equitavit. Hic advenienti convivium struxerat Ulvus dynasta, affinis ejus, qui epulas magno studio apparavit et se perquam hilarem præbuit. Rex admodum pauca loquebatur et vultu erat perquam irato; quem cum dynasta compellaret, et colloquii materiam, quam maxime ad animum ejus fore putabat, quæreret, pauca respondebat. Tum dynasta quæsivit, an ludo scachico se oblectare vellet; ille affirmavit. Erat Ulvus dynasta lingva promtissimus, nemini cedens, seu verbis, seu aliis rebus, in provincia sua administranda quam maxime strenuus; de quo longa narratio circumfertur. Idem omnium Danorum, excepto rege, potentissimus. Soror Ulvi dynastæ erat Gyda, quam Gudinius Ulvnadi[2] filius in matrimonio habuit; quorum filii erant Haraldus Angliæ rex, Tostius dynasta, Valthjovus dynasta, Mörukarius[3] dynasta, Svein dynasta. Gyda, filia eorum, nupta erat Jatvardo Sancto[4], Angliæ regi.

Cap. 150. Cum vero rex ac dynasta latrunculis ludebant, rege gravius inter ludendum ab-

[1]) pridie festum Michaëlis, add. ceteri. [2]) Ulvnaduris, *B,D, H*; Ulvjáði, *A.* [3]) Mödrukarius, *A.* [4]) Bono, *B,C,E,L.*

errante, dynasta e regiis calculis equitem oppressit. Rex, calculo retractato, alium ducere calculum jussit. Qua re iratus dynasta, dejecit tabulam latrunculorum, surrexit et abiit. Jam fugis, Ulve timide, ait rex. Dynasta ad fores conversus: longius in amne Sancto fugisses, inquit, si tibi licuisset; tum non compellasti Ulvum timidum, cum ad opem tibi ferendum accessi, quando Sviones vos, ut canes, verberabant. Quibus dictis dynasta cubitum abiit. Paulo post rex cubitum ivit. Postero autem mane rex, cum vestibus se indueret, puerum, qui sibi a calceis erat, allocutus: adi, inquit, Ulvum dynastam et eum interfice. Puer abiit et paulisper moratus rediit. Cui rex: interfecisti dynastam? Non, domine (inquit), in templum enim Lucii se contulerat.

Cap. 151. Vir erat nomine Ivar Albus, genere Norvegus, cubicularius et aulicus regis. Huic rex: i et interfice Ulvum dynastam. Ivar templum adiit, et in chorum ingressus, Ulvum dynastam telo transfixit, ut statim mortem oppeteret. Ivar ad regem reversus, strictum gladium manu tenuit. Rex: interfecisti dynastam? Ille: modo eum interfeci. Bene fecisti, ait rex. Occiso autem dynasta, monachi templum occludi jusserunt. Quo cognito, rex ad monachos misit, ut templum aperirent et sacra peragerent. Illi mandato regis paruerunt; cumque templum adiisset rex, emta prædia templo donavit; quæ cum magnum pagum efficerent, opes hujus templi magnopere auctæ sunt. His gestis rex ad classem revectus, multum autumni ibi commoratus est.

Cap. 152. Ubi reges Olavus et Önundus fama acceperunt, regem Knutum ad Eyrarsundum duxisse ibique classem tenere, concione militum habita, rex Olavus ostendit, rem ex opinione sua cecidisse, quod rex Knutus in amne Sancto non

diu stetisset: spero fore, ut plura nos et Knutum intercedentia, opinioni meæ respondeant; jam exiguam circa se multitudinem habet, pro eo atque proxima æstate habuit, posthac vero multo minorem habiturus est. Neque enim eos minus quam nos pertæsum est, ab autumno inde in navibus excubare. Concedet nobis fortuna victoriam, si animus non desit ad adgrediendum; sic enim exiit res hac æstate, ut nos pauciores copias habuerimus, illi res et homines amiserint. Hic Sviones dictitabant, non rationem esse, hiemem exspectare, etsi Nordmanni hortarentur: neque enim satis noverunt, quantæ congelationes his locis incidere possint, ubi sæpius[1] hiberno tempore totus oceanus glacie consistere soleat; quare domum redire, neque hoc loco diutius commorari volumus. Svionibus vehementer frementibus, eademque alteris alterius ore excepta crepantibus, decretum est, ut rex Önundus universas copias abduceret, rege Olavo remanente.

Cap. 153. Hoc loco cum rex Olavus se continebat, sæpius cum militibus collocutus consilia conferebat. Accidit nocte aliqua, qua in navi regia Egil Halli filius et vir, dictus Tovius Valgöti[2], ex Gothia Occidentali oriundus, amplo loco natus, excubias agere debebant, ut in statione constituti ingentem ploratum et ejulationem exaudirent. Viderunt homines captivos, qui in terra vinculis constricti noctu sedebant. Tovius significans, se ægerrime ferre clamorem eorum, hortatus est Egilem, ut egressi homines solverent ac dimitterent. Hoc idem fecerunt: iverunt, vincula dissecuerunt et omnes homines istos dimiserunt. Quod factum ceteri milites vehementer improbabant. Rex tanta ira incensus est, ut prope a pe-

[1]) Sic ceteri; *ðeskliga, A;* vox mihi ignota. [2]) Valgardi, *D,E.*

riculo res esset; et postea, cum Egil morbo decumberet, diu erat, quod rex eum nollet visum ire, donec multi Egilem rogarunt, ut pœnitentiam faceret, quod quæ regi displicerent admisisset. Tandem, deprecante iram Egile, rex ei veniam dedit, et decumbentis lateri, qua dolor suberat, impositis manibus, preces cantabat, quo facto confestim evanuit dolor, Egilque restitutus sanitati est. Tovius post in gratiam cum rege rediit, quam patre ad regem Olavum reducendo meruisse dicitur. Erat Valgötus religioni ethnicæ, ut qui maxime, addictus; qui hortante rege Olavo christianus factus, statim post acceptum baptismum mortuus est. Rex Olavus jam cum militibus colloquitur, jam principes, quæ ineunda ratio sit, consulit. Sed res parum inter eos convenit, alio rationem, probatam alii, temerariam appellante, consiliaque inter se diu versantibus. Speculatores Knuti regis in exercitu eorum assidui fuerunt, multosque militum colloquio adierunt, pecunias et amicitiam nomine Knuti regis offerentes; quibus rebus multi sollicitati fidem suam obstringebant, se regi Knuto submissuros, eique in Norvegiam venienti rerum summam delaturos. Hujus criminis, quamvis primo occulti, multi manifesti erant, aliis tum statim pecunias accipientibus, aliis in spem postea accipiendi venientibus, permultis jam antea ingentibus muneribus ad amicitiam sollicitatis. Etenim hoc verè de rege Knuto prædicatum est, quod quicunque ad eum venissent, aliquam virtutis indolem promittentes, eique obsequi cupientes, ab eo muneribus cumulati discesserunt. Quibus rebus ingentem sibi favorem conciliavit; maximam munificentiam exhibens exteris hominibus, atque his, qui ex longinquis regionibus advenissent.

Cap. 154. Rex Olavus suos sæpius[1] in concionem advocatos de rerum summa consuluit; quos cum diversa consilia in medium proferre animadverteret, aliud, quam quod maxime conducere videretur, afferre suspicatus est; et tum multi debitam ei fidem male præstabant. Multi hortati sunt, ut venti opportunitate usi per Eyrarsundum in Norvegiam navigarent, dicentes, Danos etsi magnis cum copiis ibi starent, eos adgredi non ausuros. Ea vero prudentia erat Olavus rex, ut hanc rem extremi periculi esse intelligeret, cum nosset, aliud usu venisse regi Olavo Tryggvii filio, cum paucis copiis stipatus prælio Danos adgrederetur, quam ut tum dimicare non auderent; novit præterea rex, multos Nordmannos in exercitu Knuti regis versari, hos qui ita loquerentur, regi Knuto, quam sibi, fideliores esse suspicans. Tandem rex decretoriam sententiam[2] dixit, ut qui se comitari vellent, pararent sese et pedestri itinere per Gothiam in Norvegiam proficiscerentur: naves autem nostras, aliaque impedimenta, quæ portari nequeunt, orientem versus in Svioniam develii, ibique in usus nostros servari volo.

Cap. 155. Harekus de Thjotta regi respondet: facile visu est, inquit, non posse me pedibus in Norvegiam proficisci, quippe virum ætate provectum, viribus imbecillum et pedestribus itineribus minus adsvetum. Quo accedit, quod invitus abscedo ab navi mea, cui fabricandæ et ornandæ magnam operam impendi, quare refugit animus hanc navem hostium potestati relinquere. Cui rex: nobiscum, Hareke, proficiscere; te nobiscum portabimus, si incedere nequis. Tum Harekus hoc carmen lusit:

Hinc decrevi, femina!

[1]) Hic iterum incipit *I.* [2]) nobis, add. *A.*

meo longo vehi jumento
strepentis oceani, potius
quam iter facere pedibus;
quamvis in Eyrarsundo
Knutus, annulis liberalis,
cum navibus excubet bellicis;
meam populus novit strenuitatem[1].

Dein rex Olavus iter parari jussit: nihil præter arma et singula vestimenta habebant; quæ autem jumenta comparari poterant, hæc vestimentis et pecunia onerata sunt; missis vero hominibus naves orientem versus in [mare Kalmaricum[2] devehendas curavit, ubi naves subduxerunt, armamenta vero et cetera impedimenta custodiæ commisere. Harekus, ut constituerat, fecit: ventum secundum exspectavit et occidentem versus Skaneyam prætervectus est, donec Holos[3] ab oriente subiret vesperascente die, vento spirante secundo. Hic demitti vela malosque cum aplustribus jussit, navemque, qua mari exstabat, cinereis velamentis contegi, in paucis interscalmiis, tam in prora, quam in puppi, remigium administrari,

---

[1]) Constructio: *Rinleygs a) láð b)! ek hefi ráðit at ríða hèðan minum laungum leiðar dynmari, heldr en gánga: þótt Knútr, leggfjötrs c) lundr, liggi herskipum úti í Eyrarsundi d); þjóð kann kèski minni.*

a) Cfr. Hkr. et J. Olavii *Nordens gamle Digtek.* p. 176; *rinleiks, A* et cet. *b) láðs,* cet. *c) leggfjöturr, D,E; lögfjötrs, L;* vinculum brachii est armilla. Possit et hæc appellatio in vocat. sumi, tumque commodissime cum ultima sententia jungi. *d) Eyrarsundum, C,E.*

[2]) *Kalmarver,* id., *D;* unde variata videntur *Kalmarn, I; Kalmarnir, B,E,F; Kalmara, H; Kalmanar, L.* Hkr. habet *Kalmarnes,* promontorium Kalmaricum. Hic explicit *C.* [3]) Locus ille Scaniæ mihi est ignotus. Si conjectare licet, locus *Holar* situs fuerit haud procul ab urbe Ystadio, ubi juxta litora plurimi siti sunt colles *(hólar)*, s. tumuli sepulcrales; quare hic locus præ aliis in Skania est notabilis. *G. Schjöning.*

maximam vero copiarum partem in inferiori nave considere. Qua conspecta, excubitores Knuti regis inter se collocuti, quæ navis esset, cum paucos conspicarentur homines, remigiumque lentius administrari, navisque albida neque impicata videretur, ut si insolata esset, et valde onustam esse deprehenderent, conjecerunt, onerariam esse, sal aut aleces devehentem. Cum vero Harekus per fretum navigans classem præterlatus esset, malos erigi, velumque recentis nivis instar candidum et cærulo colore virgatum tolli jussit. Tum milites Knuti regi de navigantibus dicere, vero esse simile, regem Olavum ibi vehi; rex vero Knutus dixit, regem Olavum ea esse prudentia, ut unica nave vectus per classem Knuti regis non foret navigaturus, veroque similius esse, Harekum de Thjotta ejusve similem esse. Hinc orta relatio, regem Knutum profectionem Hareki prænovisse, hunc enim alias non profecturum, nisi antea inter eos amicitia pacta fuisset; quæ res postea confirmari visa est, amicitia inter regem Knutum et Harekum coalescente. Harekus Vedreyam prænavigans, hos versus lusit:

Pinum dirigamus extra
ventosam insulam. Non sino,
Lundenses mulieres, neque
Danicas virgines cavillari
quod non ausus fuerim,
autumno, femina! remetiri
planas Frodii vias, alite
vectus statuminibus munito[1].

---

[1]) Constructio: *Skjótum eik fyrir utan læbaugs a) ey. Lækkat b) ek Lundar c) ekkjur d) hlæja at þvi, ifla flausts e) Jörð, at ek ei þyrða á hausti fara aptr vali krapta f) á flatslóðar Fróða g),*

a) læbaugr, ex mente Olavii *(Nordens gamle Digtek.* p. 176, cfr. Mantissam), id. q. *lábaugr*, circulus maris, i. c. cœlum,

Deinde Harekus iter continuavit, neque ante destitit, quam boream versus in Halogiam et domum ad prædium suum in Thjotta pervenit.

Cap. 156. Rex Olavus primo per Smalanda profectus, in Gothiam occidentalem pervenit, pacate et sine maleficio iter faciens, incolis hospitalitatis officia ei benigne præbentibus. Inde rex iter contendit, donec in Vikam devenit, qua boream versus peragrata[1], Sarpsborgam pervenit, ubi commoratus, res ad hiemandum necessarias comparavit. Tum rex maximæ copiarum parti domum redeundi veniam concessit, ex præfectis autem, quot visum est, apud se retinuit. Erant cum eo omnes Arnii filii, qui ab rege plurimi sunt æstimati. Hic ad regem pervenit Geller Thorkelis filius, qui præcedente æstate, ut supra scriptum est, ab Islandia redierat.

Cap. 157. Sigvatus poëta diu apud regem Olavum versatus est, ut hoc loco scriptum est, et ab rege aulæmagister constitutus fuerat. Hic oratione soluta haud ita promte[2] loquebatur, sed poëticus sermo ei adeo in promtu erat, ut ex tempore versus faceret, ut si quotidiano sermone loqueretur. In Valliam mercaturæ causa profectus fuerat, in quo itinere in Angliam delatus regem Knutum convenit, et ab eo veniam in Norvegiam

---

mare cingens; unde *læbaugs ey* id. q. *Veðrey* (insula venti); alias potest *læbaugr*, circulus, orbis undosus, commode de mari intelligi, et ad *eik* referri, ut *læbaugs eik*, quercus, arbor maris, sit navis; quanquam fateor, vocem *eik* sæpissime poni absolute pro nave. *b)* i. e. *lætkat*; ita dedi pro *lakkat*, *A*; *lekkat* (ↄ: *lekkat*), *D,I,S*; *lètkat*, non sivi, *B,I*. *c) lindar*, *L*. *d)* Ita cet.; *ekkju*, *A*. *e)* Sic Hkr. et Olavius l. c.; *flaust*, *E,I,K,L*; *flaustr*, cet.; ↄ: *ifla flaust*, navis (vehiculum) accipitris, manus, ex qua mulier denominatur, adjecto telluris (deæ) nomine. *f)* i. e. navi. *g)* i. e. mare.

[1]) Hic lacuna incipit in *I*. [2]) Ita ceteri; concinne, *A*.

trajiciendi, ut supra memoratum est, impetravit. Ut in Norvegiam venit, statim regem Olavum convenit, eumque mensis accubantem adiit. Quem se salutantem rex intuitus tacuit. Sigvatus hos versus cecinit:

> Ego, tuus aulæmagister huc
> adveni domum; attende,
> princeps virorum! audiant
> homines, quæ verba facio.
> Dic, imperator gentium, ubi
> mihi sedem destinaveris;
> totum tuum cum satellitibus
> triclinium viris placet[1].

Hic veritas probata est veteris dicti, multas regibus esse aures. Regi enim fama innotuerat de itineribus Sigvati, eum cum rege Knuto versatum fuisse. Quare rex Olavus Sigvato: jam nescio, an meus aulæmagister esse cogites; nonne regi Knuto nomen dedisti? Sigvatus his versibus respondit:

> Knutus, pretiosorum annulûm
> dator, me interrogavit, num
> ipsi vellem operam navare,
> tanquam animoso Olavo.
> Dixi me oportere, uno tempore
> uno tantum uti domino; recte
> visus mihi sum respondisse;
> cuique satis exempli datum est[2].

---

[1]) Constructio: *Stallarar a) þinir b) erum komnir hingat heim. Hygg at, jöfurr skatna! menn nemi min mál, sem ek inni. Þjóðkonúngr! seg þú, hvar innan hafið sess hugðan mér. Allr þinn skáli með c) seims d) þollum er þekkr e) beimum f).*

a) Ita ceteri; *stallari, A.* *b)* Ita ceteri; *þinu, A.* *c)* omitt. *L.* *d)* Sic *D,H,K,L,S; seim, cet.* *e) þaktr,* refertus, *E.* *þýðum,* comibus, *L.* *f) beima,* virorum (refer ad *þjóðk.*), *L.*

[2]) Constructio: *Knútr, mildr mætra a) hringa, spurði mik,*

[quibus hos addidit:

Princeps, qui opes das liberaliter!
necesse ne putes, ut omnibus
idem eveniat hominibus, etsi,
quam constitueram, advenerim serius.
Haud examinata est veritas rei,
quam malos homines pateris loqui;
cuique regi suorum semper
opus erit. Apud Knutum hospitabar[1].

ef ek vilda (vera) hánum hendilángr, sem hugreifum Oleifi. Ek kvað einn b) drottinn c) sæma mèr senn: ek þóttumst svara at sönnu; hverjum guma er gjör d) gnóg dœmi.

a) Sic *B,D,H,K,S; mœta, A; mœtir, E,F,L.* *b)* Ita ceteri; *ei*, non, *A* pr. *c)* Sic *E,F,H,L,S; drottni, cet.* *d) góð*, boni, *B,E,F,K.*

[1]) Hanc stropham, inde a signo [, solus habet *E.* Quam stropham ita in ordinem redigo: *Auðarmildr! látaþú einn eið verða a) alla jarðar ýta b), þótt ek vera seinni, enn ek vilda. Era gengit fyrir þat mál, er þu lætr vándan her mæla c). Flestum gram mun laung mannþörf. Ek var gestr Knúts.*

*a)*Ita conjeci pro *verðar.* Sensus est: etsi serius, quam optaveram, adveni, tamen ne putes, me, more aliorum, deserere te voluisse; non enim (ut dicunt) idem omnibus evenit. Fundus locutionis est proverbium obscurum: *eigi skal einn eiðr alla verða,* de quo disputatur in Njalæ vers. lat. p. 43. sequ. Idem proverbium exhibet vila Björnis Hitardalensium athletæ, cap. 10. fin. his verbis: *"Þorðr reið heim, segir Oddnyu, hvert hann hefði farit um daginn, ok kvaðst nu hafa þat örindi fengit, er hann vildi. Hvert er þat? segir hon. Hann segir, at þángat hafi hann boðit Birni, ok kvaðst þat hafa giört til yfirbóta við hana. Þat hygg ek, segir hon, at nú ljúgir þú, ef þú kannt þat. Þorðr segir: eigi verðr einn eiðr alla. Skilja þau nú hjalit.* Ex nostro loco apparet, voci ellipticæ *alla* subjiciendum esse *menn;* verbum autem *verða*, sensu activo, in offendendi, deprehendendi notione cum accusativo ponitur, *Oddrúnargr.* 21, *Atlam. Grœnl.* 23. Itaque omnis difficultas vertitur in notione *eiðr* et origine proverbii. Vero simillimum existimo, formulam juridicam: *eigi skal einn eiðr alla verða*, non debet unum jusjurandum ad omnes pertinere

Tum rex Olavus Sigvatum jussit sedem adire, quam antea occupare solitus erat; et brevi Sigvatus eandem sibi gratiam regis et amicitiam, quam antea habuerat, conciliavit.

Cap. 158. Erlingus Skjalgi filius ac filii ejus præcedente æstate in exercitu regis Knuti, et in cohorte Hakonis dynastæ fuerant. Thorer Canis magnis quoque honoribus auctus fuerat. Ubi vero rex Knutus cognovit, regem Olavum pedestri itinere in Norvegiam rediisse, expeditionem solvit et militibus domum redeundi veniam dedit, atque ipse in Dania transigere hiemem statuit. Eo tempore in Dania fuit magna exterorum multitudo, tam Anglorum, quam Nordmannorum, et plurium alienigenarum, qui præcedente æstate ad exercitum confluxerant. Sequenti autumno Erlingus Skjalgi filius cum omnibus copiis in Norvegiam reversus est, cui digredienti rex Knutus magna munera dedit. Thorer Canis apud Knutum regem remansit. Erlingum autem in Norvegiam comitati sunt legati Knuti regis, ingentem pecuniæ vim secum ferentes, qui proxima hieme multa Norvegiæ loca obeuntes, pecunias præcedente autumno auxilii ergo ab rege Knuto promissas, persolverunt, multisque aliis, quos pecunia corruptos ad amicitiam Knuti regis pertrahere potuere, dono dederunt. Erlingi autem præsidio adjutis tuto transire per provincias licuit. Quibus rebus factum est, ut multi ad amicitiam Knuti

(omnes obligare), in proverbium abiisse, sententia pro re nonnihil variante, generali forte hac, quemque casum suas habere exceptiones. Quemadmodum videmus plures sententias, primitus absque dubio juridicas (e. gr. *litit skal i eiði ósœrt)*, ut proverbia usurpari. *b)* mea conjectura pro *ytri*, quod quid designet, non video, nam *ytri* est exterior, *itri* præstantior. *c)* ita dedi pró *mála*, quod neque contextui, neque regulis metricis satisfacit.

regis conversi, non solum amicitiam vicissim polliciti sint, sed etiam ut contra regem Olavum insurgerent; quod nonnulli statim aperte prædicarunt, multo vero plures erant, qui hæc consilia celata vellent. Rex Olavus de his rebus certior factus est, multi enim ei hæc nova afferre habuerunt, eademque crebris aulicorum sermonibus ferebantur. Sigvatus poëta hos versus (ea de re) composuit:

Regis hostes ibi ambulant,
ferentes crumenas solutas;
populus sæpe grandem vim pecuniæ
offert pro regis non venali capite.
Se quisque, qui amatum principem
auro vendat, damnatum novit
atro tartaro; eam pœnam
talia commeruere facta[1].

Item hos:

Merces misera his in cœlo
contigit, qui fidem in dominum
dolis fefellerunt, cum profundum
alti ignis domicilium peterent[2].

[1]) Constructio: *Fjandr þengils gánga þar með lausa sjóða; þjóð byðr a) opt höfgan málm fyrir b) ófalan c) hilmis haus. Hverr veit sik d) innan i svörtu helviti, ef e) selr sinn hollan harra við gulli f); slikt er g) (þat) vert h).*

a) ferr (rect. *fær*, accipit), *H.* *b) við*, id., *B,L.* *c)* Sic *B, D,H,L,S*; *of allan, E,K*; *ófaldin*, non velato, *A.* *d)* Sic *D,H*; *sitt, A* et cet. *e)* Sic *E,C,S*; *er*, qui, *H*; *of, A* et cet. *f) golli.* id., *E,H,L.* *g) eru, B,D.* *h) verk, B,D.*

[2]) Constructio: *Kaup varð dapurt a) á himnum b), þar c) þeir d) er beldu e) drottinn-rækt f) svikum, of-sóttu g) djúpan heim hás elds h).* Ignorat hanc stropham *H.*

a) döpur, D; ceterum rem futuram poëta loquitur ut præteritam. *b)* Sic *D,E,F,L*; *himna, A* et cet. *c) þaz* (rect. *þars*), *D,E,S.* *d)* Sic *E,F,K,L*; *þeim, A* et cet. *e) hèldu, E,F.* *f)* Ita Hkr.; *rèð, A*; *rètt*, ceteri. *g)* Sic dedi; *um sóttu*, id., *B*; *af sóttan, D*; *af sóttum, A* et cet. *h)* de tartaro intellige.

Ibidem sæpius in ore hominum sermo versabatur quam dedecerct Hakonem dynastam, arma contra regem Olavum ferre, qui cum in potestatem regis venisset, vita ab eo donatus fuisset. Sigvatus vero intimus erat dynastæ amicus, et cum reprehendi dynastam animadverteret, hos versus pronuntiavit:

Hördorum regis domestici
nimis faciles se erga dynastam
tum præbuerunt, cum pro vita
Olavi acceperunt pecunias.
Ejus excelsi aulici fuerunt
in hujus culpæ crimine;
nobis satius est, si vacamus
crimine proditionis omnes[1].

Rex Olavus splendidum instauravit Jolense convivium, ad quod celebrandum multi advenerant summæ dignitatis viri. Octavo[2] festi Jolensis die rex, paucis comitatus, in his Sigvato, qui ei noctes diesque adhæsit, domum quandam intravit, ubi cimclia regia servabantur, in quibus colligendis pro more solito magnopere occupatus fuerat, ut ea octava festi Jolensis vespera amicis donaret. In hac domo multi repositi erant gladii

---

[1]) Constructio: *Húskarlar a) Hörða b) hilmis c) gjörðust d) þá ofvægir e) jarli, er f) [þægi fé g) við fjörvi Olafs. Hans háleit h) hirð nam i) at verða fyrir k) þvi máli. Oss er dælla, ef [vèr erum l) allir sklrir m) um svik.*

a) Ita ceteri; *húskarla, A.* *b)* Ita *B*; omitt. *A,D; harða E,K.* *c)* Sic *B,H,S; hilmir, A* et cet. *d)* Sic *B,H,S; gjörði, A* et cet. *e)* Sic *B,D,S; óvæginn, L; úvægir, A* et cet. *f)* Ita *B,D,L*; *ef,* si, *E,F,K; of, A;* utrumque contra metrum. *g)* Sic Hkr.; *fè-þeygi, A* et cet. *h)* Ita ceteri; *háleggs, A.* *i) era,* non est, *B,S; erat,* id., *H; er, D,L.* *k) i, L.* *l)* Ita ceteri; *Noregs,* adversante metro, *A.* *m)* Sic *B,D,E,K,S; skærir,* id., *H; slikir, A.*

[2]) Septimo, *D,E,F,K,S;* quinto, *H.*

auro ornati. Tum Sigvatus hos versus lusit:

Enses ibi stant, ornati
auro; nos laudamus remos
freti vulniflui. Imperatoris
gratia maxime expedit.
Acciperem, princeps, si quem poëtæ
ex his volueris donare.
Missor ignis sinuum! olim
tecum versatus fui[1].

Rex sumtum aliquem ensem ei dedit; hujus capulus auro erat ornatus, et bullæ inauratæ. Hoc munus erat eximium, sed invidia non caruit, ut postea compertum est. Statim post festum Jolense rex Olavus iter in Upplanda ingressus est, nam magnam apud se habuit hominum multitudinem, nulli vero reditus ad eum præcedente autumno ex regni parte boreali pervenerant, quod proximo autumno incolæ in expeditionem fuerant evocati, cui rex omnes sumtus, quantum facultates suppetebant, impenderat; neque aderant naves, quibus copias in partes regni septemtrionales transmitteret. Id solum ex regionibus borealibus rescivit, quod pax ac transitus minus tutus promitti videbatur, nisi magna manu comitatus iter faceret. Quam ob causam in Upplanda proficisci statuit; ex quo autem hæc loca convivans obierat, non tantum temporis exierat, quantum jusserunt leges aut regum consvetudo ferebat. Ut vero rex in superiorem provinciam pervenit,

[1]) Constructio: *þar a) standa sverð, búin gulli. Vær leyfum árar sárs sunda b). Hilli herstillis c) verðr d) hollust. Allvaldr! ek tæka við, ef þu vildir gefa skáldi eitthvert. Sendir e) víka elds! ek var endr með þèr f).*

a) hèr, hic, *B,F,H,L. b)* i. e. enses. *c) herstilli, A; herstillir, B. d) væri, A; þarf ek, S. e) kennir, B. f) var ek enn med þèr, B.*

præfecti et divites coloni eum ad se invitarunt, atque hoc pacto sumtus ei levarunt.

Cap. 159. Vir nominatus est Björn, genere illustri, amicus ac notus Astridæ reginæ, quam cognatione aliquantum attingebat; cui regina munus procuratoris in Heidmarka superiore mandaverat; idem præfecturam Dalorum Orientalium tenuit. Björn neque regi carus erat, neque apud colonos gratiosus. Acciderat in[1] ea provincia, cui præerat Björn, ut multarum rerum amissiones, et autumnali tempore magna furta boum, ovium, omnisque generis pecudum, facta essent. Ad quas res perquirendas Björn comitia edixit, ubi rerum amissiones promulgavit, verosimillimum esse dicens, ista facinora patrari ab iis, qui in regionibus sylvestribus procul ab aliis habitarent, quo dicto petebat eos, qui Dalos Orientales incolebant, is enim tractus sparsa habitacula, partim ad lacus, partim in sylvis excisis posita, paucis vero locis pagos continuos habuit.

Cap. 160. Rödus nomen erat viro, in Dalis Orientalibus habitanti; uxori ejus nomen erat Ragnhilda, filiis Dagus ac Sigurdus, bonæ spei juvenibus. Hi in his comitiis constituti, Dalensium nomine respondebant, atque objecta crimina ab iis avertebant. Qui cum Björni jactantius se gerere, et armorum vestiumque cultu superbire viderentur, orationem suam in eos convertit, et haud vero esse dissimile contendit, eos tale facinus admisisse. Illi pro se infitias iverunt. Ita dimissa comitia. Post paulo rex Olavus ad Björnem procuratorem[2] cum copiis venit, ibique convivio exceptus est. Re ad regem relata, dicenteque Björne, vero sibi simillimum videri, Rödi

[1]) Hic lacuna incipit in *E.* [2]) pro *ármaðr Olafs Konúngs* legendum *ármanns Olafr konúngr.*

filios horum flagitiorum esse auctores: missi sunt, qui Rödi filios arcesserent. Qui ut regem convenerunt, ipse rex eos furum similes negans, objecti criminis absolvit[1]. Hi deinde regem domum patris invitarunt, ut ibi cum omnibus copiis trinoctiali convivio exciperetur. Rex, Björne quantumvis iter dissvadente, profectus est. Domi Rödi splendidissimum convivium apparatum. Rex interrogavit, unde Rödus uxorque ejus oriundi essent. Rödus ait, se esse genere Svecum, divitem et ampla familia clarum; inde vero, inquit, aufugi cum hac femina, quam ex eo tempore in matrimonio habui; ea soror est regis Ringi Dagi filii. Quæ dicta memoriam cognatorum utriusque in animum regis revocabant; sensit patrem et filium insigni esse prudentia, atque eos, quas artes callerent, rogavit. Sigurdus dixit, se dierum noctiumque tempora, etsi nulla apparerent sidera, discernere, et somnia interpretari posse. Rex has artes exploravit, et vera esse, quæ Sigurdus professus erat, deprehendit. Dagus has sibi artes attribuit, quod cujusque hominis, qui in conspectum suum venisset, si vellet animum advertere, virtutes ac vitia dispicere posset. Rex eum jussit, quod in se animadverteret vitium ingenii edere. Dagus, quod regi placuit quodque verum esse fassus est, edidit. Tum rex de Björne procuratore quæsivit, quo ingenii vitio laboraret. Dagus ostendit, Björnem esse furem, et insuper locum indicavit, ubi ossa, cornua et pelles boum, eo autumno furtim abactorum, domi suæ occuluisset: hic enim, inquit, omnium furtorum, hoc autumno commissorum, quorum alios accusavit, auctor est. His addidit certa indicia, quo

[1]) Hic *B,D,E,F,H,I,K,L,S* inserunt narrationem de Rödulvo vulgo *Rauðúlfs þáttr* dictam, in qua narratione *I* explicit, *E* incipit et rursus deficit.

loco res quærendæ essent. Rex ab Rödo, magnis donatus ad amicitiam muneribus, dimissus est; filii vero Rödi se ad regem receperunt. Rex primo ad Björnem reversus omnia, quæ Dagus dixerat, vera esse expertus est; quo facto Björnem regno expulit, qui beneficio reginæ vitam et membra intacta obtinuit.

Cap. 161. Thorer, filius Ölveris ab Eggja, privignus Kalvi Arnii filii, [et Thoreris Canis ex sorore nepos[1] pulcritudine ceteros præstabat; statura et viribus insignis; erat natus annos octodecim, uxoremque ex Heidmarka duxerat eximiam, optime dotatam; ipse apud omnes erat gratiosus et gerendis honoribus dignus existimatus vulgo est. Hic regem cum copiis domum suam ad convivium invitavit. Rex oblatam conditionem accepit atque ad Thorerem profectus est, a quo benignissime convivio magnificentissimo et apparatu exquisitissimo exceptus est. Rex ac sui inter se collocuti, admodum congruere dicebant, tam ædes ædiumque ac mensarum apparatum et potum, quam hominem, qui has epulas apparavisset. Dagus nulla aut exigua tantum admiratione affectus est. Solitus erat rex Olavus sermones cum Dago miscere, eumque variis de rebus interrogare; cujus effata cum eventu rerum, sive præteritæ sive futuræ essent, confirmari animadverteret, ejus sermonibus fidem haud mediocrem habuit. Quare rex eum ad se in secretum colloquium advocavit, atque cum eo de multis rebus collocutus, tandem de Thorere mentionem intulit, quam splendidus esset, qui epulas tam honorificas ipsis præberet. Dagus rem frigide accepit, vera esse, quæ dixerat rex, simulans. Rex porro quæsivit, quibus ingenii vitiis Thorer laboraret. Dagus se putare dixit, Thorerem bo-

[1]) Ita ceteri; *Arni h., systurson þoris h.,* prave *A.*

no esse ingenio præditum, si ei hoc fortuna tam liberaliter tribuisset, quam cetera, quæ vulgo conspicua essent. Rex, ea quæ interrogasset, dicere jussit, hoc ejus officii esse monens. Dagus respondet: itaque hoc mihi, rex, dederis, ut pœnam constituam, si crimen significabo. Rex se judicia sua non aliorum arbitrio permissurum declarans, proloqui de quibus quæsisset, jubet. Dagus: honos domini mandato! hoc ego vitii in ingenio Thoreris deprehendo, id quod multis potest usu venire, quod nimis est pecuniæ cupidus. Rex: an fur aut latro est? Dagus negare. Rex: quid ergo? Dagus: pecunias meruit, ut perduellis esset; accepit ab rege Knuto pecunias, ut te proderet. Rex: quo pacto hoc probas? Dagus: dextra manu annulum crassum gestat supra cubitum, ipsi ab rege Knuto datum, quem a nemine conspici vult. His dictis diremto colloquio, rex perquam iratus fuit. Rex mensis accubans, cum aliquantisper convivæ potavissent et perquam hilares essent, Thorerem mensis ministrantem ad se vocari jussit. Ille ad anteriorem mensam accedens, manus mensæ imposuit. Rex: quot annorum es, Thorer? Ille: octodecim. Rex: magna statura es, Thorer, pro ea ætate, magnaque polliceris. Hæc dicens dextram prehendit, brachiumque supra cubitum contrectavit. Thorer: istuc placide contrecta, ulcus in brachio habeo. Rex brachium tenens, cum duri quid subesse sentiret: audistin', inquit, me medicum esse; fac videam ulcus! Thorer rem non amplius occultari posse intellexit[1]. Rex Thorerem comprehendi et in vincula conjici jussit. Tum accedens Kalvus, pro eo deprecatus est et

[1]) et detractam armillam protulit. Rex, an munus esset a rege Knuto donatum, interrogavit. Thorer haud negari posse fassus est, add. *B.*

pecunias obtulit, multis eam rem verbis juvantibus, suasque fortunas pollicentibus. Rex vero tanta incensus erat ira, ut nullis adiri verbis potuerit, eam pœnam Thoreri minatus, quam ipsi cogitasset. Deinde rex occidi Thorerem jussit. Quod factum summi odii materiam dedit[1], tam Upplandorum incolis, quam Thrandheimi, apud quos plurimi Thoreris consangvinei versabantur. Grjotgardus, filius Ölveris, frater Thoreris, natu major, eximiæ quoque spei juvenis, magnumque circa se globum militum habens, cum in Heidmarka constitutus cædem Thoreris fama cognovisset, loca, ubi aut regii milites se continebant, aut regia pecunia reposita erat, adortus est, subinde se in sylvas aliave latibula recipiens. Quo tumultu cognito, rex, iter Grjotgardi per exploratores speculatus, cum animadverteret, eum haud procul ab eo loco, ubi ipse erat, nocturnum hospitium sumsisse, extemplo noctu profectus est, ante lucem pervenit ad locum et cubiculum, in quo erant, corona militum cinxit. Grjotgardus ac sui, hominum armorumque fremitu audito, somno excussi sunt. Grjotgardus in vestibulum procurrens, quis copiis istis præesset, quæsivit. Audiens adesse regem Olavum, quærit, an ipsi verba sua audire liceret. Rex ante fores stetit, et Grjotgardo veniam dedit quicquid vellet loquendi: audio enim verba tua, inquit. Grjotgardus loquitur: non pacem petere in animo est. Proripit se foras, scuto supra caput obtento, strictum gladium manu gestans. Qui cum obscuriore luce parum dispiciens, regem ferro peteret, Arnbjörnem[1] Arnii filium pupugit, puncta sub loricam veniente, et in alvum penetrante, qua

[1]) sinistro rumore exceptum ab incolis est, *H.* [2]) Ita ceteri Asbjörnem, *A.*

confestim mortem oppetiit. Extemplo Grjotgardus plurimaque suorum pars interfecti. Quibus confectis rebus rex, flexo austrum versus in Vikam itinere, cum Tunsbergum venisset, dimissis in omnes partes legatis, copias et naves ad expeditionem imperavit, magna tum rerum difficultate laborans, cum nullæ adessent naves, præter colonorum; milites autem ex provinciis permulti, pauci ex longinquo, ad eum convenirent; ex quo facile intelligi poterat, animos incolarum ab rege alienatos esse. Rex Olavus milites orientem versus in Gothiam misit, qui naves atque impedimenta, superiore autumno ibi relicta, adveherent. Qui impeditiore itinere usi sunt, quia per Daniam non facilior, quam autumno præcedente fuerat, transitus erat, quod rex Knutus verno statim tempore copias ad expeditionem ex tota Dania eduxerat, non minus duodecim navium centuriis habens.